
PONTANI
OPERA
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE ◆ RACCOLTA NENCINI
ALDINI
I
5
30









Ex Libris Joannis Nencini
1874.

Pontani Opera Tom. 1.s

IOANNIS IOVIANI PONTANI OPERA OMNIA SOLVTA ORATIONE COMPOSITA.

AL DVS

Nomina librorum, qui in hisce tribus partibus continentur, à tergo huius paginæ notata reperiuntur.

LIBRI PRIMAE PARTIS.

LIBRI II PARTIS.

LIBRI III PARTIS.

FRANCISCVS ASVLANVS ALTOBEL-
LO AVEROLDO PRAESVLI PO-
LENSI LEONIS X. PONT.
MAX. VENETIIS LE
GATO S. P. D.

DVBIVM *fuit olim apud plerosq́;, et nũc summa contentione quæritur utrum M. Varronis ciuis Romani clarissimi laudem, & gloriam illustriorem reddant iura populi Romani, monimenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omnisq́; doctrina, quam literis, memoriæq́; mandauit, an statua, quam Asinius Pollio singulari iudicio, summaq́; literatura uir, ei uiuentium omnium uni posuit in bibliotheca, quæ prima in urbe Roma ex hostium manubijs confecta est. Hæc quidem dubitatio recte suscepta uideri potest. Libri enim quos ille composuit, quanquam rerum scriptarum dignitate, & authoris studio, ac diligentia ad omnium seculorum posteritatem peruenire debebant, tamen multos iam annos interciderunt. quod propterea contigisse arbitror, quia superiorum seculorum homines (quæ illorum erat imperitia) propter obscuritatem tanti authoris scripta non satis lectu digna existimauerint. At statuæ memoriam, qualiscunq; est, nulla unquam temporis obliuio delebit, nulla uetustas obruet, nulla imperitorũ iniuria ex animis doctorum euellet. Nostræ etiã ætatis homines post multa secula non dissimilis officij exẽplum in Iouiano Pontano prodi uiderunt. Alphonsus enim iunior Neapolitanus Rex cum prætorium propè Neapolim extruxisset omniũ quæ in Italia uidemus, cœli temperie, regionis opportunitate, loci amœnitate, & operis magnificentia clarissimum, cumq́; illud omnibus rebus exornasset, quæ & suas ipsius opes, & uirtutem declararent, persuasum habuit eiusmodi apparatus splendorem nulla re magis posse commendari, quàm si Iouiani Pontani imaginem ex ære in ea quoq; locasset. Nec dubitabat Rex ille sapientissimus Regibus omnibus & principibus ad se uenientibus postquam arma, equos, gemmas, aurum rude, & signatum, monimenta prisci æris, copiosissimam bibliothecam, magnificam, lautamq́; supellectilem & complura alia ostendisset, unde pacis ornamenta, & belli subsidia peti possent, illam ipsam imaginem ad extremum spectandam proponere ut rem omnium pulcherrimam, & pretiosissimam. atq; ut erat*

alienæ laudis fautor studiosissimus, industriæq;, & uirtutis prædicator officiosissimus, his uerbis utebatur. Is est, quem in omni genere amplissimum esse & uolumus, & iudicamus. is est, quem præceptorem habuisse loco summi beneficij, & honoris ponimus. is est cui summa omnia tribuimus. hunc unum ex omnibus Italiæ doctissimis uiris ita fictum habere uoluimus, ad nostráq; secreta admittere solemus, tum propter excellentem literaturam, uitæq; integritatem, & morum sanctimoniam, tum etiam propter incredibilem constantiam, & grauitatem, atque singularem in rebus gerendis industriam, & fidem. hæc res est, quam postremo spectandam omnibus exhibemus, ut omniū honorificentissimam, & carissimam. Digna profectò uerba eo Rege, qui Aragonum imperium auxerit, nomen ornauerit, gloriam amplificauerit. Quamobrē cum multa præclare domi, & foris ab eo gesta legimus, tamen ad nullum bonorū fructum illa redūdasse affirmare possumus. Quid enim communi hominum utilitati conducere potuit? illum adulescentem in Brutijs ex alienissimis populis amicissimos, ex infidelissimis, firmissimos reddidisse, animosq; nouarum rerum expectatione suspensos ad paterni imperij beneuolentiam traduxisse, cum id coactus præstitisse uideatur, quandoquidem & tanti regni moderator, & hæres paternæ, auitæq; gloriæ erat futurus, quæ omnino cecidisset, nisi patrem de summa rerum periclitantem iuuisset, & seipsum probasset non indignum ad quem tantarum rerum hæreditas pertineret. Quid ueræ laudis nancisci potuit? cum iuuenis in Hetruriam maximi exercitus dux uenit, multasq; urbes in deditionem accepit, cum bello persequeretur illos, qui iustiorem eo haberent causam, & de quorum uictoria maiore in luctu futurus erat uictor, quàm uictus. quod ne ita accideret repētinus Turcarum motus in extrema Italiæ parte effecit. Nam cum in Hetruria bellum propè confecisset à patre accitus in Salentinos mouere est iussus, ut quæ à Turcis occupata erant reciperet, pacatumq; regnum & ab omnibus exterarum nationum armis tutum redderet. Hæc quanquam mira celeritate confecit, peropportuna tamen mors Mahometi Turcarum Regis magnum adiumentum illi attulisse uisa est et ad uincendum, et ad triumphandū. Huius igitur clarissimi Regis memoriā colamus, propterea quod primus post tot secula intermissam consuetudinē ornandorū hominū reuocauit, et tale factum omnibus illius uictorijs, et triumphis, præclarissimisq; gestis anteponamus, cum præsertim honorem contineat, quem immortalem nos etiam ipsi Pontano habere debemus, quos ille tam recte non ui-

uus in ſcholis inſtituit, ſed in libris mortuus. Quis enim mille abhinc
annos omneis philoſophiæ partes cultius, & elegantius tractauit?
illuſtrauit? & in illis digerendis maiorem induſtriam poſuit, & di-
ligentiam? ut exiſtimem neminem eſſe qui commertium habeat cum
Muſis, id eſt cum humanitate, & doctrina qui ei non mirabiliter ap
plaudat, eum non celebret, colat, admiretur, ſuſpiciat, & laudes tan
ti ingenij non immortalitatis memoria proſequendas putet, cum tam
uaria, diuerſáq; illius opera tum ſoluta oratione, tũ carmine cõpoſita
euoluit. Age uero cuius ille, cuius uita ab honore populari, et ab illu-
ſtri gratia minime remota ſit futura, à q̃bus fontibus uberius poterit
haurire omnium rerum, & uirtutum uim? omnium officiorum ra
tionem? omniśq; naturæ, à qua mores homini ingenerantur, mutatio-
nem? Præterea ex cuius monimentis intellegere melius licet omnium
rerum pu. adminiſtrationes? genera? ſtatus? mutationes? leges? inſti
tuta? Ab hoc enim eruditiſſimo uiro, et ad communem hominum uti-
litatem nato, hæc omnia quæſita, obſeruata, deſcripta, & præcepta
ſunt. Omitto quod nonnullas philoſophiæ partes, de ea loquor quæ
ad mores pertinet, cum maiore fortaſſis hominum utilitate tractan
das ſuſcepit, quàm uel Seneca apud latinos tam uerboſis epiſtolis,
tamq; multis commentarijs obſcure, & illepide ſcriptis. uel Plu-
tarchus apud græcos dura illa ſua, et nimis ambitioſa oratiõe. Quid
enim unquam maiore iudicio et elegantia de obediẽtia, de utraq; for
titudine heroica, & domeſtica præceptum eſt? quæ ad fugiendam aua
ritiam & liberalitatem colendam magis ſalutaria præcepta dari po-
terant? quæ ad prudentem uirum ab imprudenti ſecernundum, &
magnanimitatem ſeruandam, et fortunæ uim intellegendam, & im
manitatem deteſtandã maiore copia, ingenio, acumine excogitata un-
quam fuerunt. Quæ uel potiora ad legendum, uel ad imitandum
accommodatiora in ſcriptis relinqui poterant, q̃ illa principis edu-
candi præcepta quæ ad Alphonſum tum Calabriæ, ut inquiunt,
Ducem miſit. Adde tot dialogos, & de rebus grauiſſimis diſpu-
tationes, in quibus cognoſcendis maiorem fortaſſe utilitatem capere
poſſumus, quàm cum Lucianum bonos omneis inſectantem, & di-
gnitati cuiusq; generis hominum illudẽtem legimus ubi multum ſcur
rilitatis urbanitatis parum deprehẽdimus. quod ueteres item in Ari
ſtophane annotarunt, quem propterea etiam multo inferiorem Me-
nandro ſtatuere uiſi ſunt. Quid de hiſtoria dicam? tam ornate, co-
pioſe, & prudenter ſcripta, ut illa ſola ſi extaret, & reliqua illius
opera deſyderarentur, authoris ſui nomen in perpetuam memoriam

propagare posset. Quæ ex antiquitate monimenta amplioris doctrinæ habemus quàm expositiones centum sententiarum latine loquentis Ptolemæi, & illa omni laude cumulata rerum cœlestium uolumina. Atque horum quidem librorum lectione omnino defraudati fuissemus, nisi Petrus Summontius uir tum ingenio, tum etiam doctrina excellens omnes ferè ab interitu, & hominum obliuione uindicasset, diligentissimeq; recognitos diuulgasset. Qua in re tanto uiro nos etiam operam nostram nauare uoluimus. Itaq; omnia eiusdẽ ipsius Pontani opera soluta oratione composita in tres diuisimus partes, ordinemq; illum in digerendis libris seruauimus quem ipse author uel instituisse uisus est, uel doctissimi uiri probasse, in primisq; Ambrosius Leo, quo ciue, & alumno propter multiplicem rerum cognitionem non minus patria Nola, quàm uniuersa Italia gloriari potest. Nec quicquam in his immutandum duximus ab eo, quod ante legebatur, nisi ubi græce aliquid scribendum erat, in quo librarij superiores ualde somniculosi a nobis deprehẽsi sunt. Ac tu quidem Altobelle Præsul sapientissime consilium eorum semper probasti, qui scriptores, tum ueteres, tum recentes, qui tamen idonei sint, ita admirantur, ut illos laborum, actionum, studiorum denique suorum tanquam exempla sibi proponendos statuant, nullaq; ratione patiantur eosdẽ ipsos ab imperitis quibusdam peruerti, et pro tempore, commodoq; suo excogitatis ineptijs contaminari. quod quidem cum in alijs multis facere solitus es, tum uel maxime in ijs, qui nostris temporibus legendo, commentando, scribendo de humano genere benemeriti uidentur. Itaq; non minus ingenuarum disciplinarum cultores se tibi debere profitentur, quàm urbs Roma, et resp. Christiana, atq; adeo illius princeps LEO DECIMVS. Siqdẽ in rebus dubijs, & difficillimis Italiæ temporibus, quæ IVLII II PONT. MAX. mortem consecuta sunt, Bononiam rerũ nouarũ cupidam, & iam penè tumultuantem in fide, et amicitia continuisti & pristinum animum erga summorum Antistitum collegium retinere coẽgisti. Nec multo post afflictis Heluetiorum copijs ad Mediolanum uniuersam Aemyliam, quæ in uictoris gratiam parum quietura uidebatur ad Pontificiam dignitatem defendendam, & iniurias si quæ libertatis Italicæ defensoribus fierent, propulsandas conuertisti. Hanc rerum gestarum gloriam cumulasti rara quadam, et admirabili fidei, ac pietatis laude, quam etiam non minore uniuersi Po. Ro. iudicio, quàm plausu amplissimam es consecutus. Nam in afflicta fortuna Rhaphaelis Rhiarij summa authoritate, diuinaq;

ſapientia, ac ſumma religione Antiſtitis, qui cum familiaritatis uſu, multiſq; officijs coniunctus eras, tam late uirtus, et induſtria tua patuit, ut nemo tam iniquus rerũ æſtimator ſit, qui tranquillitatem, et quietẽ ſenectutis Clariſſimi Antiſtitis magna ex parte tibi acceptum nõ referat. Quãobrẽ ab LEONE PONTIFICE MAX. *cum ampliſſimis uerbis laudatus, ſummiſq; præmijs ornatus eſſes, ad Senatum Venetum continuo te Legatum miſit, et quo magis honorificã, & illuſtria forent ipſius de tua ſingulari ſapientia, & uirtute iudicia, eam poteſtatem detulit, qua pauciſſimi ex ijs præditi eſſe ſolent, qui ſummũ ab eo locum obtinent, cum Legati ꝑ Italiam ad potentiſſimos populos, aut ad exteros Reges ꝑ prouincias mittuntur. quẽ ꝗdem honorẽ ſic te gerere uidemus, ut cum diligentiam oẽs admirẽtur, & ingeniũ, ſummumq; religionis cultum cognoſcant, ea tamen liberalitatis, et beneficentiæ exẽpla quotidie prodis, quæ optimi cuiusq; expectationi reſpondeant, & ſuperiorum omnium laudem uincant. Admirantur quidem boni omnes hanc tuam amplitudinem, & multo illuſtriorem ſe propediem eam uiſuros confidunt, ſed qui magis id faciat, atq; etiam ampliora tibi ominetur, quàm Robertus Magus uir ingenio, uſu rerum, & literatura præſtantiſſimus reperire adhuc potui neminem. Is enim ſiue mirifico ſtudio erga te, domumq; tuã ſiue liberalitate tua, qua potiſſimum fruitur, ſiue ꝑpetuo quodã de tua ſingulari uirtute iudicio non deſiſtit eos honores tibi precari, quos quidem tuæ naturæ, ac moribus deberi intellegit, nec alieni ſint à uirtute, ad cuius laudẽ natus, ſuſceptus, et maxime inſtitutus es. Tãtumq; amantiſſimi uiri authoritas apud me ualuit ut pro certo habuerim nullis inſignibus auſpicatius hæc monimenta decorari poſſe, ꝙ ſacratiſſimo tuo nomine. Dicantur igitur tibi hi omni rerum bonarum copia referti libri. atq; tuis in rebus merito eiuſmodi nomen uſurpare debemus cum non minus quæ tibi offeruntur ſacroſancta reddantur patrocinio quidem duo defenſa, & protecta, ꝙ ipſe ſis, in quo ornando, et ad ſummos honores efferendo ſanctiſſimus omnium* PONTIFEX LEO X. *omnem operam poſuerit, & ſtudium. Vale.*

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD ROBERTVM SANSEVERINIVM PRINCIPEM SALERNITANVM IN LIBROS OBEDIENTIAE PROOEMIVM.

h ORTANTE te, immo, & iubente Princeps Roberte, ut quos de obedientia scripsissem libros, tandem aliquando ederem, perdifficile uisum est exhortationem aut parum sequi tuam, aut non obtemperare uoluntati. Equidem edendis his abstinebam, non quod non libẽter ultimam eis manum imponerem, sed quia intellegebam quibus ipse me obtrectationibus exponerem, sciebamq; tutius apud neminem, quàm in qua nati domo essent, habitaturos. Etenim consyderabam, eos, qui nunc philosophantur, genus hoc dicendi (quanquam peruetus ipsum quidem, et philosophorum proprium) omnino improbare, aridas quasdam, nimisq; ieiunas, ac parum iucundas auditoribus dissertiones sectanteis, quas aut ipsi soli legant, aut pauci admodum eorum similes, ut mihi quidem uideantur non tam docere uelle, quàm litigare, nec ita studere, ut obscuras, atq; abditas res aperiant, quàm inculcare, atq; deijcere de gradu uelle suo philosophiam. Sed decet penè à situ uindicare conantem illam, minime prodire timendo, hortante te Roberte maxime, cuius ingenium cum suspiciant omnes, ego certe admirari nũquam satis illud possum, quod unus penè omniũ, qui uiuunt, Principum, studijs his delectare. Nam & historia nunquam tibi cadit è manibus, & philosophiam ita sequeris, ut dubium sit an studendo illi cognitione, & doctrina, an agendo quæ præcipit, uirtute, ac moribus plus proficias. Cuius prudens iudicium, etsi ubiq; probandum est, illa certe cum primis me mouit sententia, qua iudicasti nec philosophiam infantem esse debere, nec eloquentiam sine rerum ubertate, et pondere, quarum esset philosophia inuentrix, & magistra. Sequendamq; et in hoc, ut in plerisq;, maxime naturã esse, quæ in omnibus procreandis magnam habuisset ornatus, decorisq; rationem. Quod siqua in re utilis, ac necessaria esset eloquentia, ut certe est in rebus plurimis, tunc eam maxime requiri debere, cum de uirtute ageretur, comprimendisq; affectibus, quandoquidẽ hoc opus, hic labor esset, ut poëta inquit. Et uero si duobus his ratione, atq; oratione à brutis maxime differimus, seiungendæ & si nunquam aliâs, tunc multo mi

nus uidentur esse, cum animi informantur, & quibus potissimum mo
dis compescatur appetitus, qui communis nobis cum ipsis illis brutis
est, ratio ipsa docet. Qudmobrem egregiam istam tuam, ac maxi-
me ueram sententiam probantes, iure illos contemnimus, quibus nos
alio fortasse in tempore respondebimus. Accipe igitur libros hos, non
ut munus à me aliquod te putes accipere, sed ut qui de his iudicium
sis laturus. Quem enim iustiorem, ac sanctiorem iudicem de mori=
bus, deq́; hominũ uita dicenti mihi dari postulem, quàm te? qui cum
diuersos populos summa cum æquabilitate moderere, atq; iustitia, tibi
ipse sic imperes, ut cum in alios omne liberalitatis genus exerceas, mi
nime tute tibi indulgeas, quiq́; in beneficentia primus cum sis, aut ne
mini certe secundus, temperantia, continentiaq́; facile exsuperes o-
mneis. Etenim si eius, in qua uersatus diu quisq; est arte, optimus iu
dex est, ac si recte moratos, beneq; institutos non eos dicimus, qui qua
lis, quid'ue sit uirtus nouerint, uerum qui secundum eam uiuant,
Quis certiorem, ac ueriorem de moribus ferre potest sententiam,
quàm qui diutius in illis exercitatus cum summa etiam laude, atq;
admiratione fuerit, quiq́; non dicendo, aut intellegendo, magis quàm
prudenter fortiter, iuste, moderateq́; agendo uirtutem fuerit assecu-
tus? De his igitur iudicabis non alia ratione, quàm cum inter popula
reis tuos in dicendo iure soles, atq; eo accuratius, quod tua ista iuris
dicendi ratio quanquam ad multos pertinet, ad paucos tamen perti
nere uidebitur, si cum his contuleris, quorum ad omnes spectet utili
tas. De re enim omniũ agitur, cum de recte instituendis ciuibus, deq́;
animorum informatione agitur. Quos si probaueris, dignosq́; iu
dicaueris, ꝗ in lucem ueniant, tantum ne grauere cum alijs, tum uel
in primis Antonello optimæ spei filio præbere legendos.

OMNIS VETVS, Nouaq; philosophia, et omnis diuina, atq; humana lex in hoc uno maxime laborat, & tota nititur, ut motus animi rationi pareant, ne ueluti incustoditi, & passim uagantes liberius exsultent. Vbi enim appetitus à ratione digressus longius à signis processerit, imperij, moderationis'q; eius oblitus, atq; impatiens, præceps cõfertur, unde regrediendi raro sit potestas. Nam cum uolũtatem secum ipse rapiat, necesse est, ut turpia, atq; iniqua & agantur, et eligantur à nobis. Declarant hoc affectus ipsi nostri, ubi uehementiores fuerint, & actiones ab honestate recedentes. Quod si philosophiæ præceptis, legibus'q; obtemperantes animi motus inordinatos, atq; incompositos cohiberent homines, et sub rationis iugum mitterent, nec libido profecto, nec fortuna in rebus dominaretur humanis, et mortale genus liberum magis, atq; quietum ageret. Quãobrem magna quædã uirtus, & præcipuum hominis bonũ est obedientia. Cuius utilitas, ac uis tam late quidem pateat, ut nullum non modo grauius uitæ genus, sed ne minimæ quidẽ actiones, quæ tamen honestatem sequantur, eius uacent officijs, sine qua nec stare hominum societas possit, nec amicitia, aut coniunctio ulla. Nam cum natura ipsa iusserit hominem cœtus colere, & conseruare, ne soliuagus, & ueluti bellua passim erraret, nullæ sine obedientia coire ciuitates initio poterant, & postquam coiere frustra quidem leges latæ, creatiq; magistratus essent, si illis minime fuisset obtemperatum. Et quanquã participes rationis ipsi simus, male tamen nobiscum ageretur, si rationem contemnẽtes appetitum sequeremur, obedientia abiecta, cuius præcipuum munus est rationis colendæ, uoluntatis'q; conciliandæ. Quæ res efficit, ut cum maxime utilis sit mortalium generi, omni sit studio amplectenda, à qua et doceantur homines quẽad modũ cum uirtute, cum natura, cum Deo agi oporteat, et sine ea omnino nesciant quomodo parẽtibus, magistratibus, Regibus'q; parendũ sit, aut quatenus obsequendũ. Quod si huius tam eximiæ uirtutis excellentiã intueri altius uelimus, et contemplari, profecto uidebimus ipsorum etiam elementorum compagem, et cœli, inerrantium'q; stellarũ cursus, ac motus uarios, nisi suis parerent legibus, constare sibi nequaq̃ posse, cum ne sensus qdẽ, ac rationis expertia (ut eorũ propria sit obediẽtia, quæ ratiõe utantur) absq; eius possint cõsistere bñficio, et

munere. Est enim obtemperandi uis quædam rebus insita, qua singula quidem sibi inuicem cedant, ac naturaliter pareant. Has igitur tantas obedientiæ uireis consyderanti mihi digna res uisa est, quæ mandaretur literis, & illustraretur à me oratione, ne quæ in primis utilis, & necessaria philosophiæ pars est, neglecta ea, atq; inculta iaceret. De qua etsi quidam non ignobiles authores carptim, ac pauca quædam scripta reliquere, totam tamen complexus est nemo. Atque illi quidem, qui de hac re præcepere, uisi sunt aut ignorasse quantum uirtus hæc posset, aut ea solum attigisse,, quæ cum populo erant communia. Placet igitur primum ostendere, quæ sit eius definitio, & quæ partes, quo apertius intelligatur quid sit, de quo disputetur. Quod ante quàm præstem, paulo altius repetenda quædam sunt, ne aliquid in obscuro relinquatur, Quibus explicatis, aditum sibi ad cætera faciet oratio.

Obedientiam solius hominis esse propriam.

NIMALIVM DVO Sunt omnino genera, unum illorum, quæ licet sentiant, et suos habeant appetius, ratione tamen carent. Eorum alterum, quæ quod ratione prædita sunt, rationalia dicuntur à nostris. Horum duorum generum prius illud obedientia caret. quippe quæ in iis, quæ rationis sint expertia, non magis est, quàm iustitia beneficentia, pietas, fides. Quanquam Maro noster dicat. Fundit humo uictum facilem iustissima tellus. Sed concessum sit poëtis, & iocari, & lasciuire, quod eorum est facultatis, ijs autem, qui ueritatem aut solum, aut maxime sequuntur, eadem licentia nõ est. Muta enim animalia, & quibus nec mens nec consilium est, humanis carent & uirtutibus, & uitiis. Sed quid agas? uocabulorum inopia laboratur. Deum irasci, misereri, angi, turbari, furere, et quod languentis, ac defecti labore corporis est, et cessare, & quiescere dicimus. Quocirca minus admirari debemus, cum iratum mare, cœlũ clemens, apes Rẽp. habere, & futuris casibus prospicere, dixisse priscos legimus, aut cum Iura, magistratusq́; legunt, sanctumq́; Senatum. Nam et si in belluis quædam sint similitudines, et quasi uestigia humanorum affectuũ, uirtutes tamen, & uitia propria sunt hominum. Obedientia igitur, de qua his mihi libris explicandum est (nam quæ de angelis, dæmonibusq́; disseruntur, ea consyderanda theologis relinquo) propria est hominis, quæ quoniam duplex est, cur ita sit, ostendendum est, dicendumq́; de iustitia aliquid, ex qua obedientia ipsa deriuat.

Vt Iustitiæ sic Obedientiæ duplex genus esse.

e ST AVTEM IVSTITIA Habitus animi, per quem & agimus, & uolumus quæ iusta sunt, Et cũ iustus is sit, qui nihil plus, minus'ue appetat, quàm oportet, aut decet, sitq; idẽ et æqui, et legum obseruantissimus, iustum quoq; eandẽ hãc rationẽ sequetur. Nã et qđ æquũ, erit iustum, & quod secundũ leges. Etenim omnia, quæ legibus aut iubentur, aut uetantur, licet ea tum ad continentiã, tum ad fortitudinẽ, ac uirtutes alias nos instituant, arceant'q; à uitiis, tamen quia legibus præcipiũtur, iusta dicenda sunt. Hostem nãq; à populatione prohibere, murum defendere, uersari in acie, non deserere locum, non uertere terga, non abijcere arma, fortis quidem sunt. Alieno autem thalamo iniuriam non facere, neminem conuitiis incessere, minimeq; esse petulantem, temperati sunt hæc, et continentis hominis, quæ tamen ut iusta iubentur legibus, uetantur ut iniusta. Vt enim à uitiis, ac turpitudine quacunq; ciueis contineant, ita quidem præcipiunt, ac statuunt, ut uirtutum omniũ rationem habeant, prospiciant'q; communi omnium utilitati, et recte informandis animis, mirum quidem in modum conferentes, & ad adipiscendam, & ad conseruandam felicitatem, & quæ sunt partes eius, ac munera in ipso hominum cœtu, ciuiliq; societate. Est igitur iustitia quædam, non uirtutis quidem pars, sed quæ tum uirtutes cæteras, tum sibi cognominem iustitiam contineat, perfecta quidem, atq; ut Peripatetici dicunt, tota et integra uirtus, quam qui sit assecutus, is non modo utatur ea in seipsum, sed erga cæteros omnes, nec in rebus tantum proprijs, uerum etiam alienis, & publicis. Quippe qui aget ea, quæ tum ciuibus, atq; uniuersæ Reip. conducant, tum Principi, cuius arbitrio ipsa Resp. gubernetur, iure quidem & uir, et ciuis optimus, quandò uirtus, actiones'q; eius, quod maximum, ac pulcherrimum est, ad communem ciuiũ et Reip. utilitatem late spectent. Ex hac maxima, & uirtutum omnium excellentissima iustitia ortum ducit obedientia illa, ad quam pertinet obseruatio præceptorum, & institutorum omnium, quibus leges nituntur, & uirtutes ipsæ continentur, Nã de quacunq; uitæ institutione, ac uirtute præcipiatur aliquid, id ipsa amplectitur, ac curat. Est & altera iustitia huic, de qua dixi, cognominis, pars quidem eius, Cuius proprium munus est, cuiq; quod suum sit reddere, non in pecunijs modo, sed in honoribus, magistratibus, præmiis. Ad hanc eandem quoq; pertinet tum monstrare quid sequi, ac seruare teneamur in

emendis, uendendis, & mutandis rebus, tum docere quid deo, ac patriæ, quid parentibus, cognatis, amicis, ciuibus, peregrinisq; debeamus, & à quibus in uita cauere, ne furta, rapinas, incendia, parricidia'ue patremus, neu quem contumelijs, uerberibus'q; afficiamus, neminiq; uim afferamus. Nam non modo quod suum est cuiq; reddit, sed cauet, nequid omnino fiat, quod sit contra sanctam societatem. Ex hac item iustitia trahit originem altera illa obedientia, cuius officia seruanda sunt ab illis, qui eorum parere imperijs uolunt, quibus ipsi subiecti, atq; obnoxij sunt. Ac prioris quidem generis definitio hæc est, Obedientia est habitus parẽdi præceptis omnibus, quæ à ratione proficiscantur. Hæc autem, de qua posterius dixi, hactenus definitur, ut sit habitus parendi præceptis illorum, atq; imperijs, quibus lege, iure'q; parere teneamur, et, ut pareamus recta dictet ratio. Earum partes & recte fortasse quispiam esse dixerit pietatem, cultum, obseruantiam, reuerentiam, submissionem, his'q; aduersari ea, quæ sub inobedientia constituta sunt, impietatem, contemptum, contumaciam, irrisionem, elationem. Sed mihi placuit aliam potius differendis his sequi rationem, ne aut nouæ formandæ sint uoces, aut si utar communibus, parum proprie locutus esse uidear.

Vnde ortum habeat Obedientia.

VM AVTEM obedientiæ origo quærenda sit, & magni etiam philosophi tradant, iustitiam quandam esse hominis erga seipsum, ex quo fonte iustitiæ manent ciuilis officia, nimirum & obedientia quædam est cuiusq; in se, quæ appetendi uim rationi subijciat, atque ex hoc initio profecta facile postea suadeat & legibus, & principibus parendũ esse. Nam & amor ille, per quem natura duce quisq; seipsum amat, amandi alterius causa est, amicitiæ'q; ineundæ.

Quibus in rebus Obedientia uersetur.

N HOC AVTEM Obedientia uertitur, ut præceptis obediat, faciat'q; imperata. Præcepta sunt aut naturalia, aut humana, ut leges ipsæ. His accedunt & diuina, quæ inter naturalia numerare quidam malunt, quæ uero imperantur, proficiscuntur ab ijs, quorum ius, potestas'q; in nobis est. Verũ ne magis, quàm res exigat soliciti de uerbis uideamur, & præcepta, et iussa, et instituta, & ubi quid aliud simile cea-

derit, usurpare non dubitabimus, dum res eadem sit, licet uerba sint diuersa. Contingit tamen saepissime nulla praecepti ratione habita id agere quempiam, quod recte quidem, et cum laude agatur, licet actiones eae, in quibus ratio imperat, appetitus obtemperat, etsi aperta uacant obedientia, tamen occulta nullo modo uacent. His igitur explicatis ad ea, quae sequuntur, transeamus.

De principijs Obedientiae.

PRINCIPIO natura ipsa generi hominum consulens, alterum conciliauit alteri ad uitae inter ipsos societatem, & coetus celebrationem. Et cum initio in agris agerent, paulatim ratione ipsa impellente domos sibi fecerunt ad aestus, ad frigora, & alia incommoda arcenda, donec oppida quoque habere coeperunt. Quibus conditis, cum ea, quae inter ipsos erat uitae communitas, nec stare diu, nec crescere posse uideretur absque communibus institutis, leges sanxerunt, quibus parere uniuersa ciuitas deberet. Ac repetenti mihi, & animo inquirenti conditarum legum causam, uidentur principio leges latae non tam necessitate (quae enim illis temporibus, & in tanta rerum inopia improbitas, malitiaque esse poterat hominibus, pro uictu, et uestitu, et ijs, quidem e glande, ac ferarum tergoribus solum laborantibus) quam futurarum rerum prospicientia quadam, quo uidelicet humanus animus parere legibus assuetus, crescente rerum copia cupiditati modum statueret, quem egredi nefas putaret. Vnde poenae postea adiectae, ut quos ratio non posset, metus contineret. Et cum antiquissimae legum sint, quae late dicuntur à Mose, quem tamen post humanarum rerum principia multis etiam seculis fuisse constat, quaedam ab illo sic statuuntur, ut facile sit iudicatu, non tam commentatum esse Mosen quales essent leges, quas ferret, quam quemadmodum uteretur ciuitate quammaxime obediente. Filium, inquit, non audientem parentibus, populus lapidibus caedito. Haec quidem poena etiam si manum in parentes iniecisset, iniquior uideri potuit. In animaduertendis enim criminibus, inspiciendum in primis est, ne poena maior sit culpa, tantaque quispiam poena afficiendus est, quantam aequitas, humanitasque patitur. Quod tamen ab illo statutum est, quo et malum (ut ipse ait) e medio pelleretur (iudicauit enim inobedientiam ciuitatis pestem esse) et caeteri deterrerentur exemplo. Alibi quoque. Qui elatus superbia sacerdotis imperio, iudicisue decreto parere contempserit, is morte poenam luito. Sunt & talia multa in illius tabulis. Quid illa lege durius non à barbaris, sed à Romanis humanissima gente, et lata, & seruata con

stanter? Miles, qui extra ordinem cum hoste manum conseruerit, securi percutiatur. Quid fugienti facere peius hostis potuisset, quàm ut gladio eum enecaret? Quorum quidem omnium causa fuit aut sola, aut maxima, hæc, de qua disputo, obedientia, cuius magnitudinem, utilitatem, addo et decus, nemo unquam admirari satis queat. Solomon Iudæorũ Rex, qui ex ijs, quæ reliquit scripta, sapiẽs agnominatus est, quanquam incultioribus uerbis, recte tamen, ac magnifice de obedientia sentiens, Vir, inquit, obediens loquetur uictorias, & melior est obedientia, quàm uictimæ, & auscultare maius, quàm offerre adipem arietum. Quid? quod tanquam dux ea sit ad sapientiam assequendam. Concupisti, inquit, sapientiam, serua mandata. Cauet etiã deus apud Mosen, ne primi illi homines ligno uescantur, non quod noxium illud esset, nullam enim nocentem ipse stirpem genuerat, sed ut habere se dominum intellegerent, demereréq; studerent illum præceptis eius obtemperando, et ab eo, quod licet nec malum quidem per se, nec natura nocens esset, tamen quia uetitum abstinendo, beneuolentiam domini obsequio sibi compararent. Christus quoq;, ut ad hanc nos potissimum uirtutem inuitaret, E cœlo inquit descendi, non ut meam ipse uoluntatem faciam, sed eius, qui misit me patris. Quamobrem affirmare non dubitem, in quo uera, & stabilis est obedientia, adesse ei plurimum, & ad hanc, & ad futuram uitam bene, beateq; degendam.

De præceptis, quæ ad primum obedientiæ genus pertinent.

QVONIAM autem obedientia, ut dictũ est, in tenẽdis præceptis uertitur, duplicem'q; eam fecimus, primo loco dicendum uidetur de præceptis ijs, quæ ad primũ illud obedientiæ genus pertinent, quæ ortum habet, ut dixi, à maxima, & uirtutum omnium excellentissima iustitia. Nam de secundo genere obedientiæ, sequentibus libris abunde disputabitur. Præcepta igitur alia priora sunt, ac latiora, alia ut posteriora, sic & contractiora. Sed mihi de prioris obedientiæ præceptis libro hoc dicenti, placuit quædam primo loco tanquam in fronte constituere, cætera ut quæq; fors tulerit, collocabuntur, aut nullo, aut certe q̃minimo delectu habito, nihil enim referre duxi. Primum igitur & omnium hominum commune præceptum est, rationi ut pareamus, eamq; ducem, ac moderatricem sequamur in uita omni, & in dictis, ac factis quibusq;. Qui enim rationem ita abijcit, ut contra eã

nitatur, speretq; sine illa posse se recte aliquid, & cum laude agere, is dignus est, qui iure inter belluas numeretur. Nam cum rationem abijciat, id abijcat, cuius gratia homines à belluis differunt, & cæteris animantibus præstant. Recte etiam præcipitur, ut locis, negotijs, temporibus, ac personis, quas gerimus, nos accommodemus; nec concedamus poëtis ut materiæ seruiant, Nos uero in uita agenda, & rebus gerendis, rationi hæc ipsa præcipienti repugnemus. Etenim cum ars omnis præceptis constet, sequaturq; rationem, nullus esse artifex bonus poterit, qui quæ facit, nec moderatur, nec artis suæ præcepta seruat. Itaq; non aqua, non igni, ut aiunt, in pluribus utimur, q̃ obediẽtia. Nam terram primo arare, mox iterum, ac tertio uertere, deinde serere, occare, sarrire, artis eius præcepta sunt. Ars uero rationẽ sequitur, quæ docet obsequi temporibus, regionibus, seminibus, quæ quanquam sensu, & ratione carent, impellente tamen obtemperandi ui illa, quam rationis expertibus insitam esse dixi, parent naturæ, quæ & ipsa seruit Deo, Cui, ut Cicero etiam ait, et mundus hic paret, & maria, terræq; obediunt. Age, quid in re militari tam necessarium est, aut duces ipsi à milite prius exigunt, quàm ut eum habeant quammaxime obedientem. Declarant hoc et tubarum cantus, & signa, & quotidiana ferè ducum edicta, et quod sæpissime quæ capitalia non sunt, tamen quia nullum dari inobedientiæ locum uolunt, habent ea pro capitalibus, cum sciant maximas aliquando copias fuisse fusas paucorum militum culpa contra edictum agentium. Prædones quoq;, & qui piratæ dicuntur, quanquam iniustissimi sunt ipsi quidem, & ab omni ferè uirtute longe absunt, unam tamen obedientiam mirifice amplectuntur, cuius tantum apud eos studium est, ut signis agant pleraq;, atq; ex ipso sibilo remiges intellegant facere quid quenq; oporteat.

De quibusdam generalibus præceptis rationis.

e T QVONIAM totus hic sermo futurus est de obediẽtia, quã solius hominis esse dixi, is qui e ex omnibus animantibus unus est rationis particeps, quam seq, & ad quam se adiungere in cunctis debet: Dicendum etiã de ijs uidetur, quæ ratio ipsa iubeat, quam quidem partem attingam magis, quàm explicabo, ne si singula persequar, modum excedat oratio. Sunt igitur rationis præcepta illa quidem, ut nullus animi motus, nullaq; nostra actio, aut electio recedat ab honestate, eosq; nos institua

mus, ut nihil nisi quod honestum, & iustum sit, aut appetamus, aut agamus. Cogitationes quoq; ipsæ coërcedæ sunt. Etenim qui eas sic euagari permiserit, ut quod in obscœnis fit atrectationibus, blande illis, molliterq; indulgeat, difficile nimirum est, sola hunc mentis agitatione contentum esse, ut non opera perficiat, quod longa est cogitatione meditatus. Nam etsi consentiunt omnes motus primos, & titillationes illas, quæ tum uisis tum auditis excitantur, non esse iuris nostri, tamen si motus eos, & in primis dulcia sensuum delinimenta frequens, ac blanda comitetur mentis agitatio, non modo nostri non erũt iuris, sed, quod detestabilissimum est, sui nos iuris efficient, improbitatis, impietatis, & scelerum plurimorum reos. Quod si damnati in iudicijs etiam leuis contumaciæ pœnas luimus, plectimurq; à prætoribus & magistratibus, quibus nos affecturus est supplicijs Deus, qui cogitationum quoq; nostrarum rationem est exacturus? Vbi legibus suis, quæ perpetuæ quidem sunt, repugnantes fuisse conuicerit. Et quoniam duo plurimum in nobis possunt, ratio, & appetitus, atq; altera nos doceat quid uerum, aut falsum sit, & quid probare, aut improbare debeamus, Alter uero quod quisq; sequatur, & à quo declinet, recte etiam præcipitur, ut ratio imperet, appetitus se obedientem præbeat. Cui præcepto qui paruerit (parere autem omnes debẽt) ea sibi eliget, atq; proponet, quæ prudentis uiri esse propria ĩtellexerit.

De Prudentiæ officijs.

SVNT AVTEM prudentiæ munera, ut tum nobis, tum amicis, ciuibusq; & cæteris alijs recte consulere, utiliterq; debeamus, eaq; quæ utilia futura sint, publice, priuatimq; prospiciamus, iusta tamen, honestaq; non deserentes. Ac tametsi non omnibus concessum sit uersari in magna Rep. aut moderari populos, & in paruis tamen oppidis & in re familiari, & in ijs, in quibus ipsi uersamur, quæq; ingenij nostri fuerint, licitum sit prudentiæ seruare præcepta, quod & uillici assequuntur, nedum mercatores. Nulla enim res siue parua, & angusta, siue magna, & ampla, absq; prudentia non modo non augeri, & crescere, sed ne breue quidem tempus salua esse potest. Quisquis igitur in ijs se exercuerit, quæ ad se pertinere suæq; curæ, & officii esse intellexerit, ab institutis prudentiæ minime recessisse censendus est. Nam cum prudentis intersit rebus suis prospicere, sibiq; et bene, et ex usu consulere, hoc efficere nequaquam poterit, qui ad ea, quæ sui officii

non erunt, operam suam conferet. Quæ præcepta qui seruare, & parere eis contempserit, is nec ciuis bonus, nec paterfamilias frugi esse poterit sibi, patriæ, liberis, ciuibusq; inutilis, nihil sanè nec acute prospiciens, nec cum ratione sequens, aut deliberans cum consilio, fraudibus hominum, & fortunæ ictibus semper expositus, quiq; & incognita pro cognitis habeat, & illis sic assentiatur, ut tanquam cæcus, uadensq; per itinera salebrosa, & ignota, ad passus singulos erret, labatur, offendat, concidat, in omni re & familiari, & ciuili. Quod si ridere solemus eos, qui incompertum aliquid pro comperto afferunt, aut si ex ijs, quæ iecerint, principijs struere aliquid tentent, quod ex illis oriri minime possit, quibus illum sibilis eijciemus è prudentium ciuium numero, qui sic peccauerit, ut non solum ignoret qd agendum sit, uerum id probet, ac sequatur, quod sit uel maxime improbandum, tanquam agendis rebus omnino contrarium. Sunt tamen nonnulli, qui acute quidem perspiciant, & quid in agendo sit aut tenendum, aut abijciendum planè & intelligant, & disputent, Vbi uero usus uenerit, destituti consilio, & tanquam manci inconsulte omnia, & temere agant. Cum quibus male agitur, siquidem non in cognitione, & perspicientia, sed ut Cicero inquit, uirtutis laus omnis in actione consistit. Cum autem actiones ipsas nostras quasi magistra quædam prudentia præmonstret, & corrigat, doceatq; quid in agendo seruare ipsi debeamus, & à quo cauere (quod est uirtutis huius proprium), Hæc qui aspernabitur & audire parum uolet, is non modo prudens non erit, sed ne iustus quidẽ, aut temperatus ullo esse modo poterit. Verum de iustitia, & temperantia postea. Nunc breuiter, quid in conseruãdis fortitudinis, & constantiæ muneribus ratio ipsa præcipiat, explicabo.

De Prudentiæ, Constantiæq; muneribus.

PRAECIPIT AVTEM In primis, ut mortem, quæ quidem pulcherrima futura sit, non modo ne timeamus, uerum læti ad eam, alacresq; accedamus animo magno, & res humanas contemnente adeuntes pericula, quæ illam uideantur allatura. Nam cum fortibus uiris propositum sit, ut decus assequantur, sitq; hic quidam fortitudini constitutus finis. Ad hæc cum abiectissimus quisq; turpissimam uitam, honestæ morti anteponat, quis dubitet magnum illud quidem, & admirationis plenum fore, quod è mortis contemptione compare-

tur? quam mortales arbitrentur esse, malorum omnium maxime formidolosum. Fallitur autem quisquis praeclarum fortis nomen uindicasse censeat aut hūc, quem nec terraemotus exterreat, nec item alia, quae ingenium hominis, uiresq; excedant. Aut illum, qui ante quàm periculum adeat, & tuba signum dederit, nihil non minitabundus, ac ferox audeat. Nam cum fortis sit uiri mortem magis contemnere, quàm uitam odisse, fortem eum esse statuo, qui qua hominem se esse meminerit, timeat quidem, tamen non ut homuntio aliquis, aut muliercula, sed quàm uiro conueniat. Quippe qui in subeundis periculis neq; deseretur à ratione, neq; abijciet animum, minimeq; cedet laboribus, aut succumbet erumnis. Quin ubi in discrimen uentum fuerit, ita in acie, periculisq; uersabitur, ut mortem oppetat ante, quàm destituatur animo. Quibus uero laudibus efferenda fortitudo sit, & quantis prosequenda meritis, christiani maxime declarant. Eum enim, qui pro religione, pro Deo, ac sacris uitam amiserit, inter diuos referunt, et illius tanquam numini, aras, ac templa dedicant. Huic enim ipsi christiano pro aris, ac focis in pugnam eunti, mirum est, quàm nihil omnino desit, immo quàm plene assint omnia, quae ad fortitudinem pertineant. Neq; enim aut pudore, aut metu aliquo pugnā ciet, neq; sibi aut desperat subitis, improuisisq; casibus perturbatus, aut ita fidit, ut persuasum habeat nihil omnino sibi timendū esse, non hic dolore commotus, aut offensiōe aliqua in hostem fertur, non fretus uiribus, aut militari disciplina, aduersarium prouocat, non ut praeda onustus redeat, uitam obiectat periculis, sed animo sedato, uolens, sciensq;, et, ut ait Horatius, in seipso totus teres, atq; rotundus certamen init, mortis adeo securus, ut non modo summum decus, sed summam, ueramq; beatitudinem se credat adepturū, atq; inter diuos futurum, quibus cum aeuo fruatur sempiterno. Recte etiam monemur, ut animo magno et elato externa despiciamus, aduersaq; ita feramus, & ea, quae laboris, atq; acerbitatis plena saepe multa contingunt in hominum uita, ut non modo non succumbamus illis, sed uiribus etiam maioribus contra ea nitamur. Praestandum quoq; ut inuictos nos aduersus corporis uoluptates geramus. Etenim qui dominandum eis se permuserit, licet hostem saepius uicerit, et albis equis capitolium ascenderit, in magnis tamen uiris non est habendus. Qua in re illud iudicandum est turpissimum, qđ nōnulli ut eas adipiscantur, imperitae multitudinis errore ducti, nō tantū grauissimos labores suscipere, sed uitam etiā ipsam offerre parati sint, q mihi nihilo plus agere uidētur, q̄ ut cū labore, ac periculo

turpissim

turpissimi euadant. Quod in primis ratio ipsa uetat, & tanquam ex eminenti suggestu nos alloquens cohortatur, atq; confirmat, ut contra inhonesta, indecoraq́; fortiter dimicemus, & ita stemus in acie, ut discedamus è pugna superiores, quod his armis, ac telis assecuturi simus, si quæ uulgus maxime admiratur, & expetit, ea tanquam momentanea despiciamus, et quasi uenenis imbuta, repellamus à nobis. Ne uincamini, inquit, cupiditate diuitiarum, quæ fortes uos facere minime possunt, At improbos, flagitiosos, detestabiles possunt; neq; certabitis ut pecunias quammaximas possideatis solum arcæ explendæ intenti, sed ut ne egeatis; ijsq́; abundetis, quæ uobis, liberisq́; uestris, familiæ, cognatis, amicis, ad uictum, ad cultum, et usus uitæ alios necessaria uisa fuerint, scientes illũ esse diuitijs finẽ constitutum, ut recte eis, atq; honeste possessor utatur. Caucbitis etiã ne opes, potentiamq́; cõuertatis ad uim afferendã, iniuriamq́; faciẽdã. Neq; enim q faciunt, sed q propulsant iniuriã, magni, et præstantis sunt animi, nec pro honoribus, magistratibus, imperijs ita contendere uelitis, et digladiari, ut aut honestas deseratur, aut non interdũ deponendi plus ualeat, quàm accipiendi ratio, quod uiri fortis est, uereq́; magnanimi, non in honoribus, aut magistratibus decus illud positum iudicantis, pro quo præstantibus uiris omnis solet esse contentio, sed in honestate, & pulchritudine animi, qui non ad opinionem uulgi, sed ad conscientiam, seq́;, suaq; ipse referens, non uideri quidem, sed esse talis uult. Scit enim nihil fictum, nihil fucatum posse cum fortitudine conuenire, in qua sint stabilia, & firma omnia, contra in illis læuia, & caduca. Cauere etiam studiosissime oportet, ne secundis elati, & rerum copia effluentes, in luxuriam, superbiã, impotentiamq́; dilabamini, quæ uitia fortibus uiris omni sunt studio fugienda, quippe quibus illud propositum esse semper debet, ut nullis animi perturbationibus, affectibusq́; uincantur. Quid enim turpius, quàm quem aduersa nequijt fortuna frangere, eum frangat secunda? aut qui morti, quæ cum decore futura sit, non cesserit, cedat iræ, libidini, inclementiæ, crudelitati? Hæc præcepta seruãtem, licet fortiter, uiriliterq́; & uiuere, & mori: Contra uero aduersantem eis, abiecte, inconstanter, effœminate. Ac de fortitudinis institutis, quibus parere, & quæ seruare debeant, qui excellere inter homines uolunt, quam excellentiam sine hac, de qua disputo, obedientia, assequi nullus poterit, Satis hic dictum sit.

De temperantiæ muneribus.

NVNC DE temperantia, quam profecto in uoluptatibus, & doloribus esse statuo, quanquã nec omnibus quidẽ, nec eodem modo, ut Peripateticis recte placet. Neq; enim intemperans aut is est, qui publicæ, priuatim'ue detrimento accepto dolet, aut amicorum ægre fert orbitates: Quo dolore qui sit affectus, longissime absit à turpitudine, atq; intemperãtia. Sed nec ille qui bene de Rep. meritus, tanquam uirtutum suarũ præmiũ sit aliquod consecutus, uoluptatem capit ex honoribus, Magistratibus, aliis'q; publicis fungendis muneribus, eæ nanq; uoluptates non corpus, sed animum potius afficiunt. Quo circa cum in iis, quæ corporis solum uoluptates sunt, uersari temperãtiam uelint, uidetur temperatus is esse, qui in uoluptatibus, quæ tactione potissimum gignuntur, ipse sibi temperet, nec solum temperet, sed ubi uel carendũ illis, uel abstinendum fuerit, æquo id ferat animo, cui etiam abstinentia ipsa iucunda sit. At intemperato et uoluptatum harum abstinentia grauis est, & earum carentia ægritudinem affert, atq; in capiendis illis, nullus nec modus adest, nec mensura. Quod intemperantiæ uitium cum abiecti, & degenerantis sit animi, recte præcipitur nobis, ut eas omnino uoluptates fugiamus, quas qui sequatur, is, ut ait Cicero, nomine tantum homo, re autem bellua sit, cuius proprium est corpori inseruire, & iis solum uoluptatibus, quas tum è pastu, tum è ueneris quærit rebus. Turpissimum enim genus est hominum illorum, qui in uentrem proiecti, ac libidinem, ueluti sues, cœno sordibus'q; uolutantur. Licet autem difficile admodum sit contemnere uoluptatem natura nobis insitam, Cuius etiam uis tam late pateat, ut actionum, affectuum'q; nostrorum sit comes, sequatur'q; uel illa, quæ agenda eligimus (cum honesta, & utilia iucundi speciem præseferant) eo tamen magis contemni à nobis debet, quo laudabilius est rẽ natura insitam, &, ut ait Aristoteles, nobiscum à pueris una educatam, reprimere, & continere. Nam qui eam sic abiecerit, ut quasi radicitus euulserit, is mihi naturæ hominis uidetur oblitus, aut humana esse conditione maior, ut qui aqua, & herbis in solitudine uitam ducunt, rerum ueneris omnino inscii, quales fuisse Anachoritas plurimos, & ipsum illum Ioannem Baptistam memoriæ proditum est. Verum cum uoluptatis commune quidem nomen sit, et uoluptas ipsa nec semper, nec ubiq; sit turpis, non omnes corporis, sensuum'q; uoluptates intemperantes nos efficient, ut dum lyra delinimur, laborem'q;

solamur cantu, aut naribus admouemus flosculos, seu in Iocti aliquas, Gentilis'ue picturas egregias conuersi, in spectandis illis oculos pascimus, et tanquam ipsi reficimur. Quis autem quamuis durus, & acer uoluptatis contemptor, non moueatur, ubi in aliquem facetum, & urbanum hominem inciderit? Vide quàm non sit hoc uitiosum, quod urbanitas uirtus est, et iocus nulli non hominum aliquando concessus, cum etiam uideamus de Deo, ac religione disserentes in templis, uti eo, quem tamen neq; multum, neq; petulantem oportet esse, sed libero homine dignum. Age quem suauissimi poëtarum uersus mouerit, hunc'ne nos intemperantiæ accusabimus? An eum potius, quem cognouerimus ueneris resolutum illecebris, aut palato seruiētem? Hūc enim quod uoluptates hæ communes sint cum belluis, illarum similē dicemus, Homerum secuti, qui Vlyssis socios Circes carminibus, idest fœdissimis uoluptatis delinimentis in porcos dixit fuisse conuersos. Quanquam uehementer etiam reprehendendi sunt, qui tum unguētorum, tum epularum capiuntur odoribus, quod his earum rerum memoria reuocentur, quarum ipsi cupiditate nimia teneātur. Quibus enim intemperantiæ stimulis credibile est illum agi, qui inter odores positus, totum se fieri nasum optet? ut est apud Catullum, tametsi iocetur ille, ac facetus uideri studeat, quiq; adhibitus in cœnam obstupefactus potu, atq; pastu, queratur de natura, quod tam breue homini guttur dederit. Satis compertum habeo Barcellone in Hispania paucis ante annis Beltrandum cognomine Ferrerium in uenere exspirasse. Legi & Gallum Equitem Romanum eodem intempe rantiæ, ac mortis genere è uita excessisse.

Coërcendas esse cupiditates.

IGITVR ut ab ijs cauere uitijs possimus, in quæ facile prolabimur, ipsa nos ad ea rapiēte natura, recte præcipiuntur hæc, ut cupiditates illas, quas è nostris quidam concupiscentias uocare maluerunt, coërceamus. Coercentur autē abstinendo, et tēperando. Quippe quarū natura sit usu ipso magis magisq; incēdi, & luxuriare, eo uero cessante remitti, atq; extingui. Quo magis eni ueneri, palatoq; conceditur, et curæ plus ipenditur, hoc amplius titillātis illius uoluptatis appetitio crescit infinita et insatiabilis. Et q͂a nihil est tam seruile, et abiectū q̄ uoluptatibus esse deditū, illas maxime uoluptates coërcere conabimur, quæ partim cōes, partim propriæ dicūtur à philosophis, quas si eruere neqerimus (quod enim firmius hæret, & radices naturaleis habet, euelli uix po

test, pullulantes certe, et in proceriores ramos exeuntes amputabimus, boni agricolae exẽplo, qui ramos inutiles, nimisq; lasciuientes deputat, atq; ut Maro inquit, Luxuriem segetum tenera depascit in herba. Quamobrem cibo, & potu sic utemur, ut reficiamur quidem illis, non impleamur, deq; statu hominis eijciamur, ne dicendum sit quod Terẽtianus ille, Vicit me uinum, quod bibi, Sed hic, quod ebrium se esse sentiebat, minus fortasse uituperandus est. Illos uero quis ferat, qui inter ipsas epulas ea agunt, quae dictu quidem turpia, atq; obscoena sunt? Quosdam non delectant nisi exquisitissimi, & quaesiti trans maria cibi, ac magno empti, quorum felicitas haec est, potando, scortando, epulando, rem censumq; absumere, quales fuisse Montanum, atq; Apicium legimus. Quid ille quàm studiosus palati fuisse credendus est, & gulae semper seruiens, ut quidem fuit, qui se mel aspecti littus dicebat echini? Huiusmodi homines necesse est in dies intemperatiores fieri, cum quotidiana libidini suae irritamentis his fomenta praebeant. Quid de usu ueneris loquar, & appetitu, qui tantas sibi uires capere interdum soleat, ut neq; sexus, neq; cognationis discrimen haberi ullum permittat? Biblis, inquit poeta Sulmonensis, in exemplo est, ut ament concessa puellae, Biblis Apollinei correpta cupidine fratris. Et quoniam non tantum est authoritatis in fabula, Nuper Ioannes Armeniacensis ex Galliarum regulis sororem suam ijsdem ortam parentibus duxit uxorem. Ferunt brutios pastores pecudibus equabusq; misceri solitos. Sed haec non absq; rubore referri possunt, & licet reprehendantur à nemine, per se ipsa ostendunt q̃ sint turpia, & flagitiosa, declarantq; quãta sit intemperantiae uis ad postremam etiam immanitatem. Verum ut quas dixi cupiditates coercere possimus, praeceptis ijs parendum nobis est, quae quidem iubent, ut neq; turpibus, obscoenisq; gaudeamus, neq; si honesta sit laetandi causa, ita efferamur gaudio, ut gestire uideamur. In altero enim praescribenda lex est, in altero modus retinendus, ut non modo non capiamur uoluptate rerum earum, quae inhonestae sint, & indignae homine, sed ut modum quoq; in illis retineamus, quarum delectatione honesta moueamur, et gaudio affici liceat, rursusq; ut oblatis uoluptatibus abstineamus, atq; ubi subductae illae fuerint, aequo id feramus animo. Voluptas enim tum absens, tum erepta per uim incredibiles solet dolores excitare. Videre licet apud Homerũ quo animi furore, quaq; impotentia ob ereptam sibi uirginem Achilles rapiatur. Alcesimarchus ille Plautinus de nimio dolore, amorisq; impatientia, audi quibus clamoribus caueam impleat. Credo ego

amorem

» amorem primum apud homines carnuficinam commentum. Hanc
» de me coniecturam domi facio, ne foris quæram, qui omnes homi
» nes supero, atq; antideo cruciabilitatibus, iactor, crucior, agitor, sti-
» mulor, uersor in amoris rota miser, & quæ sequuntur. Et tan
quam parum hoc esset, ubi eius, quam amabat, copiam fieri sibi despe
» rat, gladium stringens, in quē incumberet, Accipe me, ait, ad te mors
» amicum, & beneuolum. Intellexit poëta solere dolores hos quàm
proxime ad insaniam progredi, ubi parum fuissent compressi. Ex his
igitur satis apparet appetitum libidinis, si dolori indulgeatur, augeri
adeo, ut mentem ipsam è suo statu persæpe deiiciat. Quamobrem si
temperantes esse uolumus, obedientiæ memores huiusmodi appetitus
subiiciamus rationi, nec (quod puerorum est) imperare nobis illos si-
namus. Ipsis'q; uoluptatibus cum offerentur, aut abstinebimus, aut in
capiendis illis modum certe retinebimus. Turpibus uero, & qui-
bus minime debemus, nullo pacto delectabimur, nec si honesta læ-
tabimur causa, modum abiiciemus, neque etiam frangemur do-
lore, ubi quibus frui consueuerimus uoluptatibus carendum no-
bis fuerit, sed illorum potius uicem, qui sic affecti fuerint, misera-
bimur. Cupiditatibus uero hactenus afficiemur, ut cum maxime, tum
mediocriter moueamur, atq; ad ea tantum cupienda, quæ cur cupian
tur ratio nos docuerit. Temporis quoq; memores esse oportet, & per
sonæ, quam gerimus. Demum in uoluptatibus cunctis illud maxime
obseruabimus, ut neq; ualetudini noceant, neq; aduersentur honesta
ti, habeatur'q; facultatum ratio. Quæ præcepta seruantes, & intra
præscriptum obedientiæ persistentes, nimirum temperati erimus, frue
mur'q; uoluptatibus iis, quæ temperantis sunt propriæ, Eæ autem sūt
cum mediocritate, et raræ. Nāq; et uoluptatē cōmendat rarior usus.

De Continentia.

TEMPERANTIAE Finitima est continentia, nam & ipsa in eisdem exsistit uoluptatibus, latior ta men est continentiæ campus, cui & ira materiam sup peditat, & pecuniæ, honoris'q; studium. Qui enim ue hementius irati excandescunt, aut de re amplianda, magistratu'q; fungendo, adeo soliciti sunt, ut uicti cupiditatibus moderationis, hone statis'q; metas pertranseant, hos quoq; incontinentes uocamus. Differt etiam ab intemperato incontinens, quod ille cum iudicet uoluptati-bus indulgendum semper esse, easq; sibi & proponat, & eligat sequē

das, nec sententiam mutat iudicio suo falsus, nec incepti poenitet. Hic uero nec ignorat foeda se facere, nec electione peccat, sed nimia cupiditate praeceps rapitur, ut cum ait apud Nasonem Medea.

" -Video meliora, proboq;,
" Deteriora sequor, -

Vnde et poenitudinis plena incontinētia dicitur. Igitur continētia cū recto utatur iudicio, nec in turpium cognitione fallatur, quae quidem ipsa improbet, ac damnet, soli rationi intendens, ad eamq; usq; se accommodans, recte nobis ab hac ipsa ratione praecipitur, ut rerum earum, quae uoluptatem gignūt, primo delectum habeamus, deinde uitemus excessum. Delectus autem tum probe habebitur, cum ea, è q bus uoluptates procreantur, secernemus, quorum, ut Aristoteles tradit, alia necessaria sunt, ut cibus, potus, uenus, quaeq; ad corpus tantū ptinent, de quibus supra disserui, cum de temperantia dicerē. Alia, quae tametsi necessaria ipsa non sunt, expetenda tamen uidentur, ut domus magnifica, et in ea supellex egregia, ut praedia, tum rustica, tum urbana, ut multitudo clientū, ut opes in ciuitate, ut honores, ut tituli, & quae alia uel numerantur in bonis, uel certe media sunt. Hoc igitur delectu habito, danda est in primis opera ne comparandis, atq; utendis illis modū deseramus. Nā ut Horatius ait,

" Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui
" Vltra q̄ satis est, uirtutem si petat ipsam.

Horū igitur omniū, quorū excessus tantum improbantur, una haec regula est, ne qd nimis. Iure autē Salmoneus fulmine ictus à poëtis dicitur, diuū sibi dū poscit honores. Quid illo dicto improbius? lucri bonus odor,è re qualibet. Alexander tot regum, & nationum uictor, à foedissima in cōtinentia non uno modo uincitur. Nam dum è deorum uult se natum semine, matrem Olympiadē, ut impudicam accusat, Philippi patris ueluti abiecti homuntionis pudet, & Iouem libidine captum de nitidissimo coeli loco in immundissimas terrarum sordes trahit, hoc ipso incontinentior, ac detestabilior, quod dum Iouis se filium mentitur, scortis, ac uino infra inquinatissimos deijcitur. Est & alia continentiae laus, quod cum proprium constantiae munus sit, dolori resistere, & aequo animo illum ferre, quasi parum hoc sit, contenta non est doloris ista tolerantia, nisi & eum uincat, ut eo magis constantiae praeferenda sit, quo pulchrius est uictorem è pugna discedere, quàm non uictum. Quamobrem ut continentes ipsi simus, uoluptates cohibendae sunt, doloresq; superandi, in primis excutienda mollities, quam et pannus bombycinus urit. Quod ut facilius assequamur,

Cicero audiendus est, à quo quia multa de temperantia, continentiaq́; disseruntur, placuit eadẽ illa paucas referre. Præcipiuntur autem hæc maxime, ut in omnibus dictis, factisq́; animum à perturbationibus liberum habeamus, ne libidine, aut metu aliquo commoueamur, aut uoluptate nimia gestiamus, ne'ue in sermonibus aut cupiditas, aut pigritia, aut ignauia, aut aliquid tale appareat, in primusq́; ne falsa præsertim de nobis prædicemus. Ludo quoq;, ac ioco sic utendum, sed tum cum grauibus serijsq́; rebus satisfecerimus, ut illiberalitas, petulãtia, obscœnitas omnis absit iocantibus. In ludis etiam is modus retineatur, ne nimis profundẽtes omnia, aut elati, in turpitudinem aliquam dilabamur. In ornatu quoq;, & corporis motu, ac statu studendum esse, ut ab omni, quod abhorret ab oculorum approbatione, fugiamus, sequendumq́; esse maxime rerum ordinem & temporum opportunitatem. Ab ijsq́; artificijs, & quæstibus cauendum, qui improbentur, & illiberales habeantur, ac sordidi. Dandam etiã in primis operam, ne contra uniuersam naturã contendamus, ea tamen conseruata propriam sequamur, exquiramusq́; in omnibus quid sit illud, quod deceat. Atq; hæc quidem à Cicerone in hanc fere sententiã præcepta traduntur. Christiani uero omnem etiam usum ueneris, præterquam si cum legitima uxore res habeatur, damnant. Toro quoq; geniali modũ statuunt, cæteros coitus ita comdemnant, ut inter septẽ illa peccata, quæ mortalia dicuntur numerent res ueneris. A uitio quoq; palati, ac uentris, quod nunc gulã nominant, tantopere abhorrent, ut non modo temperanter uesci iubeant, prohibeantq́; comessationes, et intemperata conuiuia, sed nec omne cibi genus utendum permittant, uelintq; diebus, ac temporibus statis abstineri carne, ac semel quidem die, & parce esse. Omnis etiã sermonis, qui aut mollitiem, aut cupiditatem, aut turpitudinem habeat aliquam, rationẽ reddendam, pœnamq́; luendam censent. Verum ego dum plura persequor, longius progressus sum, quàm promiseram. Quamobrem finem his statuo, ad alia diuertens, quæ dicenda relinquuntur.

Seruandas esse leges.

IN PRIMIS AVTEM uersari obedientiam in seruandis legibus illud plane docet, quod initio dixi, leges ipsas eò pertinere, ac respectare, ut secundum omnẽ uirtutem uiuatur à ciuibus. Quamobrem cum de uirtutum ipsarum præceptis, si non plurima, quod disputationis huius nõ

erat, sed pauca quædam ex tanta copia, carptim, atq; ut magis necessaria uisa sunt, dixerim, quia & res ipsa, et ordo præceptionis huius postulat, de legibus quoq; aliquid dicam. Sunt autem leges aliæ naturales, aliæ humanæ, quædam & diuinæ. Naturales eædem semper sunt, & ubiq; gentium. Nunquam enim naturale illud mutatur præscriptum, ut uitam, corpus'q; tueamur omnes, declinemus'q; ea, quæ uideantur nocitura, aut ut prolem appetamus, siue ut nunquã manum ipsi nobis consciscamus. Nam & Cato, qui libertatis, ut dicunt, causa, & mortales alij, in quorum numero & philosophi, qui ex uitæ contemptione mortem sibi attulisse memorantur, naturæ legibus parum mihi uidentur obtemperasse, quanquam & Cato, et quos dixi, non carent defensoribus. Iubet etiam hæc ipsa natura, ut uitam, corpus'q; tueri sic neminem offendere, immo etiam cum possis prodesse, mærentem consolari, qui feratur à torrẽte, ubi possis opẽ ferre. uiam percontanti monstrare. non prohibere lumen accendi de lumine, non arcere sitientem à profluente. Hæc quoq; naturali lege hominum generi præscripta sunt, quæ seruare omnes debent, quorum qui contemptor fuerit, is conscientiam suam iudicem si fecerit, haud uereor, quin ea iudice seipsum damnet, timeat'q; illius flagellũ, quẽ ne cogitationes quidẽ ullæ nostræ latere possunt. Quærere item quæ sit natura summi boni, quæ rerum aliarum, unde nascantur singula, quis cœli motus, & stellarum, quis ordo in rebus, & quæ mẽsura, quid uirtus sit, & an alia sit maior alia, hæc quoq; à natura iubemur. Quisq; tamen pro captu, atq; ingenio suo. Nam in primis natura ipsa hominis hoc præcipit, quippe quæ infixit animis nostris, ut scire, & nosse cupiamus. Cuius rei maximum hoc, et certissimum indicium est, quod etiam illa, quæ nihil neq; uoluptatis, neq; utilitatis sint allatura, scire ipsi cupimus, laboramus'q; ut intelligamus, ac sciamus illa, quæ sciri, intellegiq; posse diffidimus, quæ'q; omnibus ante nos seculis incognita latuerint. Atq; ubi cognita fuerint, aut omnino nihil, aut certe parum sint laudi additura. Sunt tamen ex ijs, quæ naturæ continentur legibus, quædam homini cum belluis communia, ut prolem cupere, ut pastum quærere, tempestates'q; uitare, & æstus. Sed nos metiri non decet quid, aut quousq; commune sit homini cum bestijs, sed quid sit, quod natura ipsa præcipit. Nam & illa, quæ communia sunt, aliter nobis, atq; illis præscripta sunt. Belluæ nanque peccare non possunt, homines uero possunt, atq; utinam tantum possent, dum ne sponte uellent.

De Legibus diuinis.

d IVINARVM legum Aliæ ad deum, Aliæ ad homines referuntur. Ad deum ut ea, quæ iubentur à Christo, quæq; per Mosen creduntur à Deo Iudæis præcepta, qualia sunt, quæ decem mandata dicuntur, Deum unum colito, Sabbatum ab opere cessato, & sanctum habeto, Parentes ueneratur, & quæ reliqua sunt. Sunt tamen apud Mosen permulta, qbus nó modo Christianorũ, uerũ etiam Romanorũ leges aduersentur. Sed illa Iudæis præcepta sint, nos nostris legibus pareamus, quorum Christus est author, alia ita sanciuntur, ut qui secus egerit, reus sit. Alia magis uidentur admonere, & hortari, quàm cogere, quale illud est, Vendito quæ habes omnia, & largitor pauperibus. Præcepta igitur eo studio, diligentia, & opera seruanda sunt, ut ne digitum quidem, ut dici solet, ab eis excedatur. Quæ uero admonent, consilijq; rationem habent, ea ita sequemur, ut sciamus nostri esse arbitrij, quousq; placeat obsequi. Ad homines autem referuntur illa, quæ à sacerdotibus, et pontificibus decreta sunt. Quorum nonnulla præcipiuntur omnibus, ut confiteri peccata sacerdoti, & piaculum pœnitendo agere, quædam quibusdam, ut quæ sacerdotibus tantum. Sunt etiam quæ credere iubeamur, ut Deum è Deo genitum, & Virgine incorrupta natũ. Alia, quæ pro certo sperare, atq; exspectare debeamus, ut animas redituras in sua corpora, & die suo Deum illas ad tribunal citaturum. Alia, quæ agere, ut templa adire, sacrificijs adesse, sacerdotibus, & egenis stipem offerre. à plurimis non modo iubemur continere, sed coërcemur etiam pœna proposita. Nam qui sacerdotem percusserit, hunc è templis, atq; hominum consuetudine leges eijciunt, & sacris arcent. quodq; aqua, et igni interdictum illi sit, uetant sermonem cum eo seri, aliquidq; omnino contrahi. Ad hæc cogimur ad uenerationem, ad cultum. Sunt etiam quæ etsi lex credi, atq; exspectari iubeat, tamen non intersit dum credantur, quomodo ea credantur. Cogimur enim credere animas, ubi solutæ fuerint corporibus, suo quodam tempore ad illa reuersuras, foreq; ut tunc reuiuiscamus omnes. Reuiuiscamus autem adolescentes'ne, an ætatis, qua quisq; mortuus est, de quo quæstio, arbitrij nostri est, in alterutrã uelimus opinionem concedere, habent enim opiniones hæ authores suos, graues certe, & eruditos homines. Sunt et alia, quæ constantissime quidem teneri, omniq; è parte credi oporteat, ac siquis secus sibi persuaserit, deq; ijs modo aliquo dubitauerit, habeatur in hære-

ticorum, ac perditorum hominum numero, atq; ea necesse sit, ut & profitearis, & ubi usus euenerit asserendis illis digladiere, atq; emoriare prius quàm abneges.

De Legibus humanis.

HVMANAE leges dictæ sunt q[uo]d earũ authores homines in communẽ illas utilitatem, ac recte uiuendi usũm tulerint, eæq; scripto sanciunt, quanquam & interdũ consuetudo uim habet legis. Ex his ciuile ius emanauit, quo populi, nationesq; temperantur. Est & municipale ius, quod singulæ ciuitates priuatim sibi statuerunt, & item gentium, inde dictum, quod gentium in id uoluntates consenserint. Quãmobrẽ et iura ipsa seruanda sunt, & legibus parendum est, ut cum ad cœtus colendos, societatemq; retinẽdam nati simus, munus impleamus nostrũ. Et quoniam hæc omnia non tam discenda præcipimus, quàm statuimus seruanda, placuit quod in bene constitutis fit urbibus, latas leges conscribere, easq; referre in tabulis, q[uo]d nec Plato in Republica illa sua facere dubitauit, nec qui eum imitatus est Cicero.

Quarundam legum Constitutio.

APPETITVM Rationi subijciunto, eaq; & dux, & moderatrix esto. ritus patrios pie seruanto. legibus parento. temporibus obsequuntor. personam locumq; obseruanto. Animi motus cohibento, ab honestate ne facessant. Iusta expetunto, atq; agunto. mentem à prauis cogitationibus cohibento. consulũto recte. Prospiciunto caute. Notis artibus operam dãto. Vires, ingeniumq; metiuntor. Mortem decori posthabento. Despiciunto externa. aduersa ferunto constanter, ac ferendo superanto ea. Turpia, atq; indecora omnia cauento. Diuitias, magistratus, honores ne admirantor, ne'ue illorum ergô fœda agunto. Iniuriam ne inferunto, sed propellũto eam. Superbiam abijciunto. Doloribus ne cedũto, ne'ue uoluptatibus corporis sinunto capi, sed illas temperanto, atq; cohibento. Animum excolunto, & à pertubationibus liberum habento. In cunctis retinento modum. Siquis aduersus hæc fecerit'ue, senserit'ue, huic Deus iratus esto, ne illius manes quiescunto.

IOVE, INQVIT Socrates apud Platonem, philosophi sunt, & reges, mihi quidem à Ioue, idest deo non Reges modo, & philosophi, sed optimi quiq; uiri uidentur esse. Nam cum ab illo, qui est & maximum, & uerum, et perfectum bonum, cætera emanent bona omnia, nec iustitia profecto, nec uirtus ulla, quæ uera animi bona sunt, absq; illo summo, & consumato bono in cuiuspiam uenire possessionem possunt. Ac tametsi malorum ferè omnium ipsi nobis & causam præbeamus, & materiam, nullus'q; nec maior, nec pernitiosior nobis sit hostis, quàm appetitio, & opinio nostra, quæ sæpenumero obliqua, & falsa est, bonorum tamen origo & causa est à Deo, à quo & ratio, bonum autem seiungi à ratione nequit. At malum cum sit tum auersio, tum secessio, deflexus'q; à ratione, sequatur'q; opinionē, quæ dux est, & author incerta, à Deo utiq; non erit. Et cum ratio secundum naturam sit, malum autem à ratione semper abhorreat, & ab illius spatio, curriculo'q; longe deflectat, erit & malum contra naturam. Quo'circa cum uirtutes, ut dixi, uera animi bona sint, & firma possessio, quanquam ne ipsæ quidem natura nobis insunt, sed usu, actio ne'q; comparantur nostra, uitia, quæ his aduersantur, & mala crūt, & quodammodo contra naturam erunt. Omnium uero uitiorum pessimum, ac deterrimum est illud, quod aduersus naturam maxime nititur, & à ratione quamlongissime abit. Nititur autem aduersus naturam illud maxime, quod est contra uniuersam humani generis communitatem, ac rectorem eius, Id autem est iniustitia. Manifestum est igitur iustitiam, quæ huic aduersatur, maximam esse uirtutum omnium, & humano generi maxime conducentem. Nam cum sit uniuersum genus hominum quasi una quædam ciuitas, cuius hæ, quas incolimus urbes, sint ueluti partes quædam, ipsæ'q; constent domibus, ac familijs, domus uero hominibus, primū docet iustitia, quales ipsi erga parentes, uxores, liberos, nepotes esse debeamus, deinde in cæteros cognatos, ac necessarios, qui domos sibi alias constituerūt, & cum una, ut Cicero ait, domus eos non caperet, tanquam in colonias exierūt, tum erga uicinos, tribules, et ciues alios, itemq; et hospites, & peregrinos, admonens nos hominum non modo eiusdē gentis, nationis, linguæ, uerū et illorum, qui extremas quoq; terras incolāt.

Et quoniam huius, quem dixi, uniuersi cœtus hominum rector est, et moderator deus, in primis iubet, ut eius memores, primos illi, ac maximos honores tribuamus, pietatēq; colamus, ac religionem. Sed nos Roberte de iustitia illa, quam totam esse uirtutem diximus, superiore libro satis explicauimus, & quantum uisum est necessarium, disseruimus, Restat nunc dicendum de iustitia hac, quæ pars est eius. Cuius cum proprium sit, cuiq; quod suum est reddere, declaratur nobis, eius officia ad alios potissimum pertinere, ipsamq; in commune niti, ac late ad plurimorum res conferre. Nam qui uoluptates contempserit, aut liberorum orbitatem æquo animo tulerit, is quidem sibi ipse temperatus, & constans est. Hocq; eius factum ad alios minime pertinet, nihil ferè aut publicam, aut priuatorum ciuium utilitatem adiuuans, præterquam si exemplo ipso profuerit. At qui nec opum in ciuitate, nec authoritatis in senatu, nec agri inter uicinos, nec pecuniarum inter eos, quibus cum contrahit uindicare sibi plus uoluerit, quàm quod sit suum, is & erga alios uirtute utitur, atq; in commune consulit, quando ciuibus alijs, qui suus cuiq; locus est integrum relinquit, eadem trutina, pariq; mensura & sibi, & alijs metiens, ut recte mihi dixisse uideatur, quicunq; dixerit cæteras uirtutes ferè omnes, utentis proprias esse, iustitiā autem communem, et publicam. Quamobrē iustitiæ huius uidetur propria esse ea mensura, quæ plus, & minus distinguit inter homines, ut ex æquo cuiq; distribuatur, caueaturq; ab iniquo. Cum autem non in honoribus, aut pecunijs solum, uerum etiam in emendis, uendendis, & commutandis rebus, quæ quidem sponte ipsi nostra facimus, hoc ipsum plus, & minus quæratur. Quinetiam in illis, quæ inuitis nobis fiunt, ut cum aut surripiuntur nobis nostra, aut uis affertur aliqua, uidetur iustitiæ huius duplex esse diuisio. Est enim una eius species, cuius proprium est curare, & cauere ne in creandis magistratibus, conferendis honoribus, reddendis præmijs, ciuilibus'ue muneribus partiēdis, ne'ue in dispensandis ærarij pecunijs, rebusq; item alijs, quæ diuidendæ, ac distribuendæ sunt inter ciues, aliquid plus, minus'ue fiat, quàm quod æquum, iustumq; uideatur. Est enim eorum omnium dispensatrix optima. Altera uero, quæ in faciendis commercijs, et contrahendis rebus, ijsdemq; & metiendis, & corrigendis uersatur, quales sunt emptiones, uenditiones, mutua, deposita, & quæ sunt generis eiusdem, quæ uoluntaria dicuntur, & in quibus pacto conuenitur. Ad hanc quoq; pertinent & ea, quæ in inuitos partim clàm, partim aperta ui patrantur, ut furtum, compilatio, uerberatio, rapina, quæ iuris pru-

dentes maleficia uocant. Igitur cum horum omnium ad iustitiam cura pertineat, uidetur proprium eius munus esse, metiri singula, et tanquam appensa in scapulo examinare, ut iusti, æquiq;, itemq; & iuris, & legum ac boni partes in ciuitate tueatur, reijciatq;, ac castiget quæ uideantur his contraria, Nam iniusta iniquaq; prohibebit, repellet iniurias, & in eos, qui nocentes sunt, animaduertet, nequid omnino contra leges, contraq; bonum fiat uel à ciuibus, uel à peregrinis. Verum cum non sit præceptionis huius subtilius hæc nunc quærere, & ad alia festinet oratio, restat enim illo de genere obedientiæ dicendum, quæ ab hac ducit originem (nam de principe, maximaq; obedientia superiore libro si non plene, pro re tamen satis dictum est) iactis fundamentis, quæ operi huic construendo necessaria uisa sunt, tandem ad nostra ueniamus. Perinde igitur ut iustitiæ officia conferri debent à parentibus in liberos, à maritis in uxores, ab heris in seruos, itemq; à regibus in subiectos homines, à magistratibus quoq; in priuatos ciues, & à ducibus in milites, necnon & à pontificibus aduersus sacerdotes, ita & ab his omnibus exhibenda est in illos obseruantia, & obedientia. De qua ordine quidem, ac pro suscepta materia disputabimus.

Laudes Obedientiæ.

LIBEROS PARENTIBUS Obtemperare debere qui neget, certe arbitror esse neminem. Cum enim nos genuerint, educauerint, instruxerint, conferantq; quantum in ipsis est, omnia ad uictum, cultumq;, & alios uitæ usus necessaria, innumerabilesq; labores sponte suscipiant ad res comparandas, non modo ne egeamus in uita ipsorum, sed post mortem, ut ijs etiam affluamus, quam pro tot, tantisq; beneficijs referre eis gratiam possemus, non haberemus, nisi nobis obedientia illam sufficeret. Quis igitur digne laudare eam poterit? quæ ne erga illos, quibus maxime debemus, ingrati simus, sola efficit, præstatq; uti ex sese, quasi perenni quodam fonte perpetua manent officia, quæ qui non hauriat, is indignus uita hac, ut certe est, merito uideri potest.

Patri quàm matri liberos magis debere.

QVANQVAM autem quaeri solet, matri'ne, an patri plura debeamus, primae tamen partes patri conceduntur, & propter naturae excellentiam, & propter magnitudinem, atq; ubertatem beneficiorum. Nam quod matres filios decimum ferant mensem, & cum uitae enitantur periculo, naturae hoc est propagationi consulentis, non muliebris electionis, quod in bestiis apparet. Et tamen licet primae partes iure patri cedant, hoc in primis exigere ipse à natis debet, ut illam, quàm se magis reuereantur, utq; ad illius nutum praesto sint semper. Et quoniam molles sunt earum animi, & ad iram, ac dolorem faciliores, atq; ut Terentianis utar uerbis, grauiter aduertunt, quae non reris, danda est à liberis opera, ut uel libentius earum obire iussa uideantur, & reuerentius cum eis agere. Sunt enim officia quaedam, quae optandum sit à patribus, ut in matres prius, ac studiosius conferantur à liberis.

Quae sint cum Obedientia coniungenda, quae etiam uitanda.

ET QVONIAM OBEDIENTIA has secum habere debet comites, diligentiam, & attentionem, duo inprimis obseruanda sunt à liberis, unum, ut & statim, & studiose imperata faciant, alterum, ut non semper exspectent, dum à parentibus, quod factu opus sit, iubeatur, sed illud animo, et cogitatione praecipiant. Quaedam enim satis non fuerit, si confestim ubi à parentibus iussa sunt, liberi exsequantur. Nam nec semper, exspectandum hoc est, & ubi tempus postulare uisum fuerit, sponte efficiunda sunt ab eis. Ferdinandum Neapolitanorum Regem (quem obedientiae in patrem uerum exemplum esse omnes quidem consentiunt) narrantem audiui saepius nullam se patre uiuo neq; maiorem illis, neq; parem cepisse uoluptatibus, quas ipse caperet, cum patris consilium cogitatione praeuisum opera anticipasset, contra nihil sibi neq; grauius, neq; existimatione sua indignius solitum accidere, quàm cum maiorum rerum occupatione impeditus, patri adesse non poterat, etiam ad minima quaeq; ministeria, singulisq; momentis. Tertium est ut animo uolente, & uultu ipso lubentiam (ut Plautino utar uerbo) praeseferente pareatur, cauendumq; in

primis, ne aut neglegentes, aut inuiti facere aliquid uideamur ad imperata facienda ueluti hæsitantes, quiq; nullam prius cogitationem, aut curam adhibuisse iudicemur. Pariunt hæc odium, redduntq; operam ingratam. Horum trium fundamentum est amor, præstat enim amor tum hæc, tum alia multa, quæ non modo negligenda non sunt, sed uel summa cura seruanda ab illis, qui obedientes, officiosiq; in parentes filij esse uolunt. Nam ubi uerus amor abfuerit, necesse est, absit etiam reuerentia, pietas, cultus, quibus remotis uera esse obedientia nullo modo potest. Oportet in cunctis quoq; officiis prudentiam adhibere, ordinem seruare, & modum retinere. Nam cum sit prudentia dux quædam actionum nostrarum, ac sine ea nihil neq; recte, neq; cum consilio uideri possit factum, sitq; ordo & rerum, & temporis dispensator optimus, Remota prudentia, ordineq; contempto frustra nititur filius, aliud nihil agens, quàm ut patri imprudens, minimeq; compositus appareat. Gratum autem patri uix aliquid esse potest, quod proficiscatur à filio, absq; prudentia, & ordine. Porrò quod gratum non est, gignit ex se fastidium, contemptum, odium. Fastidio autem & odio esse, atq; contemptui, uidetur obedientiæ ipsi uel multum aduersari, cuius studium est uelle patri quammaxime placere, mirificeq; ab illo amari, & in pretio esse. Nam modum abijcere, quæ est mensura tenens regulam inter parum, & nimium, hominis est aut deficientis in cunctis, aut gaudentis excessu. Vtrunq; autem maxime uitiosum est, & de nimio quidem nunc uerba facimus, non quod peccare quis possit nimium parendo patri, nemo enim in hoc excedit. immo ut est apud Plautum. " Nunquam " nimis curare possunt parentem filiæ. Sed de eo dicimus nimio, quod modum in agendo deserit, quod cauendum in primis est, quamuis nonnunquam & in quibusdam excessus ipse sit medium. Sunt & parentes ipsi morosi aliquando, ut qui nihil nisi quod imperatum sit, fieri à liberis uelint, nullamq; ipsi in præcipiendo legem seruent aut temporis, aut loci, quod durum, & difficile admodū est. Tamen quoniam in difficilibus (quod etiam prouerbio docemur) uirtus perspicitur, erit filij officium patris ingenium probe nosse, et callere illius mores, ad quæ noscenda, adhibebit studium, & diligentiam, obseruabitq; illius uultum, tanquam dari exspectans signum. Paternæ quoq; intempestiuitati, ut hoc utar uerbo, patientia medebitur, nihil aut durum aut intempestiuum ducens, quod pater iubeat, & quamuis ita sit, æquo tamen animo, & uolenti aget illud. Recte igitur hoc, atque ex usu, sed & alia multa sæpe dicere te Roberte

memini, fidelissimam obedientiæ ministram esse patientiam. Contra uero sunt, quos delectet ante occupatum officium, quin ipsi ut filios habeant parentiores arte quadam adhibita, cum maxime imperant, tum minime uideri uolunt imperare, quod ubi filius norit (nosse autem plane debet, nisi omnino ignauus, & hebes fuerit) nunquam committet, ut officium suum à patre desyderetur. Duo tamen maxime cauenda sunt, alterum ne nimis festinet, & quasi præcipitet operam, alterum nequid agat, licet spectare uideatur ad obedientiam, quod illius offendat animum, quod ne accidat eo maiore attentione procurandum est, quod huiusmodi homines dolere grauius solent, & offensionem animi non modo uerbis non declarare, sed uultu etiam tegere. Et tamen quia necesse est aliquando accidere, nemo enim tam prudens, & cautus est, ut non interdum labatur, & peccet, studebit filius, aut ipse coràm supplex, aut per alium impetrare à patre ueniam, fatebiturq; peccasse se quidem, & dicet admissum non offendendi studio, sed imprudentia, & opinione sua se esse deceptum. Vera enim obedientia etiam in peccato perspicitur, cuius tanta uis est, ut pro magno peccato paululum supplicij satis sit patri, ut ait Terentius, ac tum multo magis, cum preces sequetur opera, quæ declaret animi pœnitentiam. Sunt etiam qui amorem in filios dissimulent, & quamuis grata sint quæ ab illis in se conferantur, minus id ostendant, idq; eo consilio, ne filij reddantur aut neglegentiores, dum amari se nimium à patribus intellegunt, aut insolentiores, dum sua omnia grata illis esse sentiunt. Quámobrem oportet non deterreri propterea ab officio, aut animo minus liberali morem gerere. Sed consulet seipsum filius, & ubi recte, & cum ratione à se factum intelleget, iudicio suo contentus non exspectabit à patre laudem, quam scit ab illo non inuideri sibi alicuius peccati causa, sed consilio, & arte præteriri, Quinimmo magis, ac magis animum tunc eriget, & contendet opera, ut obtemperantis omni è parte munus impleat filij. Quámobrem iure magna obedientiæ uidetur esse pars, patris ingenium nosse. Et quoniam de nimia indulgentia nasci solet contemptus, ut quotidie uidemus, in primis cauere oportet, ne patris lenitas, & probata semper illi studia nostra, reuerentiam minuant, imitandiq; sunt strenui, & fortes milites, qui quanto magis laudari ab Imperatore operam suam uident, tanto alacrius imperata faciunt, seq; periculis obiectant. Histrio quo magis probari se intellegit à spectatoribus, hoc amplius populo ut placeat contendit. Ergo quod miles duci, non præstabit filius patri? &

quod

quod Histrio in re ludicra omni arte studet, id negligit filius in re maxime graui? Incredibileis enim excitare iras solet lenitas ista, ubi se contemptui esse uidet, hinc illæ graues iacturæ in tabulis & in legando, & in instituendo. Debet igitur tanto propensior in patrem esse filij uoluntas, & eo acrius moris gerendi studiũ, quanto illius in se facilitatem, ac beneuolentiã experitur indies maiorem. Est etiam magnopere uitanda ineptitudo, plurimum enim detrahit gratiæ, atq; ubi maior fuerit, parit etiam despectum. Sunt tamen quidam partim ita in loquendo insulsi, partim adeo in agendo inepti, ut nulla possint arte corrigi. Horum studium illud erit ut ne appareant ineptissimi, & in quo natura destituti, & manci sunt, saltem uoluntate id pensare uideantur. Tantum enim in uoluntate ipsa solet esse positum, ut quod ineptum sit, efficiat sæpenumero non ineptum, præstetq; ut non semper exigatur à nobis illud, in quo à natura deserimur.

Obedientiam non debere à metu, aut utilitate proficisci.

e T CVM DVO Maxime liberos uideri possint impellere, cur obsequantur parentibus, metus, & utilitas, Illum ego filium mirum in modum probauerim, qui patri sit obsequens non metus causa, uel utilitatis spe, sed quia patrem amet, & officium suum facere per se studeat, quales noui aliquos, qui patres habent tum summa facilitate præditos, tum extrema rei familiaris inopia laboranteis, quos nec timeant, cum sciant illos nescire irasci, nec ab eis exspectent quippiam, cum nihil possideant. Sed tamen cum difficile dictu sit liberos patrem nõ debere metuere, eum liberis metum concedemus, qui sit minime seruilis, ducatq; ortum ab amore, & reuerentia, quanquam & pueri, et adolescentes necesse est, ut flagellum aliquando timeant, & pædagogi sentiant ferulas. Est etiam ætas illa meticulosa, & probatum in puero signum metus. Quod uero ad utilitatem attinet, nolim ego dari mihi filium, quem obsequẽdi mihi moueat utilitas, sed qui tum cum pareat, intellegat se ipsum maxime sibi prodesse, & rebus suis optime consultum ire. Debet enim utilitas sequi officium, non officium seruire utilitati, quamuis nonnunquam & parentes ipsi, ut natos habeant ad audiendum faciliores, mercedem proponant aliquam. Etenim in parentes officiosum esse utilitatis tantum gratia, mercenarij est magis, quàm filij, nec expetitæ mortis suspicione caret.

Siculi illi fratres Amphinomus, & Anapius, euadere pedum pernicitate flammas poterant, relictis parentibus, & succedere auitis bonis, adepturi ex illorum morte sine infamia ulla patrimonium, immo cum utilitate etiam multa, quae nulla quidem erat è uita. Erant enim parentes ipsi in ultima senectute constituti, & annis graues, atq; inutiles, quos tamen ceruicibus impositos per medios saeuientis Aetnae igneis tulerunt adolescentuli, nō utilitatis spe aliqua, uerum cum maximo uitae discrimine, & summi in parentes ipsos amoris, pietatisq; testimonio. Et quanquam minus est authoritatis in fabula, Aeneas tamen ille, qui apud Virgilium Anchisen patrem humeris suis per hostium tela, conflagrantiumq; domorum incendia, & ruinas portat, docet amandos esse parentes, non utilitatis praecipue causa, sed ut naturae pareatur, hoc ipsum iubenti, & Deo in primis, Cuius iussu dant tela locum, flammaeq; recedunt. Paucis ante annis iuuenis quidam, cuius nomen excidit, Lipare Neapolim profectus, ut patrem à praedone redimeret, sponte se in seruitutem dedidit, patreq; in libertatem restituto, qui erat iam senior, ipse remo addictus mansit in potestate praedonis. Quaenam hic erat iuueni utilitas? immo quod non potius damnum? immo quid ad hanc pietatem addi possit, profecto nihil est. Quamobrem uenerandi, colendiq; parētes sunt, non ut lucremur, quod mercenariorum, & foeneratorum est (quāuis nullum sit hoc ipso lucro uberius) sed ut & naturae, & Deo pareamus, post quem excepta patria primus honos, & praecipuus cultus debitus est parentibus.

Obedientiae studium augendum semper esse.

VIDENDUM Quoq; ut crescat cum aetate simul, & augeatur obedientia. Nam ut sit inobedientia semper detestabilis, detestabilior tamen est in iuuene, quàm in adolescente, & in hoc, quàm in puero, in quo propter aetatem non datur tantum loci contumaciae, & peccatum ipsum facilius promeretur ueniam.

Senectuti & aegritudini obedientius satisfaciendum.

AEGRIS Quoq;, quàm ualentibus, & senio confectis, quàm in media aetate constitutis obsequendum studiosius est. Quo tempore non ipsis modo parentibus,

sed morbo quoq;, & ætati multa tribuenda sunt. Nam & ætas, & morbus multa per se iubent, & tum præcipue pietas oportet uim suam ut ostendat, quæ quidem imperet, ut liberi persuasum habeant sibi se planè non satisfecisse, quamuis satisfecerint parentibus. Adolescens apprime nobilis, cum è graui quodam uiro quæreret, qua potissimum ratione & patri, & sibi parendo, atq; obsequendo satisfaceret, Virtutem, inquit, si colas, cui qui deditus esset, illum & parentibus, & sibi, & cæteris omnibus mirifice satisfacere.

An Obediendum ubiq; sit parentibus.

a DMONVIT Locus hic quæri debere, facienda'ne sint omnia, quæ parentes iubeant. Quis autem dubitet facienda non esse, si fuerint turpia, cum etiam quæ contra'honestatem non sint, fieri aliquando non oporteat, nec si ea non fecerit filius, inobediens sit. Nanq; ut in cœlibatu uiuat, aut ut monachum profiteatur, hortari quidem filium pater potest, cogere nō potest, quæ si ab inuito fieri uelit, iusta esse desinunt, cum in his humano etiam generi fiat iniuria. Quæ res efficit, ut qui impuberes parentum suasu initiati fuissent, ubi sui iuris facti sint, & per ætatem licet, sæpenumero religioni renuntient, quod est lege permissum, cautumq;. In his enim, ut in multis alijs naturæ iura paternis anteponenda sunt. Igitur siquæ fieri cum honestate possunt, aliquando facienda non sunt, quæ nec ab inuitis exigere parentes debent, quanto minus illa, quæ aut turpia ipsa sunt, aut sine turpitudine fieri nequeunt? Quærenti aliquando mihi à Ferdinando, num patri fuisset obtemperaturus, turpe aliquid, & impium imperanti, Alphonsum nihil tale fuisse unquam imperaturum respondit. Vide quàm prudenter, quod patrem nihil indecorum fuisse iussurum cum diceret, declarauit, & se minime fuisse facturum, quidni non fecisset improba, qui quod facere sine turpitudine posset, aliquando tamen recusarit? Erat Alphonso in primis carus Petrus quidam cognomento Cases, is quod Rege, & facillimo, & indulgentissimo utebatur, elatior factus, cœpit ob leuissimas causas irasci Ferdinando, clàm primo, post uero & palàm, donec & maledictis, & opprobrijs (erat enim suapte natura conuitiator) ausus est illum incessere, nullisq; tandem contumelijs parcere, & ad ultima deliramenta ferri. Ferdinandus ea æquo animo ferre, et ingenium hominis magis miserari, quàm maledicta curare. Hæc Alphonso renuntiata cum essent, Petrusq;

quanquam sæpe monitus, nihilo minus linguæ nihil temperaret, uocato ad se filio, iussit id de Petro supplicium sumeret, quod & per legem liceret, & ipse uellet. Huic paterno imperio quanquam honesto, & legitimo, tantum tamen abfuit ut pareret Ferdinandus, ut ira lenita, in gratiam patris Petrum fuerit reuocare conatus. Quid autem Alphonso hæc imperanti responderit, dignum est, quod prodatur posteris, mandeturq; memoriæ. Ego, inquit, pater optime nihil unquã neq; pluris feci, neq; me filio tuo dignius esse duxi, quã ut tuæ semper obsequar uoluntati, iussisq; tuis ita paream, ut nihil requiri in me ipso à te possit, quod ad ueram pertineat obedientiam. Quã quidem laudem tantopere assequi cupio, ut pietatis erga te meæ hoc præcipuum testimonium traditum iri monimentis uelim. Sed, quod pace dictum sit tua, & quale hoc futurum est exemplum, si quanquam per leges licet, & à te iussum est, iram in illos exercuero, quos tibi carissimos esse sciam? Absit à Ferdinandi pietate culpa hæc, quin meæ partes sunt, familiares, atq; alunnos tuos et beneficentia prosequi, & amore complecti. Quod ut opera comprobaret, commendatum Alphonso Petrum ipse in amicitiam suam recepit, & ex eo familiarissime usus est, atq; hodie utitur. Hoc igitur exemplo docemur, etiam si honesta sint, quæ à patre iubentur, tamen facienda non semper esse, cauendumq; ab ijs, quæ sine dedecore, atq; infamia fieri nequeant. Nam qui turpe aliquid, ac flagitiosum filio imperat, in eo pater non est. Quamuis autem Plautus ut personæ seruiat in fabula, moneat faciundum id esse à liberis, quod parentes imperant, tamen ne aberrare nos à uero pateretur, haud multo post aliam induit personam, quæ cum patrem initio aduersantem, in suam tandem traduxisset sententiam, dicit. » Nunc places, cum recte monstras, nũc » tibi auscultabimus. Quo dicto declarauit patri inique, improbeq; monstranti non esse auscultandum, cum si obedientia ipsa loqui posset, illud ante omnia uetitura esset, nequid inhonestum unquam sui causa faceremus. Qudmobrem obedientis est filij, in his obedientem non esse. At illorum, quæ habentur sordida alia lex est. Tanta enim obedientiæ uis est, ut eadem illa persæpe efficiat liberalia, præsertim cum quæ inter sordida numerantur, non omnia sint contra honestatem. Nam cum sordidum, ac seruile ministerium sit, equum defricare, sellaq; insternere, ne patricio quidem adolescenti turpe fuerit, ubi aut iussum fuerit, aut tempus id, resq; tulerit, patri equum exornare, cum apud Homerum Andromacha, & pauisse, & pexuisse mariti equum legatur. Ad hæc præstabit in sordidis quibusdam

obsequi, quàm

obsequi, quàm detrectando illa præseferre inobedientis speciẽ. Aetatis etiam ratio habenda est. Quædam enim si efficiantur ab adolescentulo qualia imperata sunt, non debet id ei ætati uerti uitio, quãuis turpe fortasse esset, si eadem illa fierent ab eo, qui esset iam natu grandior. At quædam licet sordida ipsa sint, ante tamen, quàm imperentur, aggrediunda sunt, ut officia ea, quæ in ægrotos, ac languenteis parentes, uel diligentissime conferẽda sunt à liberis. Quæ quidem cum ualentes illi, suæq; spontis sunt, ministerio solum ancillarum, ac seruulorum egent. Atq; ut locus hic fieret aliquanto illustrior, placuit & ueterum hac eadem de re philosophorum opiniones ponere.

Antiquorum philosophorum opiniones.

QVAERI ENIM ab ijs solitum est, nunquid omnia patrum iussa facienda essent. Quamuis nonnulli nihil necesse esse patri obsequi arbitrati sunt, quod quæ pater imperaret, ea aut æqua essent, aut iniqua. Si æqua, non quod ille imperaret, sed quod ea fieri ius esset, facienda esse. Sin iniqua, fieri non oportere, quia nequaquam liceret. Sed hæc, qui asseuerent, ij mihi uidẽtur nullum rerum humanarum delectũ, nullam ortus, educationis, institutionis suæ habere rationem. A' quibus dissentientes alij contrariam protulere sententiã, uidelicet omnia, quæ pater imperasset, ea fieri oportere. Sed hæc sententia si non uerior est, quàm superior, longe certe improbior, ac detestabilior uidetur, nullum patriæ, nullum religioni, aut honestati ius relinquens. Quippe ubi pater ipse iusserit, patria prodenda est hosti, uxoris uendenda pudicitia, & ornamenta deorum immortalium statim detrahenda templis sunt. Eorum igitur uera sententia est, ac rebus hominũ maxime accommodata, qui nunc parendum patris imperio, nunc nihil omnino parendum esse censent, nec in ijs solum, quæ iusta, aut iniusta per se sunt, uerum & in ijs, quæ media dicuntur. Etenim causam orare, uxorem ducere, licet nec in bonis, nec in malis numerentur, neq; ipsa per se aut honesta sint, aut turpia, efficiuntur tamen statim inhonesta, si aut Catilinæ patrocinium suscipiatur, aut Thais ducatur in matrimonium. Quamobrem nec si pater imperet, defendendus uidetur, qui regnum in libera ciuitate occupare conatus est, nec uxor ducenda infamis. Quæ quanquam ita se habent, inspiciendũ tamen est, quid ferant rerum uarietates, ac tempora, quorum magna uis est, ad res in omni uitæ parte agendas.

An Irato patri Respondere liberi debeant.

m VGNAM QVOQVE Vim habet ad obedientiam uerecundia & moderatio. Nam cum pudentis, & moderati sit nihil audere, cuius sit postea pudendum, quid esse potest impudentius, quàm erga parẽtes contumacẽ se, atq; insolentem gerere, aut in quo longius à moderatione recedetur. Quamobrem dubitari potest, an irato patri, & obiurganti respondere filius unquam debeat, Atq; ut uerecundi, moderantis'q; proprium esse uideatur, nihil omnino respondere, tamen salua etiam lege uerecundiæ, & moderationis, placet quærere, an sit cõtra obedientiam respondere illi, et maledicta diluere. Nimirum qui grammatica ferulæ non irascitur, & increpantem præceptorem fert, & quoniam magna est præceptoris authoritas, qui ciuem aliquem, de quo magna sit opinio grauitatis, ac continentiæ, recte, merito'q; castigantem moleste non fert, is aut non feret iratum patrem, aut corripientem grauabitur? Quid si iniuste, ac falsò, præter'q; modum, aut coràm quibus parum decuerit, pater eum accusauerit, acrius'q; succensuerit, nunquid tacebit, cum uideri possit non pro se, sed pro ueritate dicturus, & iustitiam, quàm se defensurus? Magna sunt parentum iura, ac maiora multo, quàm ut ipsi uideri debeant in obiurgandis liberis modum abiecisse. Nam & si corũ, qui audiunt, et in quorum conspectu hæc agantur iudicio, uideri forte possunt à modo recessisse, non debet tamen idem esse iudicium liberorum. At iniurij sunt patres, & uehementiores etiam, q̃ res postulat. Postulet autem res ut libet, uerecundia certe, et in parentes reuerẽtia, uult, iubetq;, ut ne quippiam liberi aut iniurium esse ducant, aut immoderatius, quod à parentibus in se dicatur, præsertim ubi ad optimam spectet animorum institutionem, recte'q; uiuendi usum. Nam quod tu mihi aut locum parum idoneum, aut testes minime adhibendos obijcias, Vbi, aut quæ'nam obedientia ista fuerit, si caritura est testibus, nec omnis ei locus aptus uideatur, in quo ius suum pater exerceat? Vera enim obedientia non quærit latebras, quas tametsi aliquando non fugitat, semper tamen ipsa lætatur testibus, & in aperto esse officiũ suũ, quàm in obscuro mauult. Potest tamen aut loci, aut temporis, aut necessitatis uis esse tanta (humanæ enim res uices habent) quin etiam contingat liberos ipsos gerere personam aliquam, ut licitum sit aliquid referre contra, ac nihilo minus quoniam obedientia plurimas habet cautiones, aut non idcirco debeant, quia liceat, aut si & debuerint,

illud certe uiderint, ne modo aliquo præseferant grauari se, atq; ægre ferre paternam reprehensionem, sed aut rem, aut tempus, aut personam tueri, quàm seipsos ostendent, aut necessitatis utentur patrocinio. Falsa uero quæ obijciuntur refutare liberius poterunt. Vbiq; tamen uidendum ne pietatis, obedientiæq; prætereantur fines, qui angusti quidem sunt, diligentissimeq; custodiendi. Et quamuis liberi ipsi sciant partes suas illorum etiam, qui audiunt, iudicio potiores esse, memores tamen esse debent, filios esse se, illos uero parentes, nulliusq; rei maiores se, atq; acriores patronos esse debere, quàm in patres obedientiæ, nihilq; magis ab illis desyderari, quàm ut filios habeant quamreuerentissimos. Excandescunt tamen ipsi nonnunquam, & adeo incenduntur ira, ut inclamitationibus parum contenti, uerbera expediant. Quo casu tacitum decet filium è paterno conspectu abire, nullum præseferentem doloris indicium, ut qui non patrem fugiat, sed patris excandescentiam, uereaturq; non illius flagellum, sed nequid uictus ira pater præter modum agat, supraq; quàm deceat. Poterit tamen ira tali è causa concepta esse, ut obuoluendum sit illius genibus, quamuis irati, & flagellum uibrantis, ne dum secedendo placare illum credit, magis, magisq; incendat. Vtinam autem ne uel regna ipsa, & nostris, & patrum nostrorum temporibus euersa, & prostrata essent filiorum impatientia, dum parentum ferre iracundiam nolunt. Hæc enim pestis intra regios penates perniciosius debacchari consueuit.

An Obediendum sit patri uetanti ne Matri mos geratur.

PATEFACTVS EST, Vt arbitror, locus eorũ, quæ cauere, aut seruare in exquirendis obedientiæ officijs liberi debeant. Nam & incidunt persæpe discrimina, cum dubitetur, obediendum'ne sit. Ac tametsi ex ijs, quæ dicta sunt, facile possit intelligi quousq; parendum sit, placet tamen adhuc quærere, audiẽdus'ne pater sit, ubi is uetuerit, quamuis honesta præcipientis matris imperata fieri, qui locus est sanè difficilis, & lubricus, egetq; inspectione non parua, & in utranq; partem dici multa possunt, Nam & honestum matris imperium faciendum uidetur, & pater contemnendus, aut prouocandus in iram non est, à quo tam multa et accipiantur quotidie, et exspectentur beneficia. Quocirca cum satis constet patri, q̃ matri liberos magis esse obnoxios, patris potius iusso uidetur obsequẽdũ. Rursus cũ pater iniustus sit, si qđ

matri debetur à filio, reddi prohibeat, mater uero et iusta, et honesta imperet, quis non spreta iniustitia officio suo fungatur in matrē? cum uideri possit patri, qui iniurius sit sine turpitudine, & infamia obtem perari nequire. Hæc igitur, & alia huiusmodi reddunt animum in certum, hæsitantem'q; in utram potius sententiā eundum sit. Quãm obrem multa simul consyderare, metiriq; oportet, Nam etsi quæ à matre imperantur, honesta per se sunt, tamen si pater aliam sequa tur rationem, quod uideantur illa cognatis, necessarijs'q; ualde noci tura, quod sint cessura malo exemplo in ciuitate (multa enim hone-sta nunc uidentur, quorum aliàs aliud erit iudicium) nimirum ma ter audienda non erit, non tamen aperte contemnenda, sed blandis potius uerbis, ac comiter, uerecunde'q; adeunda à filio, & quoad po test sine acerbitate dissuadenda, id ne exigat, quod iure non placeat patri, cui & ipsa morem gerere in eo debeat, ostendendum'q; non tantæ illi curæ esse debere, ut sibi pareatur, quantæ ut ne pater utrisq; irasci iure possit. Sin uero aut hæc, aut his simulia non obstiterint, ad matrem declinabit, ad quam & honestas, & iustitia ipsa eum hortentur, quoad tamen fieri poterit modeste, sine'q; detestatione patrem conabitur traducere in suam sententiam, quod si minus asse-quetur, id saltem cauebit, ne spreuisse illum uideatur, sed tum mater-na pietate, tum rei honestate uictum cedere se, et illius imperio obseq. Nam si omnino iniustus, & rationis, honestatis'q; inimicus pater non fuerit, tametsi initio ægre id ferat, ubi tamen recte illud reputauerit, non modo non irascetur filio, sed commendabit illum, & recte ab eo factum dicet. Potest etiam cadere, ut quod iussum est, non tam sit atten dendum, quàm uertenda cogitatio ad utriusq; mores, ad annos, ad ualetudinem, si mater mitis sit, & longe natu minor, pater diffici-lis, morosus, grauis annis, aut morbis confectus. Itaq; non tum ali quando habenda est præcepti ratio, quàm morum, ætatis, ualetudi-nis, futuræ'q; in domo aut rixæ, aut concordiæ. Quo'circa locus hic circunspectione, ac pensitatione multa indiget. At non dabitur ad con syderandum tempus, nec erit circunspiciendi locus. Velox est mens, et qui prudens est, studiosus'q; obedientiæ filius, raro offendetur, adeo imparatus, ut opprimatur inter incautos. At non succurret aliquid, et ad rem repentinam tanquam ad tumultum aliquē perturbabitur animus, ut sui compos non sit. Quod cum acciderit, neuter parentum qui sibi obtemperatum non uiderit, grauiter id ferre debebit, quod in tellexerit à filio profectum sine electione, atq; consilio.

Dum Alteri parere uolumus, Alteri nocendum non esse.

n OSSE AVTEM IN PRIMIS Oportet natos esse nos conditione hac, ut parentibus prodesse debeamus semper, obesse nũquam. Quo'circa minime cõmittendũ est, ut dum alterius obsequi iussis uolumus, noceamus alteri, ad quod ut nulla cogere nos uis poterit, si nostro munere fungi uoluerimus, ita nunquam ipsi sponte in hoc labemur, ac peccabimus, ut facinorosi, impij'q; efficiamur obediendi gratia. Nam etsi quod factu bonum est præteriri obedientiæ causa, atq; intermitti concessum sit aliquando, uetitum tamen semper est, quod malũ sit parẽdi gratia fieri, nisi forte in id discrimen uentum fuerit, ut duobus propositis malis, minus sit eligendum, De quo aliâs. An etiam parentibus ius, potestas'q; est imperandi liberis, ut contra patriam bellum moliantur? Minime hoc quidem. Itaq; prodesse illis debemus semper, obesse nunquam, cauendum'q;, nequid illorũ suasu, iussu'ue quod contra patriam, aut contra summu Dei cultum sit, faciamus, quibus quidem ipsi arctissimus necessitatis uinculis obstricti sumus, quorum etiam ius antiquissimum, maximum'q; in utrisq; est, & in liberis, & in parentibus. Cur autem audiendi sint, ubi contra Deum, contra'q; patriam quid imperent, ratio nulla est, cum parere illis necesse non sit, etiam si illud iusserint, ut pro patriæ salute morti se liberi offerant, præterquam ubi leges patriæ hoc iusserint, nemo enim nisi sponte sua, aut ubi lex id statuat, ad talem proficisci mortem debet, cum omnis laus eorum, addo & merces, qui pro patria, pro aris, ac Deo ceciderint, ex mortis contemptione nascatur, quam contemnere nullus potest, nisi qui sponte sua uelit. Nam eorum multi, qui ad mortem feruntur, non tã uidentur illam contemnere, quàm non sentire quid ipsi moliantur, ut qui uino, aut furore perciti in hostis gladium incurrunt. Veruntamen fieri posset, ut parendum illis esset, eundum'q; in discrimen mortis, patria uidelicet, aut religione postulante. Cui quidem paterno imperio qui parere tum noluerit, non tam uideri potest erga parentes inobediens, quàm erga patriam, aut Deum impius. Sed ad rem redeo. Est etiam alia consyderatio, quod & regum, & maximorum Principum filij patres solos intuentur, matrum uix aliqua mentio est, quæ & ipsæ imperia Principum obseruant, nec quem apud priuatos homines locum obtinent. Colenda tamen sunt earũ monita, suus'q; illis habẽdus est honor. In grauibus item, & magnis rebus patris potius sententiæ inhæren-

dum, illiusq; parendum dicto. Is enim plus sapere iudicandus est, & acutius futura perspicere, quanquam hæc, de quibus supra dictũ est, mutari nonnunquam solent. Nam & locus, & tempus, & usus, consuetudoq; , cuius magna uis est, & leges patriæ, nonnunquam et negotia ipsa, sæpeq; futurorum prospectio, aut præsentium rerum status, interdum, quod tum simulare, tum dissimulare opus sit, tantam uim habent, ut obediendi ratio mutanda sit, & ordo uertendus.

LIBER TERTIVS.

q VERENTEM DIV ME Roberte, de philosophiæ conditione, quod primo à Græcis exculta, deinde à ueteribus latinis honorata, postea uero apud Gallos, Britanosq; , ac nostrateis quosdam homines, tantum de ueteri cultu, dignitateq; perdidisset, Consolatur tandem Ioannes Actaldus nobilis Peripateticus, magno uir ingenio, magnaq; doctrina, & iudicio uel inter paucissimos exquisito. Is enim Aristotelica omnia non contentus tam multis interpretibus, quos & uidit adolescens, & didicit, alia ratione perscrutatus, nec tam sophistaneas has argutias, quàm res ipsas quærens, spem attulit fore iam ut philosophia clarior appareat, nec in tam uarios, ac diuersos tracta sensus, litigandi magis quàm recte sentiendi materiam studiosis sui præbeat. Philosophos enim græce loquẽteis sua lingua & audit, & intellegit, ueteres nostros authores tractat, græcis ueteribus uetera latina comparat. Et quoniam Græcis qui in Italia non didicerint, philosophia parum nunc cognita est, ab illis tradita per fidos ac ueteres tum græcos, tum nostros authores noscitat. Itaq; dum nec ignorat græca, nec ueteres scriptores neglegit, in noua ista philosophia non acquiescit, nec in errores passim multos incidit. Sed de ingenio, iudicio, doctrinaq; eius aliàs. De spe ita quidem mihi ipse persuadeo, breui fore quod dixi, ut & philosophia clariorem formam induat, cumq; una sit, & certa ueritas, minime futura sit tam uaria, ac lubrica, & qui eloquentiam sequuntur, habeant unde facilius hauriant, quod exornare uerbis possint. Ab hoc ego nuper cum petissem, ut quæstiones quasdam graues, obscurasq; aperiret, non ante impetrare id ab eo potui, quàm à me extorsisset, ut de obedientia dicturus coniugali, ornamenti aliquid afferrem, quo materiam efficerem legentibus iucundiorem, idq; non in

uitus feci, ut quoniam rem uxoriam omnes accusant, omnes sequuntur, causas ipse aperirem, & cur sequantur, & cur accusent illam, ad quorum alterum natura ratioq; impellat homines, ad alterum peruersi mores, & animi muliebris imbecillitas, atq; inconstantia.

Coniugium à ratione initum fuisse.

*V*T APPETITVS PROPRIVM *est appetere, inde enim nomen ipsum ductum est, sic rationis est illum corrigere, & coërcere.* Hoc *enim pacto solum & quæ honesta uideantur, expetemus, & quæ natura insunt nobis, ea certo, ac recto modo temperabimus, medium illud retinentes, quo remoto frustra omnis noster ad uirtutem conatus est.* Quo*circa cum procreandi naturalis nobis sit appetitus, isq; cum belluis communis, ne promiscue, ut illæ, coiremus, ratio uetuit, qua duce, ac magistra coniugiorum leges principio latæ sunt, quibus communis gentium nationumq; consensus accessit.* Nam *etsi non apud omnes nationes eadem sit coniugiorum lex, cum hic unam tantum uxorem, alibi plureis habere sit permissum, nulla tamen gens adeo barbara, & fera est, apud quam omnis concubitus sit permissus.* Quo *magis damnanda est illorum opinio, qui optimum esse arbitrati sunt, ac ciuitatibus maxime conducere, si mulieres communes essent, qui mihi nihil aliud uidentur suasisse, quàm ut promiscue, ac sine ullo discrimine & in propatulo coëamus omnes, sublata de rebus humanis pudicitia, labefectemusq; arctissimũ retinaculum societatis humanæ, coniugalem fidem.* Nam *cum primum, ac maximum ciuitatis uinculum sit domestica coniunctio, ipsa autem exsistat ex uiro, uxore, & liberis, quænam fuerit ista coniunctio, si sociam pignorum, quam & aues certam habent, si liberos, progeniemq; nemo suam nouerit?* Nam *ut appetitus propria est procreatio, sic rationis proprium est prolem nosse, illamq; tollere, atq; informare.* At *melius fortasse ciuitates ipsæ sibi constarent, stabilioresq; earum res essent, si quicunq; nascantur, nostros eos liberos opinemur, aut si quicquid illa pepererit, quam primi cognouerimus, nostrũ esse ducamus.* Falsam *hanc esse opinionem in primis necesse est, & naturæ hominis prorsus repugnantem, cuius cum actio omnis eò respiciat, ut bonum adipiscatur aliquod, non quidem alienum, sed quod pertinere ad se intellegat (nanq; ut bona quædam tanq̃ communia expetantur, principium tamẽ illorũ expetendorũ inde est, quod et cõmunia nobis ipsis*

perinde, ut cæteris alijs usui futura sint) male cum genere humano actum fuerit, si domesticæ præsertim coniunctionis, quod initium ciuitatis est, in falsis opinionibus iacta sint fundamenta, nihilq; nec certum unquam, nec propriũ singuli haberemus, quod appetitiones, actiones'q; assequerentur nostræ. Sed non est nunc necesse pluribus aduersum hæc disserere, cum & legibus cautum hoc sit, & Platonis ista iã pridem sit explosa sententia.

Coniugium certæ prolis gratia fuisse institutum.

Coemptio

CONIVGIVM *Igitur & naturale, & legitimũ est, ac suscipiendæ certæ prolis gratia institutum. Cũ autem ex uiro constet, & uxore, sit'q; uxor in re præsertim domestica (in alienam enim concessit domum) uiro suo inferior & propter naturæ excellentiam, & propter leges, quæ hoc iubent, erit maritis ius, potestas'q; præcipiendi uxoribus. Illarum uero partes erunt uereri uiros, & metuere, non tantum ut uiros, sed etiam ut patres, quando apud Romanos, quæ per coëmptionem conueniebat uxor, à quo more parum noster hic abest, erat uiro loco filiæ. Coëptio autem peragebatur hoc modo. Cicero prior Terentiam interrogabat, an sibi materfamilias esse uellet. Quæ ubi uelle respondisset, & ipsa stipulabatur Ciceronem, uellet'ne sibi paterfamilias esse, is'q; ubi conceptis uerbis, et se quoq; dixisset uelle, tum Terentia Ciceronis conueniebat in manum. Et hæ quidem nuptiæ per coëmptionem dicebantur, quod uir, uxor'q; mutuis sese interrogationibus, assensionibus'q; coëmissent, erantq; uxores matresfamilias uiris suis filiarum loco. Quæ si utilibus & honestis illorum præceptis parerent semper, & genialis tori legibus aduersari nollent, nunquam sapientes quidam uiri de ducenda uxore dubitassent, nec fortunatum putassent illam non habere. Ex inobedientia enim & contumacia lites oriuntur, ac pleraq; coniugiorum mala, quibus utinam ne essent etiam fortunatissimæ domus oppletæ. Quod si nõ quanta uiris inest patientia tolerandis illis ne pares eas nobis faciamus, minor saltẽ, aut certe aliqua haberetur ab uxoribus obediendi ratio, ut honestissima est coniugalis uita, esset etiam felicissima iudicio sapientissimorũ hominum. Quis enim non bonam felicitatis partem consecutum iudicet, Publium Rubrium Celerẽ, qui ut ipse monimento inscribi iussit, Cum Caia Ennia uxore uixit annos quadragintatres, menses octo sine querela, & Albutium tertium, qui cum Terentia Valentiana*

uixit quinq; & uiginti, etiam sine ulla querela. Contra uero, quibus illum stimulis ac doloribus agitari credas solitum, & tanquam in neruo torqueri diesq; & noctes, qui sepulcro suo in hæc uerba scribi iusserit, titulum litis, atq; obiurgij plenum? Heus uiator,
» miraculum. Hic uir, & uxor non litigant. Qui simus non dico.
» At ipsa dicam. Hic Bebrius ebrius, me Bebriam ebriam nominat.
» Hei uxor etiam mortua litigas? Hinc illæ graues, & obiurgationis plenæ uoces.
» Certe sanus eras, uxorem Posthume ducis?
» Dic qua Tisiphone, quibus exagitare colubris? Et quæ sequūtur.
Atq; ut aliæ hic taceantur à nobis causæ, hæc una satis in se rationis habet. Quare magna quædā īfelicitas uxoris contumacia sit, q͛d
» Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,
» In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.
Atq; ut noctu minimum in lecto dormitur, ita interdiu acerbissime oblatratur domo tota. Antonium Panormitam, cum ab eo quæreretur quibus maxime opus esse iudicaret ad connubij tranquillitatem, respondentem audiui, Nullas nec quietas, nec felices satis nuptias esse posse, præterquam si uir surdus esset, uxor uero cæca. Memini me inuitatum aliquando ad amici nuptias ab Errico Puderico equite Neapolitano, Cui cum ego dicerem, quid me socio opus esset, Certe, inquit, nolo solus in amici funus prodire. Omnis igitur pene rei uxoriæ molestia ortum habet ab inobedientia, quæ totam sæpissime rem familiarem interuertit, conijcitq; ipsos patresfamilias in ærūnas quam grauissimas. Quanquam & aliquando uiri ipsi sunt in culpa, dū aut pecuniæ cupiditate, aut ambitione capti præcipitā tur in nuptias, nescientes nobilitatis et amplæ dotis duo pessima mala socia esse, uxoris superbiam, & uiri seruitudinem. Itaq; non iniuria apud Plautum nostrum, ueretur ille magnatem, dotatamq; matronam ducere, ne sibi dicendum esset, Argentum accepi, dote imperium uendidi.

Obedientiam maxime uxoribus seruandam esse.

p ROBAM IGITVR uxorem, coniugijq; seruantem leges, una maxime et efficiet, et perficiet obedientia. Hæc enim & pudicam, et amantem uiri sui, & rerum parcam familiariarum reddet. Cūq; obediētiæ proprium sit, memores nos rationis facere, quæ rationem sequetur uxor, ea lites fugiet, compescet obiurgia, & animum uiri sic in

trospiciet, atq; obseruabit mores, ut neq; conuitiandi causam uiro praebeat, neq; accipiat ab illo praebitam. Quaénam pax in illa esse domo potest, in qua mulieris dominetur appetitus? Neq; enim aut induere omnes Socratem possunt, aut ducendae uxoris finis is est uiro, ut patientiae assuescat, tolerandis'q; clamoribus. Recte familiaris meus compater Neapolitanus, cum ab amicis grauiter accusaretur, quod iã grandis natu, & diuitijs satis bonis tam ab re abhorreret uxoria, Deesse sibi patientiam causatus est, qua una uel maxime opus esse duceret. Vxorem enim cum dote simul clamores, ac supercilium in domum illaturã, at sibi patientiam nullam esse. Omnis igitur rei uxoriae tranquillitas, addo & felicitas, aut magna certe felicitatis pars, siqua esse in rebus hominum solida, ac uera felicitas potest, in seruandis obedientiae institutis fundamentum habet, quod ubi male iactum fuerit, facile totum opus labascet, & corruet. Obedientis igitur uxoris est, primis ac pulcherrimis pudicitiae bonis illud statim addere, & coniungere, ut in re familiari traditam à uiro regulam minime aut obliuiscatur, aut contemnat, quanquam sunt quidam adeo imprudẽtes & ingenio ita hebeti, ut eorum munera obeunda sint ab uxoribus, quibus aut opera deesse illas, aut consilio, nimis contra iustitiam est. Neq; enim in sociam domesticarum rerum lecta est uxor, ut laboris, ac periculi, sine quibus nullum esse uitae genus potest, expers uiuat, cum ad labores non minus, quàm ad uoluptates ducta uideatur quae prolis causa ducta est. Quámobrem & nos recte fortasse laudasse Adrianam nostram uideri possumus, cum diximus.

» In partemq; uenis nostrorum sponte laborum,
» Remq; domi, & natos qua licet arte iuuas.

Est enim magnopere in uxore commendandum, ubi ea cum honestate rem auxerit, quanquam in nobilium domibus late nunc regnat otium & mollities. Nam quae illustris haberi uult, ea praeter suam generis'q; dignitatem se fecisse iudicet, siquid operis in mariti domo fecerit, à quo quidem omnino, semperq; cessare otio, marcentis est foeminae, libidinemq; fouentis, contra uero probae, et frugi nullum pati tempus frustra elabi, quaedamq; in ipso propatulo facere, quaedam etsi minime deceant ante ostium, eadem tamen si intra cubiculum exerceantur, uel maxime deceant.

Vxorem uiro suo parere debere amoris augendi gratia.

QVANQVAM autem in hac coniunctione, quae prima quidem societas est, magnam esse amoris uim fatentur omnes, facile tamen amor uertetur in odiũ, ubi obe

dientia uireis suas amiserit. Danda est igitur opera, ut quæ amari à uiro cupit, eius præceptis præstò semper sit, & secundum illius regulam uiuat. Nã quæ hoc respuerit, haud scio quid aliud ipsa, quàm adultero ut placeat, curet. Obedientia igitur ut maiores indies amori cumulos adijcit, sic & amor, qui legitimus & uerus est, pudicitiæ. Cuius studium tantam in se uim habet, quantam non est cur admireris in Penelope, si illas respexeris, quas non Homerus, sed propria uirtus claras, atq; illustreis fecerit. Sed licuerit maximo Poëtæ fingere, dum pudicitiam laudet, & Penelopen, dum uirum expectat, lanificio, telæq; occupatam factam decantet anum. Licuerit & Laodomiam inducere uiri imagine è cera ducta, solantem dulcis, & castas amoris sui curas. Suspiciamus & Alcesten mariti sui fata subeuntem, eaq; ut ab illo auerteret in sese sponte conuertentem, Poëtarumq; carminibus indulgeamus, adeo, ut ne lacrimis temperemus, cum audimus Euadnen in mariti ardentem rogum insiluisse. Igitur si ficta tantam afferunt legentibus admirationem, quantis prosequẽda sunt laudibus uera? Mater mea annos nata quatuor & uiginti uirum amisit, quem mortuum tanta fide, desyderioq; prosecuta est, ut rarissimum alijs præbuerit exemplum & obedientiæ in uiuos, & desyderij in amissos coniuges. Tanta etiam uirtutis huius uis est, ut maritos aliquando ad uoluntariam seruitutem compulerit. In maritima Lucaniæ ora uicus est satis celeber Lẽtiscosa, ubi tempestate hac iuuenis quidam fuit, etsi media è plebe, magnum tamen qui uirtutis suæ præbuerit testimonium. Is uxore & amantissima, & obsequentissima utebatur. Cumq; daret operam messoribus, unaq; adesset uxor (erat enim ea pars anni, qua messis desecatur) declinauit tum illa paulum ardoris æstu delassata sub umbram arboris, quæ erat litori finitima, atq; à piratis Afris, qui oram illam sæpius infestant, ubi paululum modo quieuisset, est rapta. Vir postquam adesse illam non uidet, & quæsitam minime inuenit, ratus (quod erat) raptam à prædonibus, ad mare decurrit, animaduertensq; triremem consistere ad anchoram statim è scopulo in mare desilit, natabundusq; ad illam, quam raptam intellegebat, peruenit, raptores obtestatus, ut se quoq; cum uxore abducerent. Hi fidem hominis, atq; animum admirati, ubi Tunetæ applicuerunt & præda exposita est, Regi rarũ facinus, & memoratu dignum referunt, qui quanquã barbarus, & Christiani hostis nominis, uirtutẽ tamen hominis suspiciens, illum cum uxore libertate donauit, et inter custodes sui corporis scribi iussit. Et quoniam, ut dixi, maiores indies amori cumulos addit obedien-

Mariti fides et amor erga uxorem.

tia, Contra uero inobedientia, omnem amoris uim tam facile in odium uertit, ut quos initio uoluntas coniunxit, mutuaq; beneuolentia, paulo post tædium, atq; ira seiungat, in grauissimasq; coniiciat lites. Hoc est causæ, cur quidã relictis uxoribus, quas repudiare nũc leges non sinant, ad externas urbes demigrauerint. Cõtra uero si uelimus consyderare, cur quædam amissis coniugibus uiduæ sponte manserint, inueniemus causam ab obedientia profectam esse. Nam cum ipsæ uirorum animos, dum illi uiuerent, neq; offendere neq; uoluntati eorum aduersari minimum quidem uellent, hinc uirorum in ipsas amor tantas sibi cœpit uires, atq; auctus, ut mutuam postea beneuolentiam ne mors potuerit uincere, aut conceptis uerbis datæ semel fidei abolere memoriam.

Signa ueri amoris.

u ERAE autem beneuolentiæ, & præcipui in uirum amoris, studiiq; signa sunt hæc. Prolem ex illo susceptam amare. Rerum domesticarum studiosam, & parcam esse. Cognatorum, affiniumq; suorum rebus uiri res præponere. De absente solicitam esse. In ægrum officiosam & anxiam. Inter familiares seditionem minime serere, nec domus quærere discordiam. Hæc præcipue ubi affuerint, facillime iudicabitur, qualis sit uxoris in uirum animus, & quod obedientiæ studium. Cuius etiam rei maximum, certissimumq; indiciũ illud est, si priuignos non oderit. Nam quæ illos amauerit, eam ut muliebri captu maiorẽ admirabimur.

De Zelotypia cauenda.

u NVM EST, quod calamitas quasi quædam quæ frugem profectui proximam, atq; in ipso iam fructu intercipit, rem uxoriam maxime uexat, ac perdit. Id autem est affectus ille, quẽ græci ζηλοτυπίαν, Cicero obtrectationẽ uocat, qdam etiã riualitatem dixere, nã riualis ni timeatur, nullus huiusmodi exsistet affectus. Vulgus quoq; nõ improprie gelosiã uocat, qđ animũ assiduo metu territet adeo, ut cõtinua suspicionũ recursatiõe gelu quodã sanguis ipse cõcrescat, quæ solicitudo q̃q̃ multarũ in se habeat discordiarũ semina, raroq; gratia in illa esse domo põt, in qua radices altiores egerit, origo tñ eius sab amore est, q metu, ac suspicione uictus, diffidensq;, ac pauitans, et nunc dolore, nũc ira per citus mentẽ adeo ꝑturbat, et animũ concutit, ut eius ferri uix possit impotentia.

Gelosia

potentia. Quo'circa fugiendus est is animi morbus, & solicitudinis plena perturbatio, quæ ubi uehemētior est, quamproxime accedit ad insaniam. Cui tametsi uis omnis non possit eripi, præstandum tamen est ut freno coërceatur aliquo, nec permittedum, ut ruptis habenis feratur in abruptum. Vide quorum hic affectus causa sit incommodorum, quod non modo inter uicinos, domesticosq; manifestas inimicitias excitat, sed quæ hoc morbo sit affecta & amicos oderit coniugis, & nonnunquam liberos exsecretur. Quæ licet frustra uideantur præcipi mulieribus, qđ molles sint, affectibusq; dominandas sese permittant, atq; ubi morbo corruptæ semel fuerint, aut nūquam, aut certe difficillime reuocentur ad sanitatem: Satis tamen magnus est et uirorum numerus hoc uitio laborantium. Ad hæc multas ipsi & legimus, & audiuimus, & cognouimus matronas singulari moderatione, summaq; prudentia, quæ non domus tantum, domesticæq; concordiæ studiosæ fuerint, sed magnos populos moderarentur præcipua cum æquabilitate, & moderatione.

Quæ deceant uxorem.

d

DECET IGITVR *Probam, et continentem uxorem lites in primis fugere. Quarum fugiendarum duplex est ratio. Altera si non nimis magnam operá contulerit ad cognoscendas mariti consuetudines, urbanasq; familiaritates, nec ad illius secretiores actiones explorādas intellegendasq; plus æquo intenta fuerit, Altera si uoluntati eius minime aduersetur, modo tamen uoluntas talis sit, quæ reprehensione sit uacua, careatq; turpitudine. Aliqui enim sui, idest rationis, honestatisq; immemores, sociasq; illas esse obliti, quod natura sunt inferiores, ancillarum loco habere eas uolunt, & nonnunquam ad turpia, & flagitiosa cogere. Itaq; ut decorum est, & obedientis fœminæ proprium officium, coniugem uereri, & in pretio habere, ita turpissimū fuerit illius libidini ipsam obsequi, dedecorantem, seq;, remq; uxoriam, dum probrosis uiri cupiditatibus, propudijsq; obtemperat. Neq; enim tantum iuris est in uxores maritis, ut in ijs, quæ improbe, propudioseq; petantur, & contra ius, fasq; præcipiantur, mos eis gerēdus sit. Primum igitur obedientiæ præceptum hoc sit, ac prima in coniugijs lex hæc sanciatur, ut turpibus, atq; obscœnis minime pareatur, a quibus præcipiendis abstinere omnino uiri debent. Illæ autem continere, ne nimis magnam, ut dixi, curam adhibeant in maritorū fa-*

miliaritatibus, secretisq; cognoscendis. Nam & domi quædam fiũt, quæ nescire uxores deceat. Aemilia Scipionis uxor non modo dissimulanter tulit ancillam suam haberi à uiro in delitijs, uerum Scipione mortuo manumissam eã liberto suo dedit uxorem. Illud quoq; uel maxime repugnat obedientiæ, coniugaliq; concordiæ, uelle id uxorem, ut consilio, arbitrioq; suo uiuatur à uiro, quod arrogantis est, penitusq; intolerabilis. Florentini tamen, & Geneuenses, qui rem familiarem optime dicuntur gerere, totius ferè rei domesticæ disponendæ curam, atq; onus permittunt uxoribus. Illæ enim cuncta, quæ ad uictum quotidianum, quæ ad penum, quæ ad comparandam, instruendamq; cæterã supellectilem pertinent, administrant, uiris permittentibus, ac multa eorum persæpe ignorantibus. Plurimũ quoq; aduersatur obedientiæ & probitati, quod sunt non paucæ, alioqui præstantes fœminæ, quæ uirorum reprehensiones ægre ferant, idq; eo detestabilius est, quod eædem uideri uolunt sapientes esse, & consilij haudquaquam uani, ne minimas quidem illorum inclamatiunculas æquo animo laturæ. Quædam generis elatæ nobilitate adeo fastidiunt, præsertim ubi uiros impares nactæ fuerint, ut tametsi pudicæ sint, & rem familiarem diligentissime tueantur, iure tamen clamet Poëta ille.

» Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
» Gracchorum, si cum magnis uirtutibus affers
» Grande superciliũ, et numeras in dote triũphos. Alias amplitudo dotis tumidas reddit, aut formæ raritas insolentes facit, alias multitudo cognatorũ, nõnullas prolis fœcunditas. Et ubi cætera desunt, ipsa interdũ pudicitiæ, probitatisq; conscientia supercilium erigit, atq; animos facit, quæ quidem adeo uim omnẽ obediẽtiæ, domesticæq; quietis labefactant, ut nulla in re domestica maior sit pestis, quàm uxoris insolentia. Sed ne longius progrediar (neq; enim de re familiari, quã philosophiæ partem οἰκονομικὴν græci uocant, nunc præcipio, his explicatis, ad illam obedientiæ partem transeo, quæ tota ad seruos pertinet. Cui parti & hoc accedet, ut de iis quoq;, quos tum famulos, tum familiares honestiore nunc uerbo dicunt, pauca quædam disseramus.

De seruitute.

q VANQVAM autem seruitus naturali repugnat libertati, initium tamen eius antiquissimum esse constat, quod indicant res tum à græcis, tum à barbaris bello gestæ. Memoriæ proditum est solitos in saturnalibus

cum dominis seruos discumbere, quod Saturno rege nemo seruierit in Latio, quæ res declarat apud priscos latinos & eos, qui Aborigines dicti sunt, talem nullam fuisse seruitutem, quando hodie quoq;, nec in Aemilia, nec in transpadanis seruum inuenias. Apud Germanos quoq; & Britanos seruit nunc nemo. Dicti autem initio serui, quod in prælio seruati essent, ut uideo placuisse maioribus. Qui enim in pugna non cecidisset, is iure belli suus erat uictoris effectus, nomenq; ipsum ignominiæ causa inditum. græce δῦλος dictus, Nam & idem captiuus à nobis dicitur. Ancum quoq; Martium belli cosum regem, sunt qui ferant primum instituisse, ut puellæ tēra hostica abactæ captiuæ domi haberentur, indeq; ancillas esse dictas. Et tamen prisca illa lingua, anculari dicebatur ministrare. Principio igitur apud Romanos qui de legitimo fuisset hoste captus, seruiebat. Nā de nexu nihil hic dicendum uidetur, nec de duodecim tabulis, quæ furē manifestum ei, cui furtum factum esset, in seruitutem tradebāt. Assyrij uero, & Persæ quod ijs subigendarum nationum acrius erat studium, bellaq; etiam non lacessiti inferebant, magis quàm indicebant imperandi cupiditate, seruos sibi è libidine, quàm ex iusta belli causa comparabant. Cui malo magna & à piratis accessio facta est, dum communes omnium hostes sunt. Et quos Heroas admiramur, uxores quoq; per rapinam sibi comparare solitos historiæ tradunt, idq; præcipuæ laudi datum esse. Inde usq; enim cœpit seruitus, adeoq; à seculis nostris remota sunt eius initia, quod et sacræ testificantur literæ, ut Heroum etiam temporibus prædones habiti sint illustres. Et si fateri uera uolumus. Iason ille Minyarum dux, & qui eum secuti sunt lecti iuuenes arguæ robora pubis uel cum primis exercuere piraticam. Apud Turcas, & Afros, cum quibus ut assiduum geramus bellum diuinarum rerum opinio facit, non modo enim diuersa, uerum & contraria pleraq; de Deo et dicunt, & sentiunt, nullus alius seruit nisi Christianus. Vetant enim à Mahometo latæ leges quempiam religionis, cultusq; eiusdem haberi seruorum in numero. Apud nos & Christiani seruiunt. Nam ut de maioribus accepi, Thraces quoq;, & Græcos, qui Pontum incolerent, uenūdari mos fuit, qui ne seruitia barbarorū essent, mercatores Euxinum nauigantes redemptos illos à Scythis, uenales faciebant. Honestius enim uisum est tantisper seruire eos, dum solutam pro capite suo pecuniam rependerent, q̄ prædam esse barbarorū, perpetuæq; obnoxios seruituti cum maximo ēt Christiani nominis opprobrio. Quod hodie quoq; seruatur aduersus eos, quos Burgaros, & Cercasios uo=

Serui

Ancilla

cant. Soli Aethiopes, qui decolores sunt, omnium sunt nationum serui. Nam cum uiuant sine institutis, ac legibus, finitimorum primo præda sunt, de'inde cæterorum mancipia. Quin & parentes ipsi liberos uendunt mercatoribus nostris, & frumento persæpe mutant. Hæc igitur tanta humani generis iniuria ius gentium effectum est. Cui apud nos derogatum in hoc est, quod pueros euirare non licet, cum sit immanitatis extremæ.

Quæ à Seruo præstanda sint.

q VONIAM AVTEM Seruus quædam domus pars est, atq; i ipsa domo paterfamlias dominatur, oportet seruum illius primum, de'inde aliorum, qui eiusdem sunt familiæ imperiis obedire, & mandatis rebus dare operã. Qua uero potissimum ratione hero suo seruiat è sententia, metus efficiet. Nam ut illum amet, difficile est, præsertim si grãdis natu captus, emptus'ue fuerit, quamuis uernas quod domi & nascuntur, & educantur, neq; unquam libertatem norunt, amare heros sæpenumero usu ueniat. Qui uero captus sit amissa patria, coniuge, liberis, parentibus, qui amare aut raptorem, aut emptorem, possit nõ uideo, cum sciat erepta sibi ab illis ea, quæ prima mortales ducunt, libertatem, & diuitias, & cum iis, quos dixi, uxorem, liberos, cognatos. Seruum igitur obedientem metus efficiet. Nam ut est apud Plautum, et si herus absit, adesse tamen illum arbitrabitur, atq; absentem metuet, quem qui non metuet, malum eum, ac nequam esse necesse est, herilis'q; detrectatorem imperij. Contra uero metus in quo sit, is mandatis rebus præuertet semper, & ut idem poëta inquit, "Næ ædepol ille multa in pectore collocabit, quæ hero placere sentiat præsenti atq; absenti suo." Multæ igitur uirtutes necesse est ut quasi comites quædam metum hunc subsequantur, diligentia, taciturnitas, fides, studium, solertia, sobrietas, parsimonia, cura. Ad hæc, qui dominum uerebitur non rapiet, non infamabit, neque loquax, neque mendax erit, cum etiam si decem habeat linguas, mutum eum esse addeceat, plus'q; oporteat scire seruum, quàm loqui, ne discedamus à Plauto. His & hæc accedunt, quod erit tum frugi, tum animo semper attento, instructo'q; ad ea facienda, quibus opus fuerit, quæ & iniussus meditabitur, ac demum heri seruiet arbitratu, non suo.

De uario seruorum usu.

e T ROMANI postquam rerum potiti sunt, seruorum opera libenter usi dicuntur, non solum ad res rusticas, uerum etiam urbanas. Eosdem enim habuere dispensatores domesticarum rationum, & custodes corporum suorum, cæterisq; rei familiaris negotijs præficiebant, aduersum quos quanta usi fuerint facilitate, humanitate, iustitia, ut alios
» omittam, satis locuples testis est Seneca, cuius uerba sunt. Ne istud
» quidem uidetis quàm omnem inuidiam maiores nostri dominis, o-
» mnem contumeliam seruis detraxerint. Dominum patremfamilias
» appellauerunt, seruos (quod etiam adhuc in minimis durat) familia
» res. Instituerunt diem festum non solum quo cum dominis famuli ue
» scerentur, sed quo utiq; honores illis in domo sua gerere, ius dicere
» permiserunt, & domum pusillam rempublicam esse iudicauerunt.
Quid, quod illos instituerunt & ad disciplinas liberales? Seruiuit Romæ Terentio Lucano Comicus Carthaginiensis. Seruiuit & Syrus ille Publius nobilis Atellanarum author. Cicero quoq; incredibile est quantum indulserit Laureæ, ac Tironi eruditissimis uiris. Cæcilium, cui primus in comœdia honos ab antiquis delatus est, cognomen ipsum seruum fuisse demonstrat. Statius enim seruile nomē fuit. Iam uero ueterum grammaticorum magna pars ex libertino rum fuit ordine. Quid, quod uix alijs usi sunt, aut medicis, aut architectis? Quin & Imperatores prouincijs quoq; præficere illos soliti sunt. Fuitq; Romæ aliquando libertina conditio in pretio, cum nō nulli senatorijs etiam ornamentis donati legantur. Et apud græcos clari quidam è seruis philosophi euaserunt. In quibus Phædo, de cuius nomine Plato librum de immortalitate animorum inscripsisse dicitur, & Menippus, cuius libros Marcus Varro, quod in Satyris suis æmulatus esset, easdem appellauit Menippeas. Nostra tempestate Turcarum Reges pleraq; per seruos agunt, geruntq;. Syris nūc serui imperant, nam cum apud eos soli serui militent, ex illis creatur quem ipsi Soltanum, nos dominum dicimus. Quo magis studere hos oportet, & contendere, ut quibus opus est artibus, dominorum sibi concilient beneuolentiam, qua nulla nec breuior, nec certior ad libertatem est uia. Sunt autem diuersæ artes, multiplicesq; rationes, quibus heri comparari possit indulgentia. Vbi uero cætera defuerint, non desit fides, ac probitas, quæ deesse potest nemini, modo uoluntas assit bona, cum præsertim non semper opus à seruo exigatur, aut labo-

Soltanus

re manus atterendæ ſint. Paucis ante annis matrona Tunetina cum diu ex ægritudine iacuiſſet, nec ulla humanæ opis relicta ſpes eſſet, ad deumq; cõfugeret, ſeruam ſuam ſingulari probitate fœminam his » uerbis allocuta dicitur. Ego te chriſtianam eſſe ſcio in ſeruitute, » quam multos mihi annos ſeruiſti, retinentem dignam libera'i fœmi » na probitatem, ſeruantem'q; ritus patrij cultus, Quippe quam & ie » iunijs à põtificibus ueſtris, ut ex te ſæpe audiui, ſtatis uti certis diebus » animaduerto, & quotidianas horis ſuis Deo gratias agere, multis'q; » uenerari precibus. Tua iſta tanta abſtinentia, & in Deum pietas, co » git me, uel ut te amem, & quàm neceſſe eſt ſeruam mulierem cario- » rem habeam, ac tametſi fideli, & diligenti opera quotidie utar tua, » nunc uero & præſidio opus eſt. Tu ſi in te unquam clemens fui, & » ſemper facilis, aut ſi libertatis te amor mouet, Deum iſtum, quem » tanto cultu ueneraris, ora, ut me iam iam cedentem ægritudini, beni » gnus aſpiciat, morbo'q; liberatam liberis meis reddat incolumẽ. Il la nuncupatis uotis Chriſtum exorat. Hera morbo liberata, accepti'q; beneficij non immemor Lucinam mittit manu, & ad ſuos in patri am cum paruula etiam nepte, largo'q; commeatu redire iubet, quæ fe lici uſa nauigatione paucos poſtquam ſoluerat dies, in patriam ubi nunc agit, perlata eſt. Igitur non opera tantum, uerum etiam bonæ artes, eæq; in primis mancipia commendant, aduerſus quæ & iuſti tia ſeruanda eſt à dominis, nec committendum, ut dum timeri ipſi uo lunt, efficiantur iniuſti, illos'q; ad ultimam cogant deſperationem. Maioricenſis ciuis abunde locuples ruri cum eſſet, ſeruum'q; gra- uiſſime cecidiſſet, tum ſeruus iniquius ſecum actum iudicans, ra- tionem hanc commentus eſt, qua & ſeruitutem finiret, & herum ulciſceretur. Hero enim longius à uilla profecto, domo clauſa fo- reis munit, ac matrefamilias arctius uincta, herileis liberos in editiorem domus partem ſecum effert, domini illic reditum expe- ctans, qui ubi uillam intrauit, domum clauſam indigne ferens, ſer- uo, qui ſe de culmine oſtendit, minitari cœpit. At, inquit ille, qui nunc domum clauſam tam ægre feras, efficiam ut haud multo poſt te'q; et lucem oderis, uix'q; hoc dicto unum atq; alterum filium è tecto præ cipites iecit. Quo caſu conſternatus, ac penè exanimatus pater, ubi ad ſe rediJt, tertio timens, mutato conſilio ſeruum blandioribus lenire uerbis ſtudet, nec facti ſolum ueniam, uerum etiam libertatem pol licens. At Maurus. Nihil, inquit tuis iſtis pollicitationibus actum ſci- to. Nares tibi excidas oportet, ſi uis tertium tibi ſeruari. Tum pater duobus ſe liberis uno caſu orbatum reputans, quo tertium, qui unus

Mauri crudele facin

erat reliquus, seruaret, conditione accepta, nasum mutilat, qui uixdum terram attigerat, cum tertius cum matre simul ante eius pedes exanimis iacuit. Eum seruus ubi clamoribus, atq; eiulatibus implere agros uidet Deûm atq; hominum fidem implorantem, Atqui nihil tuis istis clamoribus egeris, neque sæuiendi in me tibi locum relinquam. Atque hoc dicto seipsum de summa tecti parte depulit. Timeant igitur ut oportet, quantumq; iustitia patitur, quæ aduersus hoc genus hominum seruanda est, & quàm rei familiaris ratio permittit, ut & iniustitia absit, & obedientes illos, instructosq; habeamus ad opera, resq; nostras atq; in negotiis fideleis, & à flagitiis continentes. Nam indignum serui facinus domini improbitatem accusat.

De Famulis Seu ministris.

FAMVLORVM, QVOS ET Ministros poteram dicere (Sed cedendum est uulgo in quibusdam) duplex genus est. Vnum eorum, qui præsenti pretio seruiunt, alterum, qui futurorum spe præmiorum. Quos hic uocem famulos, omnes intellegunt. Sunt quidem ipsi liberi uerum sponte obligati, atq; ad pactam nonnunquam diem seruiunt. Horum prima uirtus erit fidelitas, qua remota, aut nulla ipsi utentur in dominos obedientia, aut simulata, & ficta. Sed de fidelitate plura postea. Diligentia uero, & studium, & taciturnitas, & cæteræ bonæ artes, eædem et certe maiores in iis esse debent, quàm in seruis, Nã in eo, q liber est, uirtus omnis maior ac solidior esse debet. Famulũ enim seruire liberaliter oportet. In seruo uero etsi cõmendabile hoc sit, tamen si ipse à conditione sua nõ recesserit, nõ adeo accusari debet. Dici enim solet, bene habet, si seruo perinde utimur, ut seruo. Qui uero præmiũ exspectant, hos multo magis oportet nihil somniculose exsequi, nihil remisse agere, cum eorum cura omnis intendere in hoc debeat, ut dominis quammaxime placeant, ac multo magis, quàm illi, qui præsentem capiunt mercedem, pacto enim conuenerunt. Quamobrem bonos hos imitari agricolas decet, qui nihil operis in agris intermittunt unquam. Quippe quibus, ut Maro præcipit, nunquam exhausti satis est. quæ omnia eò spectant, ut quamuberrimos ipsi fructus capiant è laboribus, & quod ille ait, Labor omnia uincit Improbus, cum de iis, quæ ad agrorum cultum pertinent, loqueretur, ut transferamus ad famulitium, Vincet auaritiam

domini, lenietq; superbiam assidua famuli opera, & laboriosum, sibiq; minime parcens ministerium, quod plerunq; cum magno redit fœnore. Etenim magnus est illorum numerus, qui his artibus ad maximas peruenerint diuitias, summosq; magistratus. Inspice, si placet, & Regum, & Pontificum domos, nec teipsum Roberte præteri, plurimos certe inuenies, quos fidelis, ac diligens famulatus ad primos honores, amplissimosq; magistratus euexerit.

De redemptoribus.

d E REDEMPTORIBVS, quos & operarios dicimus, nihil hic uidetur necessario præcipiendum esse. Hi enim satis parent, si quæ conducta est opera, in illa exhibenda cum labore, diligentia, & fide sese exerceant.

LIBER QVARTVS.

l IBET TANQVAM ex editissima specula, unde mortale genus infra me positum despicer, et quasi ab humani cœtus populis audiar clamare Virgilianum illud.

" Discite iustitiã moniti, et non temnere diuos.

Quæ'nam enim ista dementia est, religione spreta, deiq; cultu contempto, abiecisse iustitiã? quæ quidem nulla esse potest, ubi cui omnia debentur, Deus negligitur. Prima nanq;, & optima iustitia est religio, qua remota frustra omnis nostra nititur actio, incassumq; leges scribuntur, & iura, si qui totius humani generis author est, et iudex, contemnatur à nobis, & illi debiti negentur honores. O' Melibœe apud eundem Poëtam, quãquã alio in opere dicit pastor Tityrus, Deus nobis hæc otia fecit,

" Nãq; erit ille mihi semper deus, illius aram

" Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Ille igitur hominem, propter ab eo sibi concessum otium, Deum uenerabatur, & supplex aras sanguine imbutas manu tangebat. Nos uero, qui quod sentimus, quod mouemur, quod intellegimus, quod contemplamur, quod agimus, quod demum quicquid sumus, à Deo est, à quo & ipsi sumus, si placet, authorem, parentem, moderatoremq; nostrũ, quasi nullus is sit usquam aut contemnamus, aut si esse fateamur, minime creda

mus curare mortalia. O impias, & detestabiles eorum cogitationes, qui de Deo diuinisq; rebus tam sentiant peruerse. Reddit ager cultori creditum sibi semen etiam cum uberrimo fœnore. Arbor, ubi putata & culta est, quanta cum gratia, & copia suas ipsa fruges profert? Nouit capella, à quo salem delingendum accipit, & uocata uenit ad mulctram. Canes, à quo pascuntur, domini sectantur uestigia, & tanquam parum sit latratu, morsibusq; domos defendere à furibus, in ipsa tela incurrunt, ut dominos, ac dominorum bona tueantur. Aliquando & aquila quanquam auis rapacissima, tamen non ingrata, ut à qua uirgine educta ipsa fuerat, gratiam ei referret, diebus singulis uenatus, ac prædæ suæ partes aggessisse ad illam dicitur accepti beneficij quasi mercedem aliquam redderet. Et cum uirgo diem obijsset, rogoq; imposita cremaretur, ipsa in medios ignes alis illata, conflagrauit, cineres suos cum altrice commiscens. Testata est hoc Sestos celebris quondam urbs monimento rei condito. At homo sanctum animal, & ex optima sui parte Dei dono immortalis, quod solus ipse ex omnibus animantibus intellegit, quod sibi cuncta seruiant in uita, Post mortem uero et cœlum pateat, perfecta illic et consumata fecilitate fruituro, tantorum immemor beneficiorum, Deo etsi non parem (quantuli enim ipsi sumus) quam tamen potest referre gratiam aspernabitur? præsertim cum paucissima exigat à nobis, à quibus aliud quid'nam exigit, quàm ut quo' dignatus nos est, animo, eum ne turpibus fœdari curis, corporisq; infici contagione sinamus? Hoc ubi feceris, parua etiam mica tibi illum placaueris. Et tamen inuenti sunt, qui in Deū inuehantur, maleficentissimi homines, immo immanissimæ belluæ, quibus et hoc deteriores sunt, quod illæ quem non norunt, ei non maledicunt. Sed nos sapientissime Roberte Dei causam nunc non agimus, et de religione plura fortasse aliâs, & suo loco. Secundum ab hoc iustitiæ genus est, quo uti debemus non in singulos modo, uerum erga totius humani generis societatem, quam non immerito sanctam dixit antiquitas. Quippe quam uiolare fas non sit, ne autem uioletur iustitia efficit, per quam & urbes florent, & gentes, ac nationes pace sua fruuntur, quod iustitiæ ipsius primū, ac maximum munus est. Magna igitur habenda est illis gratia, qui Resp. moderantur, quorum curæ, studijq; hoc est. Nam ueluti nec domus ulla, nec res familiaris, quamuis ampla consistere sine rectore, atque eo, qui paterfamilias dicitur, potest, ita ciuitates ipsas solui, ac dilabi necesse est, ubi caruerint rectoribus, qui et inter ciues iustitiam procurent, et publicæ salutis curam

Aquilae gratitudo

gerant, pacemq; tueantur, ac pacis bona, in quo Dijs immortalibus similes mihi uidentur esse. Illi enim generi hominum omnia suppeditant, quæ ad uiuendum necessaria sunt, hi ciuibus omnia præstant, quæ ad conseruandã societatem, quæ ad ampliandam rem tũ communem, tum priuatam spectare uideantur. Quibus quidem, si uerum est, quod melioribus parendum sit, ut certe est, ciues omnes obtemperare & obsequi par est, quod ni fit, frustra nimirum natura ipsa sociabiles nos fecit, nulla nanq; constare sibi societas potest, ubi desit obedientia, De qua quoniam de domestica satis dictum uidetur, sequenti libro disputabimus.

An Homo cum liber natus sit, Domino parere debeat.

S EQVITVR SVSCEPTI Operis ea pars, quæ est admodum utilis, et necessaria, continetq; præcepta illa, quæ seruare, et qbus parere debeant, q in ciuitate, ac sub rectoribus uiuũt. Exsistit autẽ hoc in loco quæstio ualde difficilis, an cum liberi nascamur, parere domino cuiquam debeamus, atq; illius imperijs obsequi. Nam si libertas est perinde, ut uelis, uiuere, ut uideo arbitrari quosdam, quomodo qui alienum fert imperium, ut uult, uiuet? Placet igitur hoc primum quærere, et ante quàm ad ipsa præcepta ueniã, ostendere, tametsi liberi nati simus, nihilo minus & Regum, & magistratuum imperijs pa rendum esse. Libertatis enim muneribus, cuius nomine ipso recreari solent homines, tum mihi frui maxime uidentur ipsi, cum maxime parent. Quod & Seneca uidetur sentire in eo libro, qui est ab eo scriptus de clementia, cũ ait. Idem huic urbi dominandi finis fuerit, qui & parendi. Principio natus est homo sociabilis, atq; in tanta rerum naturæ copia, quæ usui sunt, cum aliud animal nullum æque laboret inopia, neq; magis alienæ opis indigeat. Hac etiam necessitate impellente, ut arbitrati quidam sunt, cœtum amat, & ciuitates colit, cui soli et oratio data est, tanquam instrumentum, et uinculum quoddam ad societatem ipsam facilius ineundam, diutiusq; retinendam, quo rebus ijs, quibus eget, commodius prospiciat, & tum sibi, tum liberis, familiæq; utendas comparet, tueaturq; comparatas. Et quoniam longe melius, atque abundantius uicus unus quàm domus una, & oppidum quàm uicus, uitæ suppeditaret necessaria, hæc in primis causa fuit, cur homines in ciuitatem coierint, quæ pro-

fecto quantò frequentior est, tantò suppeditandis illis aptior inuenitur. Sed cum ciuitas domibus constet, ipsa primum domus consyderanda est, quæ profecto è mare exsistit, & fœmina, quos non electio aliqua, sed natura ipsa coniunxit, suscipiendæ prolis gratia. Nam homini, ut animantibus cæteris isitus est procreãdi appetitus. Quin etiam ut Maro noster ait,

» -Parnasia Laurus,

» Parua sub ingenti matris se subijcit umbra.

Domus igitur cum ex uiro, & fœmina recte primum constituatur, ut dixi, alter uidetur imperare natura debere, parere altera, & ueluti subiecta esse in officio uiri. Hac enim ratione recte domus gubernatur, et communi indigẽtiæ cõmodissime prospicitur. Natura uero marem præferri fœminæ cum plurima docent, tum illud maxime, quod in prole suscipienda, cuius ipsi gratia iunguntur, uir agit, illa patitur. Quid, quod cum natura ipsa, quæ parens est, & altrix omnium, ad meliora, perfectioraq; nitatur semper. ubi uis illa, qua gignimur manca est, & parum uegeta, ad fœminam recidit, quæ tanquam minus perfecta, iure minor est mare, & perfectiore inferior. Apud barbaros quoq;, qui non tam institutis, & moribus, quàm naturali illo instinctu uitam agunt, mulier uiro seruit. Nam et Garamantes, et Macæ, & Riciades, & Nasamones ignotæ nobis gentes, quas hodie uno nomine Arabes dicimus, uxoribus perinde, ac seruis utuntur. Cum enim nullas habeant certas sedes, & sub ciliciis semper agant, mulieres seruilia ubiq; ministeria faciunt, etiam pascendis, & potandis equis. Verum, ut quæ nunc quærimus, manifestiora fiant, altius repetenda quædam sunt. Corporis nostri partes, ut aliæ ad tolerandũ, aliæ uero ad agendũ sunt accommodatæ, atq; ut oculorum est uisus, aurium auditus, pedum incessus, aliorumq; membrorum alia ministeria, utq; in hoc ipso humano corpore, quod in similitudinem mihi cepi, una est, quæ cæteris imperat partibus, cuius citatu, ac nutu mouentur illæ, ita & ipsius ciuitatis partes, idest homines. Neque enim aliud est ciuitas, quàm cœtus hominum iure congregatorum, alij quidem ad parendum, alij autem, quod et ingenio, et uirtute præstent, ad imperandum nati sunt. Nam & pistores, & fartores, & cupedinarios, & id genus, qui in sordidis uersantur opificijs, & quorum seruilis mens est, credam Aristoteli, natura seruos esse. Contra qui præstanti ingenio præditi sunt, et in rerũ magnarum actionibus occupati, eos et liberos, et magnos esse, in quorum ciuitas cura, moderationeq; conquiescat. Et profecto natura

ipsa in fabricando humano corpore, cum diuersa membra tantum obedientia finxisset, prospiceretq; perfectioni tam excellẽtis fabricæ, inter tot seruientia membra unum produxit generosum, & nobile, in quo pontificiam statueret animi sedem, Intellegens ratione hac recte, commodeq; se acturum hominem, quas ad res illum procreasset. Eadem natura generi hominum consulens, quos in tanta penuria procreatos esse sciret, ad diuersa illos studia exacuit, ut uarijs ministerijs apti, intentiq; inopiam industria superarent. Hinc tot artes, seruiliaq; ingenia, & quæstus hominum multiplices. Verum, ne parum ipsa prudens uideretur, & operis sui oblita, in tanta multitudine manus exercentium, seruientiumq; necessitati, præstantis quosdam, minimeq; popularis ingenij quasi luminosas quasdam stellas inter minutissimos igneis accendit, quorum mentes ad præclara erectæ, magnis semper rebus intenderent. Quos ideo rariores esse uoluit, quod necesse sit multo maiorem esse illorum numerum, qui imperata faciant, quàm qui alijs imperent, cum hic ratione tantum opus sit, illic & corporis uiribus. Atque, uti partes ipsæ corporis humani simul omnes iunctæ, atque connexæ unum hoc efficiunt corpus, sic homines ipsi diffusi per domos, ac regiones urbis, simul tamen sociati, atque in una conueniẽtes mœnia, corpus unum efficiunt, quæ ciuitas uocatur. Vtq; in ipso nostro corpore pars quædam est, quæ alijs imperet, & in singulis item domibus, eodem modo & in ciuitate ut sit, necesse est. Sed in homine ipso cum unus imperet animus, in domo autem unus paterfamilias, Vnus'ne imperare, an plures in ciuitate debeant, paulo post ostendemus, nunc hoc agamus. Quicquid homines agunt, id boni alicuius gratia eos agere certum est. Et cum bonum aliud alio maius, ac potius sit, uidetur illud esse potissimum, ac maximum, propter quod homines simul coierunt, & ciuitates constitutæ sunt, & cuius gratia omnes quidem agunt omnia. Porrò actiones ipsæ nostræ, ut ad bonum illud perueniant, quod sequuntur, quò diuersa itur uia, duce aliquo indigent. Dux autem peritissimus, & optimus est ratio, à qua rationales dicti sumus, cuius solius ductu finis ille contingendus est, cuius assequendi gratia laboratur. Huic item homini, cum ipse aut solus, aut maxime omnium sit societatis appetens, & in cœtu uiuens, duce etiam aliquo opus est, qui ciuitatem regat, moderetur'q; multitudinem, illius actiones dirigens, atque componens. Nam cum homines ipsi, quibus multitudo composita est, quisq; sibi comparare studeat, quod necessarium duxerit, & in propriam domum inferen-

dum curet, sintq; diuersa ciuium studia (rem enim quisq; suam am pliare nititur, & quod usui sibi futurum sit, quærit) male cum ipsa ciuitate actum fuerit, si in tanta multitudine, ac tam diuersarum & artium, & studiorum, nemo unus sit, qui omnium simul curam gerat, cuius etiam studium sit id solum agere, & comminisci, quod ad commune ciuitatis bonum late pateat, simulq; ad omneis pertineat. Nam & corporibus belluarum uideri posset male à natura consultum esse, nisi illam ipsam uim dedisset eis, quæ una cunctorum simul membrorum curam haberet, quæq; ut memini Virgilium dicere. molem agitat, & toto se corpore miscet. Et sanè quã uis priuatim quisq;, ac per se bonum expetat, quo quidem alius differt ab alio, illo tamen bono, quod commune est, sociantur unà, simulq; conueniunt. Ad utrunq; autem natura duce mouentur homines, qua comparatum est, ut in omni multitudine, quæ in unum corpus, substantiam'ue confluxit, sit unum aliquod, quod cunctis præsit. Nam & mundi huius molem contemplanti hæc, quæ uidentur ambeuntis, & continentis omnia, satis clare apparebit, ab illo uno cœlo, quod supremum est, & extimum cuncta regi. In corpore quoq; humano, ut dixi, cuius magnam in primis natura ipsa uidetur habuisse rationem, inter tot membra, parteisq;, quibus contextũ est, una est, quæ principatum teneat. In ipsa quoq; anima ratio prima est, & princeps cæterarum. Quæ omnia declarant naturam ipsam, quæ operi quam optime suo consultum iri uellet iam tum statuisse, ut in omni conciliatione, & cœtu unus esset aliquis, aut magistratus, aut Rex, qui illum regeret, & communis boni curam susciperet, quiq; dux, & moderator esset ciuilium actionum. Hi principio, quod populos regerent, reges dicti. À similitudine etiam patres appellati. Quin & pastores eos uocauit antiquitas, quos & sacrosanctos, & augustos esse uoluit, atque inter diuos ob merita retulit. Quod si, ut dixi, natura sic comparatum est, eadem quoque natura præcipitur nobis, ut illis tanquam ducibus, rectoribusq; nostris pareamus. Nam, ut Marcus Cicero asserit, sine imperio nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec mundus potest. Ad hoc naturæ præscriptum ubi hominum accesserit electio, tum efficitur, ut dum aut magistratui, aut regi datur opera, optimus quisq; ciuis propriorum obliuiscatur commodorum. Cum enim electio ipsa nostra à naturæ instituto non recesserit, & utraq; simul ad rectum, bonumq; contenderit, tum exsistunt actiones illæ quidem perfectæ, in quibus nihil est, qđ

Reges
Patres
Pastores

amplius desyderetur. Quæ quanquam ita disputata sunt à nobis, dubitabit tamen quispiam cum contingat, ut aut plures, qui idem tamen & uelint, & sentiant, aut unus ciuitatis curam gerat, utra sit naturalior gubernatio, ad quod differendum tametsi maiori opus esset otio, & oratione longiore, breuius tamen rem peragam, atq; in hunc maxime modum exordiar.

Vnius'ne an multorum sit naturalior gubernatio.

OPTIMAM PRVDENTISSIMAM'QVE artificem naturam esse quis dubitat? quippe quæ optima & perfectissima quæq; suo in genere efficiat. Ars quoq; laudari tum solet, cum ad naturam quàm proxime accesserit, eaq;, quæ secundum naturam sunt, optime se habere dicimus, quod sibi firmiter constent, amicæq; conueniant. Naturalissimum autem esse regi ab uno multitudinem superiora satis quidem aperte demonstrant. Nam, ut dixi, & in membris, è quibus exsistit corpus, unum est, quod cæteris præest, ad cuius præscriptum illa moueantur, id autem cor esse uoluerunt, & in ipsa anima rationem iure primam posuerunt. Mundo quoq;, cuius quanta sit amplitudo, atq; ambitus, ne mente quidem metiri possumus, unus est, qui præsidet Deus, moderator, & rector omnium, quæ illo continentur, ut recte ueteres dixerint, è cœlo regium nomen uenisse. Ad hæc si parua licet componere magnis, ut est apud Maronem, apibus quoq; unus est rex, quo incolumi mens omnibus una est, Amisso rupere fidem. Cum igitur naturale sit omnem multitudinem ab aliquo uno regi, & ars naturam sequatur, ipsorum'q; artificum opificia eo perfectiora sint, quo maiorem similitudinem reddunt eorum, quæ natura fabricata est, manifestum est, magis secundum naturam esse ciuitatem, ab uno temperari, quàm à pluribus, cum in ciuitatibus ijs, quæ à pluribus reguntur, quo pax, concordiaq; uigeant, necesse sit illorum, qui Remp. gerunt, sententiæ, ut in unum omnino conueniant, quæ ubi in diuersa trahuntur, tum seditiones, & intestina oriuntur bella. Contra uero optime agitur cum illo populo, florent'q; urbis eius opes, cuius principes idem unum & sentiunt, & uolunt. Quota enim nauis ad certum peruehetur portum, si & gubernator, & nautæ ita dissideant, ut alius alij et iudicio ad uersentur & opera? An non medici ita commiscent quæ ægrotis

dant, ut multa in unum redigant? Quo'circa quoniam omnis conuenientia, omnis'q; consensus, atq; concordia, ipsa'q; etiam amicitia unitas quædam est, manifestum est, id quod per semet, ac simpliciter quidem unum sit, aut ipsi unitati quamproximum (id autem est rex qui unus est) multo facilius, ac melius posse id à se efficere, qđ plures nequeant, nisi tanquam unus fiat è multis. Rursus cum omnis cogitatio, omnis'q; intentio eorum, qui Rempublicam moderantur, ac populos regunt, eò spectet, ut salui sint illi, quos gubernandos ipsi suscœperint, salus autem subiectorum hominum, & uniuersæ multitudinis bonum, consistat in ciuitatis conseruatione, quæ pax est, & tranquillitas ciuium, ad hanc, quam dico, unitatem assequendam retinendam'q;, longe potior, magisq; natura appositus is erit, qui per se quidem unus est, quàm qui plures. Quippe cum et lucis, & splendoris princeps causa sit, id quod per semet lucidum, & splendens est, & caloris item, quod est suapte ui calidum. Res tamen ipsa magis, quàm ulla disputatio recte reputanti certum hoc faciet. Nam paruæ etiam ciuitates, quæ à pluribus regũtur, assiduis ferè laborát seditionibus, cum latissima regna huiusmodi uix ullos, aut certe quamrarissimos tumultus sentiant. Et cum eos, qui Reipub. præsunt, affectibus uacuos esse deceat, quantò facilius est unum, quàm multos non uinci cupiditate, & libidine mala, præsertim cum hic neq; careat diuitiis, neq; indigeat gloria, quibus non modo subiectos honestare, atq; illustrare soleat, sed & exteros, et peregrinos. Ex illis uero sæpenumero plures esse contingat, qui rerum omnium premantur inopia. Atque ut curandis morbis adhibere nouos sæpe medicos, sic gubernandis populis periculosum est nouos patres conscribere. cum sæpe accidat aut electione mala, aut factione ciuium seditiosos homines, aut gerendis rebus parum aptos, atq; inutiles creari magistratus. Quid? quod usitatissimum est, in qua ciuitate plures Rempublicam tractant siue è plebe, siue è nobilitate ij sint, tyrannidem exoriri, ut apud Corinthios, & Milesios, & Athenienses legimus. Sulla quoq; & Marius uel inter crudelissimos tyrannos numerandi sunt. At reges quamrarissimum est in tyrannos euadere, ac dilabi, id'q; cum minori fit ciuium damno. Quippe cum non in omnes sæuire, sed in paucos soleant, nisi omnino fuerint immanissimi, ac nihilo minus pacem tueantur populorum, & nequid illorum Respub. quæ suæ curæ, ac temperationis est, detrimenti capiat, omni studio, & arte curant. Vbi uero aut è primoribus unus aliquis, aut è plebe aspirarit ad tyrannidem,

necesse est turbari, ac misceri omnia, domesticumq́; exoriri bellum, exhausta urbe, non ijs tantum, qui publicam libertatem tueri uolunt, quiq́; alterius sunt factionis, sed proscriptis, aut trucidatis bonis plerisq; & cum ijs etiam innocentissimis uiris. Ex quibus iudicari potest conducibilius esse ciuitati, magisq; secundum naturã ab uno regi, quàm à pluribus, Cum etiam uideamus ciuitatum, populorũq; gubernacula in initio penes reges fuisse. Nam & Romani, & Athenienses, & Thebani in initio reges habuerunt, ipsiq; prisci Latini, et Aborigines, Aegyptij quoq; & Syri, ac Persæ sub regibus fuisse memorantur, &, ut Cicero tradit, Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Etenim cum homines principio generis humani, dispersi belluarũ more in agris agerent, illisq́; cauæ arbores, aut excisi montis specus domus essent, simile est ueri, unum aliquem præstantem ingenio, finitimos omnes quasi pastorem aliquem cogere cœpisse, paulatimq; pepulisse, ut in unum simul locum conuenirent, casasq; construerent, & ne in diem uiuerent, ut & compararent necessaria ad uictum, & quæsitis parcerent. Nam quod ait Virgilius.

» Hæc nemora indigenæ fauni, nymphæq; tenebant,
» Gensq́; uirũm truncis, & duro robore nata,
» Queis, neq; mos, neq; cultus erat, nec iungere tauros,
» Aut componere opes norant, aut parcere parto,
» Sed rami, atq; asper uictu uenatus alebat.
» Primus ab ætherio uenit Saturnus olympo,
» Arma Iouis fugiens, & regnis exsul ademptis.
» Is genus indocile, & dispersum montibus altis
» Composuit, legesq́; dedit. — Hæc poëta non tam in Saturni laudem dixisse uideri potest, quàm ut hoc ipsum nobis innueret. His autem principijs, quæ à natura ducta sunt, accessit postea consensus hominum. Crescentibus enim urbibus, & grassante libidine, cum qui tenuiores erant premi à ditioribus timerent, confugere cœperunt ad Aristidas, & Catones aliquos, quos iustitiæ, legumq́; cultores esse scirent, intellegerentq́; natura, & moribus excellentes esse, quibus communi bonorum consensu urbis tutela permissa, iustitiæ, legumq; patrocinium est traditum. Nam, ut Ciceronis utar uerbis, genus hoc imperij primum ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur. Adeo enim res nostræ naturam sequuntur, ut siquando aut uitio, aut necessitate aliqua recessum sit ab ea, tamen haud multo post ad illam fiat reditus. Nam ut puer Horatianum illud didici.

Naturam

» Naturam expelles, furca tamen usq; recurrit.
Etenim in ipsis ciuitatibus, quae à pluribus reguntur, unus ferè sem per est aut è plebe, aut è nobilitate princeps, ad quem omnia referantur, & cuius consilio agantur pleraq;. Nam & Romani pulsis ob superbiam, & libidinem regibus, in asperis, atq; turbulentis rebus ad creandum Dictatorem (id enim praesentissimum remedium uisum fuerat) confugiebant. Quid ipsae ciuitates, cum in pugnam exeunt, non'ne unum sibi ducem constituunt, penes quem sit imperij totius summa? Quid, quod pueri quoq; decantare solent? Vnus est deus, & unus est Rex. Et quoniam natura ipsa ubiq; uim ostendit suam, muta animalia, & belluarum greges ductores quosdam habent, quos sequantur, cum ne gruum quidem sine duce uolatus sint longiores. Ex his igitur iudicare licet, tametsi regibus parendum sit, nihilominus liberos esse nos, & quanquam liberi sumus, parere tamen oportere, ut diu liberi esse ualeamus. Nam, ut Cicero ait, legum serui sumus, ut liberi esse possimus. Etenim Rex cum sit defensor libertatis, propulsator iniuriarum, atq; animaduersor, dux quoq; ciuilium actionum, legum lator, et custos, ac publicae, priuatim'q; moderator, pater, rector, qs'nam liberū se, aut uera frui libertate uere possit dicere, nisi hic ille fuerit, qui defensorem libertatis, qui propulsatorem iniuriarum, atq; animaduersorem, qui actionum ducem, qui legum custodem, qui moderatorem, rectorem, patrem habere se intellegit, sibiq;, ciuibus'q; atque urbanis rebus recte, utiliter'q; consulentem, eundem'q; uirum bonum, regem sapientem? Ad haec quemadmodum rationi qui paret, docenti quid uerum, falsum'q; sit, eadem'q; secernenti, & quid sequi, aut declinare opus sit monstranti, rationalis iure, ac uere dicitur, sic & ille recte, merito'q; liber uocabitur, qui moderatori suo ita paruerit, ut in omni uita, ac in ciuili maxime consuetudine minime labatur, immo ea meditetur, atq; agat, quae ut ab homine ad communem utilitatem nato, & ratione utenti profecta plurimum utiq; ad ipsam communitatem tuendam, res'q; illius ampliandas conferant. Contra uero sic uti qui ratione abiecta appetitioni semper seruit, is q dem uere, naturaliter'q; seruus est, atq; in pecudū potius numero habendus, quàm hominum. Eodem modo qui spreto publico gubernatore, contemptis'que, ac uiolatis legibus contra ius, fas'q; grassatur, non modo nequam, & seruilis est habendus, uerum etiam humanae societatis hostis, ac naturae ipsi rebellans, qui cum ad coetus celebrandos natus sit, atq; in ciuitate genitus, altus, educatus, id tamen assiduus agit, quo humano generi, sciens, uolens q; continue incommodet, &

quasi malus quidam afflatus pestilentiam inducat. Quod si barbaros eos dicamus, & in seruorum numero habemus, qui sine legibus, sine moribus perinde ac bestiæ uiuunt, cur non qui secundum morum, legum, rationis præscripta, actiones moderatur suas, publicæq; rei custodem uerentur, & colunt, optimis ipsi artibus, disciplinisq; instructi, Cur inquam non hos liberos asseremus, ut naturalis, ueræq; libertatis bonum prorsus assecutos? Nunquid'nam filius, quod sub patria potestate uiuat, seruus est iudicandus? Quod si esset, nequaquam maiores nostri filios suos liberos appellassent. Pueri quoq;, & adolescentes num minus liberi sunt, quod sub præceptoris institutis, & grammatici erudiuntur ferula? Mihi quidem uidetur hæc esse recta, & certa ad ueram, solidamq; libertatem uia. Miles quod ordines seruare, signa sequi, ac pugnare in acie militaris illum disciplina iubeat, liber'ne propterea non est? Immo hæc dum seruat, & ducis iussa exsequitur, suam, patriæq; tuetur libertatem, proq; ea fortissime dimicat. Nam quod libertas sit, ita quidem uiuere ut uelis, hæc non modo libertas nó est, sed uel maxime aduersatur libertati. Qui enim uiuit, ut uult, is quæcunq; appetierit, uolet, agetq;, iura ipsa naturæ, & humanæ societatis uiolans, ac prosternens. Apud recte uero sentientes illi & sunt, & habentur liberi, qui perinde, ut debent uiuunt, funguntur'q; uiri boni, patrisfamilias frugi, & iusti ciuis officijs. Veraq; libertas est seruare leges, tueri iura, eaq; agere, atq; afferre in medium, quæ ad tuendam, stabiliendamq; hominum coniunctionem quammaxime conferant. Illisq;, qui ferendis, ac seruandis legibus præpositi sunt, quiq; publicæ salutis curam gerunt, ita obtemperare, ut à communi bono, ne hilum quidem, ut dici solet, recedatur. Possent his plura subijci, est enim campus hic latissimus, sed debemus his esse contenti, cum abunde probatum uideatur, licet liberi nati simus, tamen & regibus, & magistratibus parendum esse, ac tum maxime liberos esse nos, cum ijs maxime pareamus. Quibus sanè rationibus ita mihi ipse satisfacio, ut arbitrer dulcissimum, atque uberrimum libertatis suæ fructum eos cepisse maxime, quibus diuino quodam munere concessum fuit eiusmodi regi fuisse subiectis, de quo merito dici possit, quod de Saturno poëta noster canit.

" Aureaq; ut perhibent, illo sub rege fuere
" Sæcula, sic placida populos in pace regebat.

Atq; ut in pace, sic in omni pietate, & iustitia, sine quibus uera, & perfecta pax esse nõ potest. De libertate autem locuti sumus, non illa quidem, inquam se asseruisse dicunt, qui manumissi sunt, nec de illo seruitutis genere, quod

est de iure gentium introductum, sed de libertate illa, quae naturalis est, & homine ratione utenti digna, deq; ea seruitute, secundũ quam naturaliter seruus quis dicatur, quanquam qui natura serui sunt, legum tamen, ac regum beneficijs assequuntur, ut ciuilis & ipsi libertatis bonis continue fruantur.

De Obedientiae officijs erga regem.

h IS EXPLICATIS reuertamur ad nostra illo de obedientiae genere disserturi, cuius officia ad subiectos pertinent, multa quoq; interim quaerẽtes, de quibus maiores nostri scriptum aliquid non reliquere, aut siqua ab illis fuere disputata, rationibus certe, & exemplis aliquantum locupletata sunt à nobis. Qui obedientiae in regem munus implere suum uolet, duo sibi ante omnia proponat, unum, ut iudicet quae in illum contulerit, in patriam se conferre, quae post Deum primum sibi locum in nobis uindicauit, alterum ut sibi persuadeat ad illius praescriptum uiuendum esse, statuatq; regis imperium legem esse. Nam tyrannorũ iussa plerunq; iniuria summa sunt. Haec duo qui sibi proposuerit, facile tertium adiũget, fidelis ut sit. Quae autem fidelitate continentur, ea publicis institutis cauta sunt, quorum illa in primis nota. Aduersus regem, socios'ue, amicos'ue ne coniurato, ne'ue illius iniussũ clàm palam'ue foedus ferito. Arma ne tractato, ne'ue tumultus excitato. Hosti, quisquis is est, regis consilia ne indicato. Siquis aduersus regem, socios'ue, amicos'ue molitur insidias, id tacitum ne habeto, indicium facito. Haec igitur, aliaq; item multa, quae grauiora uisa sunt (sunt enim perduellionis crimina) legibus cauentur, leuiora uero adeo nõ est referri necesse, ut ea ne ab aniculis ignorentur. Maximum autem, & firmissimum fidelitatis fundamentum est amor. Nam si uerum est illud, ut certe est, quem quisq; odit perisse expetit, erit profecto & hoc uerissimum. Quem quisq; amat, saluum esse optat. Quamobrem, qui ita sit affectus animo ut Regem optet incolumem, is necesse est quae fidelis & obedientis hominis munera sunt, impleat. De diligentia uero & attentione, itemq; de praeoccupãdo officio, operaq; minime praecipitanda, quae à me dicta sunt, cum de liberis agerem, licet ad haec quoq; transferre, è quibus sibi quisq; capiat, quae huic loco necessaria uisa fuerint, ne idem dicendũ sit saepius.

De Subiectorum Obedientia.

S VBIECTORVM DVO SVNT Genera, eorum unum, qui simpliciter dicũtur subiecti, illorum alterum, qui regum liberalitate, ac uirtutis gratia tum agros possident, tum oppida, urbesq; sui iuris habẽt, pro quibus annua pendere tributa debeant, & ad militiam cogantur, Quorum è numero sunt, quos hodie tum Barones dicimus, tum comites, aut duces. Horum omnium una est regula, fidem ut teneant, ac pace belloq; imperata faciant. Quo tempore & aduersa constanter ferenda sunt, & uita ipsa sæpius obiectanda est periculis. Nam & tempora contingunt, quibus fides à popularibus, suæ, liberorũq; uitæ sit anteponenda, nec ueterum tantum, sed & nostra memoria florentissimæ quoq; urbes, dum seruare illam uolunt, & in officio permanere, aliæ direptæ sunt, aliæ incensæ, quædam etiam funditus excisæ, quæ res notior est, quàm ut exemplis indigeat. Multi tamen in dubijs, atq; asperis rebus ad hostem dum declinant, necessitatem causantur, quæ sæpissime uoluntas est. Hos quis dubitet defectionis culpam debere luere? Sed excusanda necessitas est, dum talis fuerit, cui alia obsisti ratione nequeat. Quamuis & necessitas aut fame, aut desperatione aliquando uicta ipsa fuerit, atq; ex uicta uictricem causam fecerit. Bello Neapolitano, quod Ioannes Andegauiensis contra Ferdinandum gessit, aliquot oppida quanquam longa obsidione, ac fame coacta, non prius ab hoste conditionem acceperunt, quàm capiendæ illius ius potestasq; à Ferdinando facta esset, fidelitatis iure hoc modo exoluto. Sed in omni perfidiæ, atq; inobedientiæ genere plurimum Barones peccant, dum aut cum Regis fortuna communicare suam nolunt, aut ampliandorum finium gratia nouis student rebus, sua parum sorte contenti. Ac de hac fidei, atq; obedientiæ parte, satis hic dictum sit, plura apud iurisconsultos, qui suas de ijs tulere sententias.

De Præsidum administrorumq; obedientia.

A DMINISTRORVM, ac præsidum una ferè regula est, ea ut agant, atq; obseruent, quæ præscriptis continentur, & formulis cauta sunt. Inspicere autem hoc primum debent, ut cui muneri præfecti sunt, eius teneant formulam, quam sequentes peccare uix poterunt. Cum enim

formulis

formulis ipsis certa regula, formaq; praescripta sit illis, qui paruerit, is uel obseruantissimus necesse est inueniatur obedientiae, ac fidei cultor, difficillimumq; sit labi illum, aut decipi in aliquo, praeterquam si sponte id uelit, aut omnino iners, atque ignauus fuerit.

An semper formulis parendum sit.

HOC LOCO QVAERI solet, parendum'ne ubiq; sit formulis, cum fieri possit, & nonnunquam cadat, ut damno futurum sit domino, si ad praescriptum minister egerit. Item si ex relicta mandati forma magna forte offeratur utilitas, num committendum sit, ut illam quasi è manibus elabi sinat. Qua de re & à ueteribus saepe, multumq; dubitatum est. Fuerunt enim qui censerent aduersus traditam semel mandati regulam nihil prorsus agendum esse, etiam si fortuna, aut casus aliquis longe commodius agi posse polliceretur. Quippe cum si parum successisset (ut poena luenda non sit) subeunda tamē culpa esset, quae cui non pudenti homini, beneq; instituto grauis, & acerba est? Atq; ut bene, feliciterq; negotium gestum esset, cauendum tamen exemplum, nec committendum, ut corrumpendi mandati documentum praeberetur alijs, quod esset in omni re administranda per nitiosissimum. Alij iudicauerunt fortunam sequendam esse, amplectendamq; occasionem, quam Dij immortales obtulissent, nec timeri poenam oportere, ubi rei bene gerendae certa spes uideretur. Quod quomodo sine periculo, & infamia fieri possit, uix uideo, cum fortunam, quae incerta est, certo imperio mutari necesse sit. Quo'circa uoluerunt, ante quàm ipse aggrediare, illinc damnum, hinc emolumentum exactissime pensitari, et quasi in trutina suspendi, Initaq; ratione, tum licere, fasq; esse aduersus praescriptum agere, ubi ex eo relicto incommodi parum, utilitas uero adeo multa, magnaq; futura apparuerit, & spes quàm possit firma, certaq; peragendi negotij. Parū enim prudentis esse ministri, occasione non uti, dominiq; sibi ipsi nimis tribuentis, qui nulla nec temporum, nec fortunae ratione habita, nisi quod semel imperauerit, & quomodo imperauerit, nihil aliud, fieri omnino uelit. Sed & Manlius Torquatus, is, qui in filiū, quanquam uictorem securi animaduertit, deterrere cum primis potest eos, qui duri, inexorabilisq; ingenij dominos habent. Et Publius item Crassus, quanquam minore in re, is enim consul Asiam prouinciam tenens, cum Leucas oppugnare uellet, ad Architectum quen-

dam Athenienſem, ut hiſtoriæ meminerunt, ſcripſit, imperans, ut ex
ijs malis, qui illic eſſent, maiorem ſtatim ad ſe mitteret, uelle enim
arietem ex eo facere. Faber, ut erat ingenio ſolerti, non maiorem,
ſed quem faciendo arieti aptiorem iudicabat, miſit, exiſtimans conſi-
lium quoq; ſuum requiri. Quo facto conſul arbitratus & ſuam, et
populi Romani maieſtatem deſpectum iri, ſi nõ opera, qualis impera
ta eſſet, ſed conſilio dictis ſuis ſatisfieret, arceſſitum illum ad ſe gra
uiſſimeq; increpitum uirgis cædi iuſſit. Huic Publij Craſſi conſulari
iudicio ciuiles quoq; leges multis in cauſis conſentiunt, ne quibus ge-
rendi negotij, peragendiq; mandati cura tradita, ac permiſſa eſt, eo-
rum improbitati locus, atq; exemplum detur, ſi ſtatutam ſemel rem
mutare libere, atq; impune licuerit. Verum cum ſint diuerſa nego-
tiorum genera, quædamq; magis requirant gerentis prudentiam,
quàm mandantis definitionem, præſertim ubi datæ formulæ nihil
particulatim præſcribant, quas qui tulere, impoſſibile eſt, ut quan-
do, quoue modo futura quæq; res eſſet, aut prouiderent, aut defini-
rent, Tolerabile certe fuerit, ſi quod ex præſcripti obſeruatione futu
rum eſt damnum, in gerendis negotiis miniſter prohibeat, cum in ad
miniſtrandis domini rebus non debeat fides uacare prudentia, ac dif
ficile ſit fidelem inueniri miniſtrum, qui idem prudens non ſit, atq;
induſtrius. Ipſi ſcimus in prætorio regum Neapolitanorum, cuius
multos iam annos præfecturam gerit Nicolaus Antonius Capuanus
integerrimus uir, & iuris romani conſultiſſimus, ubi de regio cenſu,
rationibusq; cognoſcitur, laudari, ac probari ſolere miniſtros eos, q
quanquam aduerſus munerum ſuorum decreta, utiliter tamen rem
geſſiſſent. Nam cũ ferendarum formularum præcipua fuerit cauſa,
ut recte, ut utiliter, cum honeſtate tamen gereretur ærariũ, ac negle
ctæ utilitatis ratio exigi ſoleat, Quis hoc pro loco tamẽ, ac pro tem
pore non probet? ubi utilitas magna ipſa præluceat, eãq; ſpeciem præ
ſeferat, quæ minime uideatur ſpem fruſtratura. In quo tamen ſingu
la ſunt circunſpicienda, metiendaq; exactiſſime, & utilitas ipſa qua
ſi manu tractanda. Meminiſſeq; oportet in omni ratione reddẽda, nõ
minus prudẽtiæ q̃ fidei obedientiæq; rationem habendã eſſe, ſine qua
mancæ illæ eſſe uideantur. Et illud inſpiciendum eſt, nequid omni-
no agatur, quod ſit contra principis ingeniũ, illiusq; offendat animũ.
Eſt enim minime prudentis, immo & temerarij aduerſante domino
audere aut tentare aliquid, licet id futurum eſſet per ſe laudabile.
Nam nec ſemper, nec ubiq;, nec apud omneis ſatis eſt recte tantum,
atq; utiliter rem geſſiſſe, & Principum negotia non ex miniſtrorum

ſententia, ſed ſuo ipſorum arbitratu gerenda ſunt. Etenim miles, quã uis fortiter manum conſeruit, tamen ſi contra ducis imperium cum hoſte pugnauit, nonnunquam capite pœnas luit. Igitur & hoc dili, gentiſſime cauendum eſt, & probe uidendum, ne qua in re liberaliter, ac magnifice agi à domino iuſſum fuerit, in ea modicum ſe, aut ſordidum, aut parum certe ſplendidum pro illius imperio miniſter gerat. Legimus Iulium Cæſarem animaduertiſſe in panicerium, quod aliũ, q̃ ſibi panem appoſuiſſet conuiuis. Alphonſus à nitore ac magnificentia miniſtros laudare conſueuit, at modicos ac ſordidos ſtomachari.

Quibus modis peccetur.

VM AVTEM PRAECEPTVM Omne partim imperet, partim uetet, atq; deterreat, atq; altero opera exigatur, cauere alterum, & continere iubeat, in illoq; peccetur, imperatum quod ſit minime faciendo, in hoc contra imperium nitendo. Prioris uitij nõ ſemper aperta uoluntas, ſed tum negligentia, tum ignauia cauſa eſſe ſolet. In poſteriori late regnat, nunc contumacia, nunc improbitas, & quæ uim obedientiæ labefactat, ut quaſi demoliatur, & euertat illam, temeritas. Conſueuit & in hoc quoq; perſæpe peccari, quod quidam dum uideri uolunt, quam obedientiſſimi, ultra præcepti uim nituntur, & ſupra quàm iuſſum eſt, agunt. Nonnulli præſcriptum ipſum argutius interpretantur. Sunt qui nec ſtatuti temporis, nec datæ regulæ ratione habita, tantum ſint de re ſoliciti. Alij dum præcipere principis imperium uolunt, & illius uoluntatem ſuſpicantur (quod tamen prudentis eſt aliquando) in eo labuntur, quod parum ipſi pẽſitant, an domino talis ſit ars placitura. Quid? quod dum uideri ſolertes ſtudẽt, improbantur, ut qui uelint præuidere magis, quàm oportet, & ſapere, atq; ubi fortaſſe minime opus ſit, appareatq; eos non tam ad uſum domini rerũ, quàm ad ſui opinionem, quæ agunt, referre. Interpretari uero præcipientis imperium plerunq; eſt calumnioſi, ac tergiuerſantis hominis. Vera nãq; obediẽtia aperta eſt, nec anfractus quærit, ſed ſua, & recta pergit uia. Cato Portius reprehenſus eſt, ꝙ nimis effracte defenderet ærariũ, cuius iura tuenda ſunt, remouenda tamẽ auaritiæ ſuſpicio. Petrus Biſuldunus homo maleficẽtiſſimus, dũ regij ærarij locupletandi gratia diuina et humana promiſcua habet, liberaliſſimi principis famæ non parũ detraxit. Itaq; Alphonſo mortuo

uitam traduxit contumeliarum plenam, quippe quem ueluti tabidum, pestilentem'q; omnes fugitarint.

Quæ sint ab ærarij ministris uitanda.

EADEM'QVE LEX EST *Ampliandi ærarij, quæ & rei familiaris, utrunq; licet salua iustitia, et honestate, cauenda tamen sunt sordida. Quædam enim, quæ priuatum hominem, & humili agentem in loco fortasse decuerint, quis dubitet principibus, ministris'q; principũ fore sordidissima, dedecorantibus se'q;, rem'q; publicam, ac principis maiestatem? Ipsi nouimus regulos quosdam, quos pudeat nominare, tam improbe auaros, ut ne ab alijs, quàm à ministris suis etiam quæ alendis corporibus necessaria sunt, uenderentur, publico edicto cauerint, quod quidem tyrannorum est. Carolus Malatesta princeps Ariminensis, dicitur pincernam suum usq; ad excandescentiam obiurgasse, qn ẽt uerberasse, qđ poculũ, in quo musca desederat, pauimento effudisset, potuisse eni muscam tũ gladiolo, tũ frustillo panis uino eximi. Sed qd de illo tibi psuadeas? q, ut à maioribus accepi, offensus Virgilij gloria, statuã eius, quæ summo in honore habebatur à Mãtuanis, deijci à militibus quibusdam suis iusserit, atq; in flumen abijci, haud multum ipse magno illi Alexandro absimilis, qui Thebana direptione parci Pindari poëtæ domui, posteris'q; iussit, immo et hoc Phalaride ipso deterior, quod statuam, quam Mantuani sua in urbe tot ante seculis memoriæ ciuis de patria benemerentis posuerant, mergi in fluuium iussit, plebe, patribus'q; inuitis, et diuorum, atq; hominum fidẽ implorantibus. At Phalaris uel templum ædificandum Stesichoro curauit, suasit'q; diuinos illi honores in urbe patria habendos, oblitus grauẽ eũ, & capitalẽ olim sibi fuisse inimicum tantũ celebratissimi poëtæ musis, memoriæ'q; indulsit. Robertum Regem Neapolitanorum, à quo multa, et pessima auaritiæ exempla in nostram usq; ætatem defluxere, propter auiditatem ingenij, & pecuniæ studium, uehementius hodie quoq; fiscalem cognominant. Horum principum ministri, si illorum secuti fuerint auaritiam, et iniusta imperia, quis dubitet paulatim fore, ut latronibus sint pernitiosiores? Et recte profecto quidam regum eos Arpyias uocauere.*

Quæ præcipue cauenda ſint à conſiliarijs.

e T QVONIAM Ira magna maieſtatis labes eſt, nec tam in priuatis hominibus turpis, quàm in principibus pernitioſa, & deteſtabilis, quod ab ea facilis ſit ad crudelitatem prolapſus, uidendum eſt id, aliquis ne committat, quo princeps iraſci iure poſſit, quod tum cæteri omnes cauere ſemper debent, tum uel maxime qui conſiliarij uocantur, & è ſenatorio ſunt ordine. Alij enim ſiquid forte peccauerint, & ſæpius q̃ hi corrigere, & facilius poſſunt. At conſiliariorũ culpæ quãuis mediocres fuerint, tamen quia magnorum ſolent eſſe malorum cauſæ, capitali plerunq; ſupplicio puniuntur. Quibus quidem, ut mihi uidetur duobus potiſſimum opus eſt, taciturnitate in omnibus, et in dicendis ſententijs rectitudine. Nam quod eſt apud Terentium,

» Obſequium amicos, ueritas odium parit. Id fortaſſe locum habeat apud Tyrannos, apud quos ueritas minime tuta eſt. Regum autem propria eſt ueritas, à qua cum recta proficiſcantur, & certa conſilia, contra uero ficta, ac uana, cum ſint parum diuturna, nihil habentia nec ſolidi, nec certi, pro ea defendenda contendẽdum eſt, dum talis ſit contentio, quæ ueritatis maxime ſtudium indicet. Et quoniam ſæpiſſime de rebus dubijs conſultatur, odio, amicitia, ira, ac miſericordia, ut ait apud Salluſtiũ Cæſar, uacuos eſſe decet, quæ ubi aderint, difficile eſt uerum cernere, ac ſequi. Quámobrem et hi, et cæteri affectus, qui contra rationem nituntur, & impellunt animum, longius ab ijs repellendi ſunt, & in conſulendo, & in iudicando, quos quoniam nunc ſuadere, nunc diſſuadere opus eſt, ac non modo ſua confirmare, ſed refutare quæ ab alijs dicantur, quo ueriora quæ dicunt, appareant magisq; in aperto ponant, tempora diſtinguent tam belli quàm pacis rerum naturam contemplabuntur, cauſas quærent, euentus metiẽtur, exempla proponent, et quid è re quaq; conſequi ſoleat, & obſeruabunt, & meminerint. Ferunt patrum noſtrorum memoria fuiſſe è conſiliarijs Ferdinandi Regis Tarraconenſium, aui huius noſtri Ferdinandi Bellingerium Baltaſinum, uirum ſanè magno ingenio, ſingulari doctrina, ſumma prudẽtia. Is quoties de dubia re aliqua, aut maxime graui negotio conſultandum eſſet, poſt cœnam iocabundus familiares ſuos conuenire omnes iubebat, propoſitaq; aliqua ficta quæſtiuncula, haud tamen ab re, rogatisq; ſingulis ſententiam dicere, perſcrutabatur cuiuſq; iudicium, Quibus poſtea ſententijs collatis inter ſe, & diu, multumq; penſitatis, facile inſpiciebat,

quæ nam esset sententia uerior, magisq; accommodata. Hoc modo instructus, & ficta, ludicraq; ad uera, & seria transferens, primas semper inter cæteros consiliarios, & in Regio senatu parteis tulit. Et quoniam in consiliarios incidimus, debent eorum consilia uera esse, fidelia, amica, honesta, accommodata, profectaq; non ab affectu, ac perturbatione aliqua. Nam dubitandum non est, quin præter rectum, ac bonum consulat, qui irato, infensoq; animo ad consulendũ accesserit. Consilium tamen misericors uenia dignum esse solet. Necessitudo uero, & familiaritas in illis præsertim rebus, quæ ad ciuitatis statum, ac publicum pertinent bonum, nunquam debet plus posse, q̃ ratio, quàm iustitia, quàm patria. Nam libido cum sit pessima consiliorum ministra, nihil suadere nisi perperam, & inique potest.

De utili & honesto.

ET QVIA Nonnunquam de utili & honesto disceptatio incidit, uincat semper honestas. Poterit fortasse utilitatis tanta uis esse, & tali in causa, ut sit aliquando ab honesto declinandum, parum tamen, & sine graui infamia. Nam si est, quatenus amicitiæ uenia dari possit, ac si qua fortuna acciderit, minus iustæ uoluntates amicorum adiuuandæ sunt, ut Cicero noster inquit, Cur non hæc eadem uenia, & maior etiam, tum patriæ, tum Regi, qui patriæ pater est, dari possit? Et cum de amici aut capite agitur, aut fama, si declinandũ est de uia, modo ne summa sequatur turpitudo, non uideo quare cum manifestum patriæ excidium immineat, cuius iura longe præferantur amicitiæ, eadem lege de uia declinandum non sit, & in publicam utilitatem consulendum. Quod si, ut Theophrastus etiam disputat, exigua famæ iactura facienda est, paruaq; turpitudo subeunda, dum amici rebus uehementer id conducat, cur non hæc eadem uel turpitudo, uel infamia & maior fortasse, quàm pro amici re subeunda sit, si Dei causa agitur, si de religione actum iam sit, nisi hoc pacto eidem subuentum erit? Quæ enim est ista iniquitas, pro tutanda religione, quæ & uera, & perfecta honestas est, ac pro seruanda Christiana Rep. nolle pati aliquid de honesti forma, cultuq; detrahi? cum & pudicissimis matronis ludis quibusdam permissum sit saltare in publico? Et profecto eadem ipsa honestas, quod leuioris hic dãni passa est, sibi rependit, ac compensat cum maiore alia, grauioreq; in tutandis aris, atq; focis honestate, cum etiam idipsum famæ, quod quasi amputatum est, repullulet, & in alios, ac proceriores ramos exeat. Qua enim è

re uel maior, uel firmior, uel homine dignior, quàm ex defenso Dei cultu comparari fama potest? Ergo cũ publica utilitas plus nimio grauida est, honestatis autem ac famæ labes, aut minima, aut certe perleuis futura, permissum forsitan fuerit, declinata paululum honestate, consulere in communem ciuium ac patriæ usum. Nam, ut idẽ Theophrastus inquit, magnum pondus æris parua lamina auri fit pretiosior. Qui cum Catilina coniurarunt capti, conuictiq; contra legem Portiam, ac leges alias, quæ de condẽnatis ciuibus non uitam eripi, sed in exsilium mitti iubebant, scelerati facinoris morte pœnas dedere, præsens enim, futuraq; utilitas, quod id erat cessurum exẽplo minoribus, tanta tunc uisa est, ut ad genus pœnæ nouum decernendũ coegerit. M. Iunius dictator, afflicta Cannensi clade re romana, ad ultimum propè desperatæ Reip. auxilium, cum honesta, ut inquit Liuius, utilibus cedunt, qui capitalem fraudem ausi, quiq; pecuniæ iudicati in uinculis essent, qui eorum apud se milites, ut ipse dixerat, facti sunt, eos noxa, pecuniaq; exsoluit, eaq; ad sex millia hominum fuere. Hic utilitas honestatem uicit, immo honestas utilitatem secuta est. Huiusmodi exemplum hodie quoq; & reges, & liberi populi in aduersis, atq; asperis sequuntur rebus. Nam ubi aut fugatos exercitus premente hoste restituere, aut classem instruere contra repentinos incursus uolunt, qui capitalia ausi sunt, si arma ceperint, si naues conscenderint, publico edicto noxa eos exsoluunt. Meminisse tamen oportet sanctissimum uirũ Paulum statuere non esse facienda mala bonorum gratia.

De temporum obseruatione.

QVANQVAM Autem instructam, paratamq; obedientiam esse oportet, quæ prima laus est eius, incidũt tamen sæpe multa, quæ diu quidẽ, multumq; pensitanda sint, & prius q̃ fiant, imperantis uolũtas iterum, tertioq; sciscitanda, cum propter illa, quæ repente incidunt, mutari sæpe soleat.

An sit mentiendum Reipublicæ gratia.

QVAERI Etiam solet num obedientiæ, idest Reip. regisq; gratia sit aliquando mentiendũ, cum in hoc uitio late regnẽt fraudulẽtia, & uanitas, duo turpissima uitia. Licet autem colenda semper sit ueritas, poterit tamẽ tanta interdũ uis esse tum rerũ, tum temporum, ut ea prorsus sit obticenda. Esto militaris lex, quæ iubeat nubilem de hoste captam prosti

tuere, nuptam uero marito reddi intactam, contingat'q; aliquem capi à populatoribus cum sorore, quae ignoretur soror esse, Interrogatus ille, an quae secum abacta est, nupta sit, nimirum nuptam esse respondebit. Quis enim non duxerit praestare, mendacio uti, honestissimae rei causa, quàm uidere sororem uirginem ingenuam, inter scorta quaestum agentem? cum sapientis sit, è duobus obiectis malis, minus semper eligere. Licitum ergo fuerit Reip. regis'q; qui patriae pater est. gratia, aliquando & mentiri, quanquam qui pro loco, ac tempore, & cum consilio uerum obticet, praesertim ubi de regis, ac regni, patriae'q; salute agitur, non uidetur is quidem mentiri, aut si mendacio utitur, non statim mendax uidetur, cum prudentis hoc sit, et utilitatem, necessitatem'q; cum uero, falso'q; pensitantis. At mendacitas ingenij est omnino uani, nugacis, futilis. Quid si coactus neruo, fune'ue torqueatur? Violentum hoc est, quanquã, ut est apud Tragicũ,
" -Cogi qui potest, nescit mori. Et qui in hostium castra urbem'ue explorator transijt, quod militaris iubet disciplina, patefaciet'ne hic rem, si ab eo quaesitum sit, ut indicio ipse suo pereat? Qui si se indicet, ne mihi uerax is fuerit, sed stultus, incautus, ac suus ipsius paricida, & Imperatoris consiliorum, ac fidei proditor. Non omnis tamẽ necessitas tantum in bonis uiris habere iuris debet, ut aut apud quosq;, aut quocunq; in periculo, aut quauis de causa mentiendum sit. Medici uel iureiurando adacti ab ijs, de quorum salute soliciti sunt, bonã eis spem pollicentur, ac tametsi grauior, diuturnior'q; ualetudo appareat, iam iam ualeturos promittunt. Contra, quamuis leuior morbus fuerit, tamen si uiderint operam suam ab aegroto neglegi, nec admitti curationem, periculosas accessiones, et dolores grauissimos emẽtiuntur. Quod quidem tantum abest à mendacio, ut uirtus haec sit, & laus medici, quem non modo peritum esse oportet, uerum etiã prudentem. Ad haec ueritas ipsa non adeo nuda semper incedit, q̃d poëtis placet, ut non aliquando se se ipsa uestiat. Quod & Habraam & sacrae docent historiae. Quinetiam nunc simulare, nunc dissimulare prudentis est, ut in rebus dubijs, atq; aduersis, & ubi fortuna uariat. Cuius rei multa, & magna exstant exempla, quae tamen referenda sunt ad finem. Nam & leges hominem occidunt, non ut occidant, sed ut puniantur scelera, & boni sint in ciuitate securi. Quid illi, qui tum confessores, tum praedicatores dicuntur (quanquam ex omni genere hominũ nulli turpius est mentiri, quàm sacerdoti) ubi ratione alia comprimere hominũ improbitatem nequeunt, non'ne multa, & quidem admirabiliter fingunt? Graecus olim adolescens, ut

Hieronymus refert, in cœnobio cum esset, nulloq; quamuis graui labore defatigati quotidie corporis temperare posset libidinem, Huic iã cedenti, & uicto Cœnobitarum pater ratione hac tulit auxilium. Virum quẽdam annis grauem, ac moribus ad se uocat, suum illi consilium aperit, id autem erat ut iurgijs, atq; conuitijs q̃ posset, quodq; ipse iuberet, insectaretur adolescentem, & post irrogatam iniuriam prior iniuriarum ageret. Quo facto cum ad dicendum testimonium uocati è conuentu quidam essent, & illos pater iussit contra innocentem reum dicere, ratus adolescentulum hac animi solicitudine dum plurimos dies in iudicium trahitur, & causæ indignitate angitur, remedium morbo inuenturum, & quod operosus corporis labor præstare non potuerat, acrem animi dolorem præstiturum. Quis commentum hoc patris non probet, & accusatorem, testesq; eos non absoluat modo, uerum etiam mirifice commendet? Ipsi scimus qui multos iam annos in militia agimus, quàm sæpe magnæ seditiones, grauiaq; pericula arte hac & comprimantur, & auertantur in re militari, & bellica. Morum quoq; magistri permulta aut ipsi fingunt, aut ab alijs audita referunt. Seruant hoc idẽ parentes, cum et apologus et fabula concessa sit, quæ & sequi mores, & pingere uitam nata est, ut inquit Horatius.

De oratorum obseruatione.

e T VT AD FORMVLAS Mandatorum redeam, dura in primis est oratorum prouincia. Nam cum mandata peragenda sint principis, primum difficile est illa peragere. Deinde potest tanta repente fieri rerum commutatio, ut peragi quanquam possunt, minime tamen debeant, quod cum illis etiam consilium mutandum esse uideatur. Et tamen contra mandata niti, sit nõ absq; capitis discrimine, dominumq; consulere, res, tempusq; minime patiatur. Alphonsus Ferdinandi pater, nihil nisi ex præscripto, ac definito agere legatos suos unquam uoluit. Filium ego sæpissime audiui laudantem oratores suos, quod pro re, ac tempore consilium cepissent, nec passi essent interim dum animum sciscitarentur suũ, bene gerendæ rei præterlabi occasionem. Dux Mediolanensium Philippus, ut de maioribus accepi, oratores sæpenumero absq; mandatis ullis à se dimittebat, illud duntaxat præmonens, ut quid acturi essent, scire indies suas per literas expectarent. Quãobrẽ dura legatorũ, ut dixi, et discriminis plena prouincia est.

Ferdinãdus mãdatis traditis illud ferè semper adijcit, ut casus habeatur, ac temporũ ratio. Iudicat enim, cum multa non diebus tantũ singulis, sed penè momentis præter opinionem succedant, nunquam satis edoceri, atq; instrui oratorem posse, ad extremas præsertim terras profecturum. Pater eius ne minimum quidem passus esset oratorem à mandato recedere, aut audere aliquid se inconsulto. Hic, cum de pace ageretur, fœdereq; faciendo cum Francisco Sfortia, qui per id tempus Picenum tenebat, irrita habuit omnia, quæ Ennecus Geuara purpuratorum maximus cum illo composuerat, propter pauca, quæ non erant ex formula. Ille commendauit Antonellum Petrutium amplissimum uirum, quod in conciliando Ioanne Antonio Tarentino, temporum fuisset conditionem secutus. Quámobrẽ in fungendo oratorio munere uix unquam peccauerit, qui principis ingenium, moresq; probe nouerit. Nam & ex præscripto agens domini morigerabitur uoluntati, & ubi pro re, ac tempore consilium ceperit, ab officio non recedet, cum sciat domino placiturum consilium, quod utilitas certa pepererit.

Quæ seruanda sint à præfectis prouinciarum.

ORVM, QVI Moderandis populis, prouincijsq; regendis præfecti sunt, una omnium hæc est ratio, legibus ut pareant, & publicæ, priuatimq; iustitiæ seruiant. In qua reddenda tria præcipue seruanda sunt ab eis. Primum ut inspiciant, quæ regis supremiue magistratus uoluntas sit. Secundum quid aut regni, aut ciuitatis priuata iura statuant. Tertium, quid iura communia & Imperatorum sanctiones decernant. Decreta enim regni, legesq; municipales, quas tum constitutiones, tum statuta nominant, ciuilibus legibus in plerisq; præferuntur, placitum regis illis, cum illa ius scriptum sint, domini uoluntas lex loquens. Quámobrem in causis grauioribus oportet uel regem ipsum, uel supremum magistratum consulere, nam qui aliter egerit, is cum sibi plus arroget, quàm quod suæ partes ferant, obedientiæ fines uolens egreditur. Hoc etiam seruandum uidetur, quoties causæ dubiæ sunt, & leges ancipites. Alphonsus Ferdinandi filius, Calabriæ cum præesset cum imperio, paucis admodũ in causis iudicauit nisi patre prius per epistolam consulto. Etenim aliquando quæ priuatim, ac per se iusta apparent, ubi in commune consulitur, iniqua uideri solent. Ad hæc non omnia comprehensa sunt legibus, & tempora nonnunquã legibus præualent. Quibus omni-

bus rex ipse multo melius, ac sanctius prospiciet, qui & singula cautius metitur, & pluribus simul consulit.

An parendum sit decreto, quod iniustum uideatur.

POTEST TAMEN In dubitationem cadere, an si decretum Principis iniustum uideatur, parendum sit ei. Multaq; in utranq; sententiam dici possunt, Nam et regis uoluntas lex est, cuius præsides ministri sunt, & iustitia uiolanda non est, cuius tuendæ gratia creati sunt reges. Sed ubi princeps is fuerit, quem esse deceat, uix hoc in dubium ueniet. Quippe qui nihil neq; prius exiget à prætoribus, neq; exactius, quàm ut iustitiam colant. Tyrannorum sunt iniusta imperia. Et tamen quoniam Reges homines sunt, et uinci affectibus, fallíq; ab alijs possunt, non debet præfecti obedientia uacare prudentia, per quam et mutare principis animum poterit, & se liberare contumacia. Legimus Imperatorem Caiũ, quosdam iussisse interfici, quos postea desyderauerit. Audiuimus Nicolaum Quintum Pontificem maximum, cum accusaretur Angelus Roncónius Tribunus militum, quod auerso fugienti atq; undiq; clauso, iter liberum per Tyberim permisisset, in cubiculo quiescentem iussisse uesperi lege in illum agi, mane uero ubi experrectus fuisset, dixisse ijs, qui aderãt, uelle se Angeli causam consultius cognoscere, cui cum responderetur fuisse iam in illum intempesta nocte securi animaduersum, incredibili esse dolore permotum.

Imperata quædam non statim esse facienda.

ADMONEMVR ETIAM Ab eo, quod nuper accidit, non semper quæ imperata sunt, statim esse facienda, ab ijs præsertim, qui arcibus præfecti sunt, potissimum'q; belli tempore, ne dũ parere studẽt domino, arcem per imprudentiam hosti prodant. Fridericus comes Vrbinâs cautissimus dux, et bellicis rebus abunde clarus, uicto, fugatóq; Sigismundo Malatesta, q plurimis oppidis in Aemilia, Piceno, Vmbriáq; imperitabat, cum Verruculi arcem obsideret, natura et manu munitissimam, nec expugnandæ illius spes esset aliqua, arte præfectum aggressus, noctu clàm per idoneũ hominẽ Sigismundi nomine, adulterinas illi literas reddi iubet, in quibus diem statuit, qua missurus auxilia ad eum esset. Interim bonum habere animũ iubet. Itaq; ubi

haberi literis fidem à præfecto uidet, milites ad diem dictam mittit. Quibus intra muros acceptis, confestim arce potitus est. Hoc facto Sigismundi res protriuit, atq; afflixit adeo, ut de illo actum fuerit. Quamobrem & quibusdam iussis statim parendum non est, & belli, ac pacis tempora consyderanda sunt. Potest enim rerum commutatione fieri, ut nisi per inobedientiam manere subiectus in officio nequeat.

a C DE HIS Quidem hactenus disputatum sit, etsi pluribus fortasse, quàm res hæc exigebat. Licet autem qui iuri dicendo præfectus est, si perperam quid agit, iniustus sit, atq; improbus, tamen quia legibus aduersatur, & male obtemperat, quid prohibeat inobedientem illum, & contumacem dicere? cum permissum sit eandem actionem diuerso à fine secundum diuersam rationem nominare.

Respondetur quibusdam obiectis.

s CIO EGO dicturos aduersus hæc duriores quosdam philosophos, qui ubi superalium obduxere, cœperuntq; de moribus uerba facere, nihil uideas eis tristius. Iam enim uirtutem ipsam asperam, incultam, horrentem, nihil habentem lene, nihil pro tempore mutantem de sententia, sed uno eodemq; semper uultu, affectu, animoq; esse uolunt. Quid? quod hominem obliti, nunc felices nos esse uolunt, qui nihil omnino moueamur, nunc deos, qui labamur, & peccemus nunquã. Ego uero hominem me esse fateor, uiuentem in ciuitate, cœtuq; hominum, multisq; quotidie occupatum, ac metientem non actiones ipsas modo, sed tempus, locum, personam, negotia, nec contentum præsentibus, nisi & futurorum rationem habeã, qui uirtutem ipsam lenem, mansuetam, facilemq; pro tempore existimem, ac patientem, aliquando nos paulum uia deflectere, et per calleis incedere, haberiq; non solum sui rationem, sed rerum quoque plurimarum, & domesticarum, & publicarum. Dicant igitur illi quidem aduersus hæc ut uolunt, dum ego uirtutem ita sequar, ut non ab ea tanquam à Tyranno quodam cogar, traharq;, sed illam ueluti mansuetissimum aliquem, & prudentissimum patremfamilias colam, & obseruem.

Liber Quintus

NARCISSVS THEOLOGVS Tam tenaci uir memoria, ut tota interdum ueterũ tum theologorum, tum philosophorum uolumina memoriter quidem, & eodem, quo scripta sunt, ordine, ac tenore reddat, Tali autem ingenio, ac tanto studio, ut nõ sit aliquod honestæ doctrinæ genus, quod cum magna etiam laude assecutus non fuerit, Nuper me, cum e Neapoli in Aemiliam ad castrenses hos labores proficiscentem dimitteret, ubi complexus fuisset, & de abeuntis desyderio collacrimatus aliquantum. Ego te, inquit, non quod oratores, ac poëtæ tui faciunt, aut ualere, aut gaudere, sed teipsum ut noscas iubeo. Nam neq; tibi à me ualetudo est optanda corporis, quam parce, abstinenterq; uiuẽdo tute largiare tibi, uix exigua medicorum ope indigens, nec gaudium tantam habere uim intellego ad bene in uita agendum, ut sapienti gaudendum, quàm dolendum esse magis iudicem, cum plurima quotidie in hominum rebus incidant, quæ idem hic sapiens dolere potius debeat, ac miserari, quàm ridendo ea, uoluptatem inde capere. Quámobrem teipsum ut noscas iubeo, ad quod tua te sponte magis animatum esse uideo, quàm quod Delphicum hoc reare, aut dæmonis alicuius, neq; Apollinis tam authoritate, quàm ratione ipsa moueri te certe scio. Quámobrem cum monitum hoc doctissimi uiri, eiusdẽq; amicissimi mecum ipse reputem, plane uideo si noscere me ipsum uelim, primum quidem cernendum esse quem me statuam, & cuius muneris colendi, efficiendiq; causa sim in lucem editus. Cum igitur diuinus atq; immortalis incolentibus hunc terræ globum hominibus datus sit animus, quo illa, quæ supra sunt posita, contemplentur, atq; ut in hoc corporis domicilio collocata mens naturam, atq; originem respiciat suam, sentio me rationalem esse, atq; ex optima parte diuinum. Ad me etiam pertinere, ut ab obsequio, indulgentiaq; corporis secedentem (quod quàm fragile sit, & caducum uidemus omnes) ducat animus, cœlestiumq; ad se rerum contemplatio rapiat, quam rem primam mei cognitionem esse duco. Et cum corpus hoc nostrum sit ueluti templum, in quo animus ipse sacerdotio fungatur, sentio primum ac maximum munus, cuius sim gratia genitus, illud esse, Deum ut uenerer, hunc ut mihi propitium faciam, huic ut gratus, acceptusq; esse studeam. nullum autem Deo sacrificium esse potest

acceptius, quàm mens sana, innocens animus, uita proba. Sanitas uero mentis est diuinarum rerũ contemplatio, atq; cognitio. Animi innocentiam, quidnam aliud esse dicam, quàm uoluntatem rectam ab æquo, honestoq; minime recedentem? Nam uita proba est, ita quidem uiuere, ut nihil agas, cuius sit postea poenitendum. Quod tum assequere, cum turpeis, foedasq; actiones prohibens (inde enim nomen ipsum probitatis ductum est) & patriæ, & cognatis, & ciuibus, et cæteris omnibus benefeceris. Benefaciendi autem tam latus est campus, ut eius materia deesse possit nemini. Hoc igitur humanissime Roberte agamus omnes, in hoc elaboremus, hoc sibi mortales certamen proponant, in quo uel uincere operæpretium est, uel uinci non indecorum. Quis igitur digne laudare illos poterit, qui non contenti tantum benefecisse, dum uiuerent, monimenta quoq; nobis reliquerunt, quibus recte instituti, atq; informati facilius id assequeremur, et contrarium melius caueremus. Nam quanquam nemo nisi uolens malus est, tamen ne honesti, boniq; deciperemur specie, uiuendi leges conscripsere, & quid rectum aut prauum esset, planè scriptis suis expressere, & ne malitia grassari posset, improbaúe impune fierent, magistratus etiam constituere, qui seruandis legibus præpositi, ciueis ad honesta inuitarent, prohiberent à turpibus. Quámobrem quoniam superioribus libris de illis obedientiæ officijs disputatum est, quæ primum in sua cuiusq; domo, deinde à subiectis facienda, ac seruanda sunt, placet sequenti libro de priuatorum obedientia erga magistratus, & eos, qui publicas res tractant, dicere, ne aliquid prætermittamus, quod ad domesticas, ciuileisq; res pertinere uideatur.

De magistratibus, & priuatis ciuibus.

q VEMADMODVM *Parendum esset Regibus à ciuibus, ac populis, & quid seruandum ab ijs sit, superiore libro satis explicatum arbitror. Venio nũc ad illam obedientiæ partem, quæ reliqua est, & ad priuatos ciueis pertinet, ut hac absoluta, & ad militarem obedientiam oratione tralata, operi modum statuam incepto. Eorum, qui in una ciuitate, ac sub ijsdem uiuunt legibus, duo sunt genera. Alij nanq; priuati ciues, alij magistratus uocantur. Sunt autem magistratus, qui Reip. gerunt munera. Quæ diuersa cũ sint, diuersos quoq; magistratus esse necesse est, atq; alios quidem minores, maiores alios. Sed in omni Rep. unus aliqs maximus est, atq; amplissimus magistratus,*

cui cæteri omnes pareant. Qualis Romæ consulatus fuit, aut dictatura. Ipsorumq; magistratuum alij sunt perpetui, Alij definiti ad diem statutã. Minores igitur magistratus parere maioribus debent pro cuiusq; muneris dignitate, atq; amplitudine. Priuati autem ciues illis omnibus, qui publicarum rerum moderationi præpositi sunt. Qui quoniam tum ciuitatis, tum Regis personam gerunt, uereri eos oportet, & honore afficere. Nam si, ut poëtæ inquiunt, ex honore, ac reuerentia orta maiestas est, quæ in iis esse cernitur, qui magistratus dicuntur, hi uel mirifice honorandi sunt à ciuibus. Quippe cum totius ciuilis obedientiæ fundamentum in colendis magistratibus, qui publici patres sunt, sit collocatum. Quod si uerum est, quod patriæ quàm parentum potiora sint iura, cum illi ipsi magistratus, & patriæ, & totius publicæ moderationis curam gerant, quis dubitet uel ampliores illis, quàm patribus honores habendos esse? cum etiam sacrosancti censeantur, & uitæ habeant, necisq; arbitrium? Nam & Quintus Fabius consul patri ad se in castra uenienti, non modo nõ assurrexit, aut obuiam profectus est, sed ex equo descenderet, inclamauit. Intellegebat enim se consulem esse. Sed obseruantiæ, ueneratio nisq; huius non una est species, cum & in sessu, & in incessu, & in sermone, in ludis, in iudicijs, non una sit uenerandi magistratus ratio, quæ cum pro moribus gentium, nationumq; seruetur, & tum scripto constet, tum consuetudine, magna profecto bene constituti ciuis, et eius, qui politicus dicitur, laus fuerit, harum rerum studiosum esse. Neq; enim ciuilis institutionis contemnenda pars hæc est. Siquidem ignorare quo genere honoris & ætas, & disciplina, & magistratus afficiendus sit, inculti, & agrestis est hominis magis, quàm ciuis. Et in florentissimis populis, primum hoc puerorum studium esse scimus, discere quomodo euadant quamreuerentissimi.

Ex Obedientia erga magistratus quanta bona enascantur.

e T PROFECTO LONGE Maxima hinc emanat utilitas, nam cum boni ciuis proprium munus sit, legibus, magistratibusq; obedire, uirum quoque bonum eundem hunc esse necesse est. Bonus autem uir esse nullus potest, nisi honestissimis, optimisq; uirtutibus, quarum sunt magistræ leges, fuerit abunde præditus. Eos enim uiros bonos dicimus, qui iustitiam, pietatem, probitatem, cæterasq; bonas artes, ad quas legibus inuitamur, colant. Quamobrem hoc paren-

di studium, & hæc ciuilis legum obseruantia, id uel cum primis præstabunt, ut quæ tum uiros, tum ciues bonos, uirtutes efficiunt, eas summa diligentia complectamur. Quo quid esse potest utilius in omni actione ciuili? Quantos autem fructus utilitas hæc afferat, facile intellegemus, si consyderabimus in qua Rep. nec legibus, nec magistratibus honor habetur, eam diu saluam esse non posse, quando salus, tranquillitasq; ciuitatis in seruandis legibus sita est omnis. Quarum quæ obseruantia esse potest, ubi & uitia in pretio sunt, & magistratus contemnuntur? quorum contemptus ciuilium malorum omnium origo, & fomes est. Nam ut rem familiarem quamuis amplam, breui dilabi necesse est, si paterfamilias despectui sit familiaribus, ita ciuilem quoq; societatem dissolui, euertiq; Remp. si magistratus pessundentur, qui legum custodes, & ministri sunt, quiq;, quod medicorum est officium, & prouident ægritudines ante quàm accedant, conantur arcere eas, & ubi accesserunt, remedia adhibent, quibus sanare illas queant. Quàm ualde etiam tum ad ciuilem decorẽ, tum ad publicæ maiestatis dignitatem conferant honores, qui habentur magistratibus, populi Romani instituta docent. Non modo enim insignia ab alijs gentibus Romani accepere, quo augustiores magistratus uiderentur, sed cum intellegerent etiam nomina parere authoritatem quandam per se solere, dignioribus illos nominibus appellarũt, prætores, consules, dictatores, imperatores, augustosq;.

Obediendum esse magistratibus.

SED CVM Diuersæ sint, ut dixi, uenerationis, ac cultus species, illa & honestissima, & utilissima uidetur esse, quæ parendi rationẽ habet. cæteræ enim aliæ huius gratia institutæ sunt. Etenim magistratus, legũ custodes sunt, leges ciuilis societatis, humanæq; coniũctionis, ad quá celebrandam si naturali instinctu mouentur homines, eadem quoq; natura magistra legibus, & magistratibus parere docentur, ut obediendi naturalis quædam sit necessitas. Adde quod horum ipsorum magistratuum officium, ac munus est, leges scribere, easdemq; antiquare. Quippe cum multa sæpe immutanda sint in ciuitatibus, tanta est uis temporum. Igitur si magistratus, uel authores ipsi legum sunt, iure sibi ciuitatis totius obedientiam uindicant, Iure boni ciuis prima laus est parere rectoribus. Contra nihil eo ciue tetrius, nihil perniciosius, qui superbiam, proteruitatemq; illis suam opponat. Hinc

seditionum

seditionum seminia, labesq; Rerump. Ex magistratuum enim contemptu legum oritur despicatio, quae res ciuilem omnem tranquillitatem perturbat, labefactatq; publicam libertatem. Quod siqui unquam gigantes fuerunt, ij mihi fuisse uidentur, qui legibus rebellantes Resp. occupare conati sunt. Hi Cyclopes, ac Laestrygones. Haec monstra teterrima, et dirae illae pestes erebi, queis numina mille, mille nocendi artes. Magnisq; cumulandi sunt laudibus poëtae, q haec non tam finxere, quàm sunt detestati. Idē quoq; ut declarent quanto in honore, & pretio magistratus esse debeant, Iouem in solio statuunt, nunc ut iura reddat, nunc ut hominum rebus prospiciat. Ná quod est tum praetoris, tum consulis, aliorumq; magistratuum pro tribunali sedere, quo uenerabiliores eos poëtae faciant, Deo id attribuunt. Apud Maronem exorta tempestate cum una, eurusq; notusq; ruunt, in Neptuno supremi magistratus, qui exortam comprimere seditionem uelit, persona exprimitur.

» Nanq; ubi magno misceri murmure pontum,
» Emissamq; hyemem sensit Neptunus, & imis
» Stagna refusa uadis, grauiter commotus, & alto
» Prospiciens, summa placidū caput extulit unda. Iisq; ubi turbari, ac misceri uidet omnia, statim authores ipsos seditionis Eurum ad se, Zephyrumq; uocat, dehinc talia fatur.
» Tantàne uos generis tenuit fiducia uestri?
» Iam coelum, terramq; meo sine numine uenti
» Miscere, & tantas audetis tollere moles?
» Quos ego, sed motos praestat componere fluctus.
» Post mihi non simili poena commissa luetis.
» Maturate fugam. - Quae quidem, aliaq; ubi dixit,
» - Tum dicto citius tumida aequora placat,
» Collectasq; fugat nubeis, solemq; reducit. Et quia pulsis turbulentis ciuibus sua tranquillitas urbi restituitur, Tum
» Cimothoë simul, & Triton annixus acuto
» Detrudunt naueis scopulo, leuat ipse tridenti,
» Et uastas aperit syrteis, & temperat aequor,
» Atq; rotis summas leuibus perlabitur undas. Et uero poëtae non tam nostra ad Deos transferunt, quàm illos nobis exempla proponunt, & uel confirmare res hominū, uel improbare ratione hac uolunt. Qui quasi Remp. aliquā instituant, hos bellis praeficiunt, maritimis rebus illos, alijsq; muneribus alios. Supremum autem Iouē faciunt, cui et senatum decernunt, et assessores dant deos. Et quia sine

minoribus quibusdã magistratibus publicæ res cómode tractari nequeunt, iam Panes, Syluani, Fauni in horũ apud eos habentur numero. Videre licet apud eosdẽ nasci Erichthoniũ non hominis, sed serpẽtis pedibus, et Caliston in ursam uerti. Esto'q;, ut alia fortasse sit fabularũ harum significatio, Ortus certe Erichthonij, Calistusq; conuersio manifestã cum primis habẽt, ille flagitiosi concubitus, hæc impurissimæ libidinis uituperationẽ. Quid Actæon ille, licet adhuc in ceruo uocem exprimat humanam, clamet'q;

» Actæon ego sum, dominum cognoscite uestrum, Non'ne ut syluestris fera dilaniatur à canibus? uidelicet qđ ei præter uocẽ hominis iam nihil esset reliquũ, ne facies quidẽ, nedũ ut digni hoíe mores, cogitationes'q; recessissent ab eo. Sed missos faciamus poëtas, reuertamur ad magistratus, quorũ edictis, decretis'q; parendũ est, faciendaq; eorũ iussa & pacis, & belli tẽporibus, seruandæq; leges, quas idẽ statuát, et tenendũ cuiq; qd publice, priuatim'q; præscribant. Sunt tamen ab alijs ad alios magistratus prouocationes, ubi minus iuste quippiã uel iudicatũ fuerit, uel imperatũ. Nã ne ueteres simultates, studia'q; partiũ, ne'ue præfecti ipsi, ut sunt humana ingenia, dum perperã quid agunt, nocere priuatis possint, prouocationes pmissæ sunt. Sed in prouocando inspiciendũ in primis est, ne accusandi magistratus studio, uexandi'q; aduersarij magis, q̃ tutandi iuris gratia id fecisse uideare. Quæ res magna sæpe concitauit odia, et Romæ ex prouocationibus seditiosius, aliquando laboratum. Atq; ut eorũ, qui gerendis publicis muneribus præsunt, diutius improbitas tolerãda non sit, à ciuibus, ne publica libertas in discrimen ueniat, nonnunq̃ tamen est ferẽda dissimulanter, exspectandum'q; tempus magis idoneũ. Nã in mari deprehensi à tempestatibus prudẽtissimi sæpe nautæ, ubi obsistere illis nequeunt, uentis se se ferendos pmittunt, dũ aut portus aliqs, aut tutior saltem statio excipiat. Et medici morbis qbusdã, q̃ tempus præsentius remediũ inueniunt nullũ. Quippe quibus dies medeatur, quæ et ipsa acerbissimorum animi dolorũ medela sola est. Coërcenda tamen impotentia, matureq; occurrẽdũ tyrannidi, quæ ubi radices cœpit agere, difficilius euellitur. Nã si exspectes dũ excidatur, uerẽdum est, ne paulo post uberius germinare incipiat. Gracchus subselliorũ fragminibus occisus est. Catilinæ conatus periculosius compressi. At Cæsari nulla obsistere uis potuit, & quanquam à paucis occisus, innumerabilem reliquit seriem sibi succedentiũ. Sed occupandæ tyrannidis diuersæ sunt artes, uariæq; rationes. Paulus Genuensis archiepiscopus, nuper à sacerdotio ad tyrannidẽ peruasit. Et qui nunc Me

diolanensibus, Insubribusq; imperitant, à Ioanne Mediolanensi archiepiscopo initium dominandi fecere. Is enim Mediolanensis pontifex cum esset, dominatum arripuit, cuius successores duces sunt à posterioribus uocati. Sed hæc facta non carent exemplo, et superstitio tam late uagata est, ut non contenta cœlũ promittere post mortem, qđ utinã ne uenderet in uita, regnum in nobis possidet. Quo'circa cum in re quaq; finis maxime inspiciendus sit, ad quem referri cuncta debeãt, ciuilisq; hæc obseruãtia cum eo respectet, ut bene, feliciterq; geratur Resp. saluis legibus, libera ciuitate, publicisq; muneribus, recte, atq; è communi sententia gestis, iure in eos quicunq; conferuntur et honores, et tituli, quippe quibus & statuas decerni mos fuerit, & eosdẽ patres patriæ nominare. Plura hoc loco quærere, atq; explicare desitimus arbitrati ex ijs, quæ dicta sunt, susceptæ materiæ satis esse factum. Quo'circa parte hac absoluta, reliquũ est de militari ut explicemus, quemadmodũ supra proposuimus. Ac nequid omiserimus, quod ad ciuilem pertineat dignitatem, uidetur de reuerentia, cultuq; illo præcipiendũ aliquid, qui præceptoribus debetur, & senibus. Nam & senectus in pretio semper fuit, & maiores nostri sapientissimi uiri, præceptores, ac doctos homines magno semper in honore habuerũt.

Obediendum esse præceptoribus, & senibus.

SUSPICI Autem, & coli debere præceptores, & senes, cum uita cõmunis, tũ natura ipsa nos docet, quã sequentes, errare uix possumus. Etenim si ab omnibus recte laudatur prudentia, & in quibus species eius maior cernitur, illos admiramur, & colimus, qui maiore aut laude, aut admiratione digni erũt q̃ senes? Quãdoquidẽ si uerũ est, quod multa uidendo, multa agendo, ad quod nati ipsi sumus, prudentia comparetur, ea necesse est sit in senibus multo maxima, qui diu uiuẽdo plurima & uiderunt, & experti sunt. Item si scire oẽs uolumus, & docti esse, quod discendo consequimur, an non eos uenerabimur, quorũ officium, & munus est docere, & ad quorum disciplinas id pertinet? Igitur cum prudentia, rerumq; cognitio sit naturæ hominis maxime consentanea, erit & maxime consentaneum uereri eos, quorũ exemplis aucti, & doctrinis imbuti, prudentes, doctiq; efficimur. Quod nisi uel utilissimum esset, nequaquam in florentissimis & bene constitutis urbibus tanta & olim fuisset, & nunc esset festinatio, & cura tradendi pueros magistris ubi fari primum sciunt, a' quibus quid

aliud prius discunt, q̃ quomodo salutare auos debeant, et ut ijs, q na=
tu maiores sunt, assurgere, cedereq; cõsuescãt? Vide q̃ oẽs ad hoc ipsum
inuitet Cicero, cum ait, ita se à patre deductũ ad Scæuolã, sumpta
uirili toga, ut quoad posset, et liceret, à senis latere nunq̃ discederet.
Idem item cum ait bene informatum animũ parere uelle nemini, ni
si aut utilia monenti, aut præcipiẽti honesta, hortatur nos ut præcepto
res, ut senes accuratissime audiamus, à qbus et utilia quæ sint discã-
mus, quod monstrare, & noscere prudentis est, & honesti uim, na-
turamq; percipiamus, qđ docere eius est propriũ, qui norit, qd in re
quaq; sit uerũ. Idẽ etiã non loquẽdi solũ, uerũ et beneuiuẽdi grauis
simus magister præcipit debere adolescentes uereri maiores natu, ex
ijsq; deligere optimos et probatissimos, quorũ consilio, atq; authoritate
nitantur. Ineuntis enim ætatis inscitiam senum constituendã, et re-
gendã prudentia esse: Atq; ubi laxare animos, et dare se iucundita=
ti uolent, quo facilius caueant intemperãtiam, maiores natu debere
interesse. Et uero Achillis prima laus est in præceptorem obseruan-
tiæ, quãuis et cui non eliceret risum citharœdi cauda magistri? In
tellegunt poëtæ quid maxime conueniat teneræ ætati. Sed facessant
præceptores, & docti uiri tantisper, dum de senum agitur reuerẽtia.

De habenda in senes reuerentia.

PARENS Vrbis Romulus gerendæ domi Reipubli=
cæ senes statuit, unde Senatus dictus. Hi non ab au-
thoritate modo, uerũ et ab ætate patres uocati. Et cum
in anno disponẽdo primum mensem Marti, Veneri se
cundum dedicasset, à maioribus, idest senibus nominauit tertiũ. Tã
ti enim ducebat senectutem, ut proximũ à Dijs locum nominandis
mensibus ætati huic tribuerit. Quod siqua unq̃ in Rep. uirtuti lo-
cus fuit, haud scio num quæ sit hac in re, sicuti nec in magnitudine
Imperij cum romana comparanda, quod eam non oratores noui stul
ti adolescentuli, ut ille inqt, sed senes maxime administrabãt, qui qđ
consilio & prudẽtia ualerent q̃plurimũ, domi, forisq; rem bene gere
bant. Etenim si prauæ cupiditates, affectusq; turbulenti seiungendi
sunt à nobis, ut possimus recte consulere, et qđ uerũ, ac bonũ sit discer
nere, uidetur propriũ hoc munus senũ esse, quorũ animos longa dies,
et rerũ multarũ usus purgauit, atq; excoluit, et quorũ multa est obser
uatio, atq; memoria rerũ præteritarũ. Quod si eorũ, quæ manu fiũt,
ars est, eaq; consumata esse soleat, in ijs præsertim, qui diutius exer-

cuerunt illa, cum & uiuendi disciplina quædam sit, in quibus ea maior inueniri potest, q̃ in ijs, qui multa gesserunt in uita? multa ipsi aut experti sunt, aut ab alijs factitata meminerunt. Et qui faciendis frenis, qui ducendis metallis delectantur, si artis eius peritis dãt operam, illorumq; obseruant manus, quanto est æquius maiores natu ut uitæ magistros coli? à quibus & docere quid sequi ipse debeas, & absterreare ab ijs, quæ parum usui futura sint in uita, cum in rusticatione, in mercatura, in re militari, nedum in ciuili, nisi per exercitatos rarus possit esse profectus, ex quorum obseruationibus profectæ artes, & rerũ gerendarum præcepta sunt tradita. Quid? quod eos, qui populis imperant, nullo alio magis honesto nomine appellamus, quàm seniorum. Potest tamen contingere siue naturæ bonitate, deiq; beneficentia, & munere, siue ex institutione diligenti, & optima, ut etiam in iuuene senilis appareat prudentia, & grauitas. Sed uide quanta sit ingrauescentis ætatis admiratio, quod senem eũ ante diem dicimus, & in ætate uiridi ad profectum uenisse, laudẽq; senectutis. Quocirca cum omnibus seculis, & apud omneis nationes honorata & fuerit, & sit senectus, quæ ipsa per se laudabilis, atq; suspicienda est, cuius etiam prudentia rudis ætas constituẽda sit, iuuentaq; informanda, meritò colendi sunt senes, ut quisq; maxime rebus gestis clarus est, præstatq; ijs uirtutibus, quæ uiros bonos efficiunt, quorum præceptis qui gaudeat adolescens, næ ille exsistet probatissimus, cuius præcox sapientia multum sibi, multum amicis, plurimum sit patriæ utilitatis collatura, et decoris. Scipio is, qui primus nomen hoc meruit, à cultu & studio senis patris qualis ipse euasit et uir, & ciuis, quales eius posteri? Papyrius qui uir, et quantus, puer non puerorum studia & inaneis ludos, sed senum sectabatur uestigia. Et Cyrus, qui regnauit in Perside, et apud auum, et apud alios usu rerum probatissimos homines, ea didicit, & meditatus est, quæ postea, & fecisse illũ & gessisse, quæ non historiæ tradunt? pleni sunt & græcorum, & latinorum libri huiusmodi exemplis. Sed abunde cum sit senectus à Cicerone & defensa, & laudata, nec laudes eius dicendas suscæperimus, satis esse debet, si quãuis paucioribus uerbis causas maxime graueis, necessariasq; attulimus, quare ingrauescens ætas sit honoranda. Quamobrem reuertamur ad præceptores, atq; ad eos, qui docti dicuntur, clariq; habentur in literis.

De reuerentia in præceptores.

h IS QVAE Vnquã haberi ſatis magna poteſt gratia? cum eorũ opera, & cura effectum ſit, ut humanum genus excoleretur moribus, inſtitutis, diſciplinis. Nam niſi inuentæ literæ fuiſſent, niſi mandata monimentis tot ſeculorum acta, & cogitationes ſuas excellẽtes uiri ad poſteros tranſmiſiſſent libris, quæ eſſet hominum uita in tanta obſcuritate, & rerum ignorantia? nullo bonorum, malorũq; delectu adhibendo? nullaq́; cognitione ueri? minima rerũ præteritarum memoria, eaq; anili, & fabuloſa, peſſimeq; cum ciuitatibus, & gentibus actum eſſet, ſi uſu, & conſuetudine, quàm ſcriptis legibus ſibi conſtarent. Cum uix pauca quædam, è tanta rerum, negotiorumq́; multitudine & diuerſitate, quæ inter mortales geruntur, ad conſuetudinẽ referantur. Senſerunt rudes illi agreſtium ſeculorum homines, ijsq́; proximi, quanta ſibi ex doctorum hominum inuentis collata eſſent beneficia, qui Mercurium, atq; Aſclepiũ inter Deos retulerint, propter utiliſſima generi humano excogitata ab ijs remedia, & traditã rerum plurimarum cognitionem, atq; ſcientiam. Iam uero quæ de Deorum cultu, quæ de natura prodita ſunt ab Orpheo, & præcepta, quæ non gentes accepta, & probata habuerunt? cuius memoria in tanta fuit poſteritatis admiratione, & laude, ut quod incultos, & penè ſylueſtreis homines informare, & manſuefacere primus cœperit, creditus ſit & tigres leniiſſe, & ſyluas uoce traxiſſe, morum ſcilicet feritate, dicendi arte temperata. Quid Minoëm, non'ne conſenſus hominum iudicem animarum ſtatuit propter leges ab eo deſcriptas, Ioue, ut creditum eſt, dictante? Quid Euandri mater Nicoſtrata, quæ quod futura prædiceret, Carmenta dicta eſt, an non Dearũ eſt in numero habita? Literas enim apud noſtros inuenerat; et Homero poſt mortem templa ſunt poſita. Sed remotiora ſint iſta. Athenæ quamuis rebus geſtis abunde claræ, atq; illuſtres fuerint, Athenienſium tamen, & græcorum cæterorum nomen illuſtratum eſt inuentis & diſciplinis doctiſſimorum hominum. Et belli quidẽ gloria Athenienſes græciq́; longe inferiores fuere multis & populis, & nationibus. At græcorũ inuenta in ultimas uſq; terras penetrarunt, ſuntq́; hodie in pretio, & erunt quãdiu mentes hominum occupari in rerum cognitione, ac doctrina uolent. Serius hæc à Romanis recepta ſunt ſtudia. At quos prouentus habuerunt? Nã parũ contenti græcis tantum diſciplinis, Punicorũ quoq; ſcriptorũ uolumina maiores noſtri

publica impensa transferenda curarunt. Hodie quoq; non paucos libros, è Chaldæis, hebræisq; authoribus conuersos habemus, effectumq; est, ut eò creuerint bonarũ artiũ apud nos studia, ut & gentes cæteræ, & græci maxime latinorũ ope indigeãt. Quotus enim græcus nũc est aliqua doctrina præditus, q etiã græcas literas in Italia non didicerit? adeo oĩs generis literarũ studia apud nos uigent, græcorũ uero apud græcos ipsos, res disciplinæq; iacent omnes, amissa libertate, deletis urbibus sæuissimo Turcarũ dominatu. Sed linquamus Romanos, q aureã quoq; statuã Rhetori posuerunt. Quæ nũc in Italia urbes florent, earũ uix ulla est, quæ non doctos uiros, et in quocunq; doctrinæ genere claros magnis mercedibus alliciat, atq; conducat. Intellegunt enim qui ex his capiantur fructus. Florent in Gallia Philosophiæ studia, quæ in tantum aucta sunt, ut Parisijs ad decem millia hominũ esse dicantur, qui humanarũ, diuinarumq; rerũ cognitioni uacent. Idem fauor, eademq; studiorũ celebritas est in Hispania Hilerdæ, Cæsareæ augustæ, Salamanticæ, nec liberi tantum populi, sed maximi quoq; reges & suspexerunt olim, & nunc suspiciunt doctos uiros. Filium, inquit Philippus ad Aristotelem scribens, mihi genitum scito, quo equidem Dijs habeo gratiã, non tam quia natus est, q̃ quod eum nasci contigit temporibus uitæ tuæ, Spero enim fore ut eductus, eruditusq; à te dignus exsistat & nobis, & rerũ istarum successione. Quid hic Philippi filius Alexãder? non'ne quasi stipatus semper incessit doctissimus uiris? Quid rex Alexandrinus Ptolemæus, quibus stipẽdijs, quaq; mercede euocauit ad se undiq; quos nosset magnæ celebritatis, ac famæ? Quid Cæsar? in quo tanta etiam fuisse traditur astronomiæ cognitio, ut annus ab eo correctus fuerit, qui nunc Iulianus dicitur. Augustus, ut de illius studio, atq; eruditione taceatur, unũ illud declarare satis dictum potest, quanti literatos fecerit, quo iudicauit principum gloriã poëtarum uersibus, & ore inniti. Magna & in Adriano fuit eruditio literarũ, magna etiã astrologiæ, philosophiæ nõ minor in Antonino. Galenus quoq; quantum profecerit in bonarũ artiũ studijs, indicat epithalamiũ ab illo editum in nepotum nuptijs.

» Ite simul pueri, pariter sudate medullis
» Omnibus inter uos, non murmura uestra columbæ,
» Brachia non ederæ, non uincant oscula conchæ.

Quid quod uix aliquis è Romanis principibus fuit, quandiu romana res stetit, q non aut ipse fuerit eruditus, aut studiosus eruditorũ hominũ? Gotthorum quoq;, ac Langobardorũ reges excoluere se humanitatis studijs,

& quāuis Italicæ res diu prostratæ, atq; attritæ iacuissent, Siculus tamen Fridericus ne in tantis quidē bellis, quæ aut ipse intulit, aut propulsauit, studiorum horum curā remisit. Plerosq; enim Aristotelis, & Ptolemæi libros in latinum conuerti iussit. Quædam etiam ex Arabico uolumina, utinam elegantius, sed tamen præstitit quantum tempora passa sunt illa. Quid dicam de Rege Neapolitanorum Alphonso? cuius regia nunquā non referta fuit uiris ingenio, & doctrina præstantibus, quos penè quotidie aut lectitanteis audiebat, aut disserenteis. Nā quantū sua ætas debuerit Nicolao Quinto Pontifici Maximo, qui nunc uiuūt sciunt omnes, et intellegent posteri. Nec nostra hæc minus debitura est Ferdinando, qui Neapolitanos ludos aliquot etiam seculis clausos nuper aperuit, nec passus est rhetoricam, philosophiā, theologiā, musas, diutius tanta in latebra delitescere, atq; sordescere. Sed nos longiores fortasse sumus, quàm res postulat, tecum Roberte præsertim, & in re non dubia testibus utimur nō necessarijs, cum & apud Barbaros doctrina sit in pretio, & docti uiri habeantur illustres. Quo'circa si aut felix est, ut Virgilius existimat, qui rerum cognoscere causas potuit, aut certe, si absq; illarum cognitione felicitas esse nullo modo potest, quod fateri necesse est, ipsaq; cognitio, & scientia, cum ex doctrinis tantum habeatur, & ex tradita à præceptoribus institutione, & uia. Ad hæc si iustitia colenda est, qua remota societas nulla, nullaq; amicitia, aut coniunctio esse inter mortaleis potest, cumq; nullum maius iniustitiæ genus sit, q̄ in illos ingratum esse, cuius muneris, ac beneficij sit, ignorātes ne simus, cum ignorans oīs, & nequā & malus sit, Iure obseruandi sunt illi plurimum, qui ad felicitatem nos instituunt, ad eamq; recta, & certa ducunt uia. Iure quorū præceptis, atq; informationibus exculti, ornatiq; ipsi sumus, in eis colendis, honorandisq; peccare, & turpe, et malum putemus, nec in ijs tantum, qui uiuunt, uerum & in eorum, qui multis ante annis decessere, celebranda memoria & nomine, cum & Mantuani insignis, in ædificijs, in monimentis publicis Virgilij caput insigne gentis præferant, et Sulmonenses Ouidianum illud hemistichiū, Sulmo mihi patria est. Quotus autem ex ijs Ducibus, q nūc arma tractant, tantam alit multitudinem, ut nō intellegat longe maiorem esse familiā, quā pascit Aristoteles, Hippocrates, Vlpianus. Ptolemæus Zoilo illi obiecit in conuitijs, Homerū tot ante annos uita functum æuo perpetuo multa millia hominū pascere. Panhormitam Antonium dicere memini, nunquā se de re familiari nimis fuisse solicitum, uti enim patribusfamilias diligentissimis Liuio, Sallustio, Cice-

rone, Plauto, Virgilio. Et nos, si Dijs placet, erga illorũ memoriam in grati, atq; impij erimus? Nullus è Græcorũ quondam principibus, quos multos, et præstanteis ea natio protulit, nulli è nostris, quorũ & Italia, & Roma feracissima semper fuit, non instituti fuere sub optimis, & clarissimis præceptoribus. Thebanus Epaminundas, præceptorẽ habuit Pythagoreũ Lysiam, Aristotelẽ Alexander, Scipio Africanus nunquam satis laudatus uel dux uel ciuis, Enniũ poëtam humari secum uoluit. Quos in illũ contulisse honores uiuũ arbitreris, quẽ moriens ita fuerit ueneratus? Vtinam in colẽdo Seneca pseuerasset Nero, facile inter Romanos Imperatores fuisset illustris. In Traiano iam principe, & urbis, atq; orbis res moderante quãtum ualuerit Plutarchi authoritas, docet ad eum ab illo scripta epistola. Sed prætereamus innumerabileis tum græcos, tum Romanos, neq; enim historias nunc excutimus. Alphonsus nunquã passus est Antoniũ ne in periculosissimis quidẽ expeditionibus ab se discedere, aut abesse diutius. Et nos apud principes uiros magnam sæpe habuimus audientiã, ut nõ nunquam spectante instructo exercitu auditi fuerimus. Licet in hoc gloriari, quod cum aliquãdo in hostis manum incidissemus, honorati, & donati ab illo dimissi sumus. Dij igitur maiorum umbris, tenuem, & sine pondere terram,

» Spirantisq; crocos, & in urna perpetuum uer,
» Qui præceptorem sancti uoluere parentis
» Esse loco, - Nec præceptorem modo, uerum etiã literatissimos, & doctissimos quosq;.

De obedientia militari.

HAC PARTE Absoluta, quæ plurimũ ad ciuilem institutionem pertinere uisa est, qđ reliquũ est, de militari explicemus. Nã quanquã ad ciuiles hoc res nõ ita primo aspectu ptinet, quæ tamen Resp. sine defensoribus stare diu põt? aut quod quãuis opulentum regnum stabile, ac firmum esse? oportetq; non institutis modo, et legibus moderantem populos, sed militibus quoq; niti, quorũ maxima illa laus est, si fuerint quammaxime obediẽtes. Qua de re dicturi à natura maxime sumemus exordium. Eam igitur intuentibus facile apparebit tributum ab illa nobis eẽ, profutura ut quæramus, declinemus nocitura. Quæ ubi aliter uitari nequeãt, uiribus cõtendamus in eũ, q inferre studeat reijciẽtes iniuriã. Hãc eandẽ naturã contemplãtes, intellegemus insitum nobis esse uigorẽ quendã generosum, et nobilẽ, quo impellente

ad magnas res, et claras adnitamur labores maximos, periculáq; gra
uissima, ut illas assequamur, sponte suscipiẽtes. Quos naturæ ĩpulsus
ubi rõ moderatur, tũ exsistit ĩter ciues æquabilitas, et cõueniẽtia il=
la, per quam ciuilis societas stabilis manet, et homines alter alteri con
ciliãtur, efficiaturq́; ut nec diues, nec clarus fieri quisq̃ aliena cum in=
iuria studeat, singulíq; publicis utãtur ut cõmunibus, priuatis, ut suis.
Cõtra uero ubi ratione abiecta, aut habẽdi cupiditas, aut regnãdi
libido acrior incessit, et propius admouit stimulos, tũ quærũt homi-
nes quibus maxime modis quod cupiunt, per uim, iniuriãq; sibi uindi
cent. Hinc seditiones, ac tumultus. Ex quibus ubi sedati parum sunt,
cædes inter ciues oriuntur, & bella etiam ad finitimos pertinẽtia,
dũ aut factionũ alteri student, aut alijs languẽtibus, ac uexatis, suos
ipsi prolatare fines uolũt. Quædam etiã nationes dũ aut soli sterili
tas, aut cœli inclementia mutare regionẽ cogit, aut populariũ multitu
do nimia in alias exire terras iubet, ut incolas finibus suis pellerent,
arma intulere. Sed qui mortales primi finitimos bello petierint, affir-
mare non ausim. Ferũt tamen regẽ Assyriorũ Ninũ ampliãdo regno
intentũ, in proximas teras primũ impressionẽ fecisse, armisq; subegis=
se nationes plurimas. In mouendis autem, et indicẽdis bellis, iustitiã
maxime secuti uidentur, è græcis Lacedæmonij et Athenienses, è no
stris, Romani, dũ arma ab alijs illata, aut repellunt, aut ipsi bella in
ferũt suis sociorũue propulsandis iniurijs commoti. Bacchus uero, et
Alexãder. oĩno iniusti, nec ijs iustiores Galli Germaniue. Sed illos glo
riæ fortasse studiũ perpulit, Hos satis constat auaritiã secutos fuisse.
Turcas quoq; ignobilẽ gentem, et latrocinijs assuetam, sola principio
prædæ cupido, ad bellũ traxit, nũc et imperij, magna Asiæ, Europæq;
parte armis edomita. Vtq; ad Romanos redeam, quid eos aliud tot
exercituum uictores, tot nationũ dominos fecit, q̃ exercitatus, et dicto
parens miles? Cuius pugnacitas, si caruerit obediẽtia, temeritas quæ-
dam erit, quæ si in omni uitæ genere periculosa est, in bello uero mul
to maxime, in quo gerendo cauendum nil magis est quàm ut nequid
temere agatur, præsertim ubi castris collata sunt castra, cũ sæpenume
ro contigerit paucorum militum contumacia, maximas copias fuisse de
letas. Nam cum sit militis officium, sistere, procedere, adoriri, ferire, re
gredi, aliáq; pro ducis imperio agere, pernitiosa fuerit militis pugna
citas, si ubi pes referendus est, et tuba canit receptui, acrior tũc in hostẽ
feratur, aut ubi iussus in confertissimam aciem inferre se se, pedem sta
tim retulerit. Quámobrem cum obedientia fortitudinẽ regat in præ
lio, detq́; animos formidini, iure Carmeniola Franciscus, qui patrum

nostrorum memoria militarem disciplinã restituit, militem ab obediẽ tia maxime probabat. Qua de re dicturi statim sumus. Terestres co piæ cum partim equitibus, partim peditibus constent, iis dux si defue rit, non tam exercitus dicendus erit, quã armata quædam multitudo, quam necesse sit, uagantem, palabũdamq; ferri, paruo tempore hostis prædam futuram. Imperatore igitur opus est, qui nouerit quo loco po nenda sint castra. quando etiã mouenda, qui disponat ordines, et ho stium exploret consilia, qui manus contineat, sciatq; quando & quo loco, & quo pugnæ genere decertandum sit, ac quibus artibus fru= strandus hostis, deducendusq; in insidias. Et quoniam unus ipse sa= tis esse non potest eas ad res omnes, quæ administrandæ, & prospi= ciendæ sunt, Alij quoq; cõstituuntur sub imperatore duces, q et Im= peratoris iussa exsequãtur, et pro suo quisq; munere imperet, quæ agẽ da sint alijs, utq; ille totius exercitus curam gerit, habetq; ĩperij sum= mã, sic minores hi duces ordinis quisq; sui, ac delegati ab eo muneris, atq; ut imperatori omnis paret exercitus, ita suæ et his obediunt tur= mæ. Et quoniam bella ipsa aut inferuntur, aut propulsantur, & qui inferunt aut iustã sequũtur inferendi causam, aut dominãdi libidi- nẽ, atq; utriq; & q inferũt, & qui propulsant, certãt pro uictoria, et ut sine iniuria uiuatur pace parta (quãq̃ quibusdã in bellis uicere est nõ succubuisse) Victoria uero, & pax comparari absq; cæde uix so= let, oportet militẽ q̃ diu obligatus est, nõ deserere imperatorem, nec recusare eius imperiũ, etiã si periculũ mortis immineat, ad uictoriã enim, & ad pacem, qui belli finis esse debet, cõductus est, pro qua quo niam dimicandũ est, q̃diu iureiurando obstrictus fuerit, & ubi res postulauerit, nõ debet pericula effugere, sine quibus ad belli finẽ per ueniri non potest. Nã si licitũ sit illa fugere, nunq̃ in aciẽ prodierit, nũ quam concurret, multo minus in urbis fossas descendet, aut muris sca las admouerit. Horum enim nihil caret periculo. Nã ubiq; est et plu rima mortis imago. Quamobrem parendũ est Imperatori à milite, etiam si in ipsas tormentorum fauces iri sit iussum, quando & dux ipse ad certa sæpe pericula primus feratur, primusq; ubi necessitas uocauerit, hostem feriat, & uallum ascendat. Quo circa Impera toris & ducis iussa, præscripta, edictaque omnia, quæ milita- rem ad rem pertinent, seruanda et obeunda sunt à milite, quorũ qdem ppetua illa sunt, signa sequi, seruare ordines, ad tubæ signũ instruere se se, et stare intentum paratumq; tametsi q hostis proximus nõ sit, non semper dux exigat ut res ad præscriptũ, exactæq; gerã tur, tñ cautissimus qsq; dux, et militaris disciplinæ obseruãtissimus,

prouidere semp debet ordines ne confundãtur, etiã si longissime hostis absit, ne casus aliquando iparatum inueniat. Edictorũ cum duo sint genera, alterum quo exigitur opera, ut cum iubetur ad tubæ signũ equum ascendi, alterum, ut cum edicitur nequis è castris exeat, utriusq; generis obseruantissimum esse conuenit. Et in illo quidem sæpius peccatur metu, in hoc licentia, quæ uitia ad rem bene gerendam uehementissime sunt contraria. Quanta uero seueritate à Romanis maxime Imperatoribus animaduerti solitum in eos sit, qui imperij contemptores essent, tum alia permulta, tum hoc docere nos in primis potest, quod Aulus Manlius Torquatus filiũ quanquam uictorem, tamen qa contra imperium suum in hostem pugnasset, securi percuti iussit. Quantum etiam obedientiæ studium in legatis ipsis fuerit, & q̃ diligens eorum, quæ imperata essent, obseruantia, hoc monemur exẽplo. Publius Sulla, quem in obsidione Dyrrhachiana discedens Cæsar castris præfecerat, dum cohorti laboranti auxilio uenit, & Pompeianos facile repellit, suos fugientem hostem insequenteis reuocauit, cohorte liberata contentus. Et quanquam pleriq; existimarent, si fortunam fuisset secutus, potuisse eo die finiri bellum, à Cæsare tamẽ consilium eius reprehensum non est, quod aliæ essent legati, atq; imperatoris partes, cum hic libere ad summam consulere rerũ debeat, ille agere ad præscriptum omnia. Quod si prælio decertasset cum Pompeio, Imperatorias sibi parteis sumpsisse uideri poterat, cum legatus fuisset in castris relictus. Præscripta igitur Imperatorum planè seruanda sunt, nec committendum, ut cuius fortitudo non desyderatur, desyderetur obedientia. Ferdinandus cum ad Sarnũ fluuiũ castra haberet, Hostis uero partim intra oppidum, partim in suburbio copias suas collocasset, parumq; abesset à circunsesso, consilium cepit adoriundi eos, qui pro statione erant. Itaq; iusso peditatu latera montis de tertia uigilia occupare, & signo dato inde decurrere, ipse albescente cœlo effractis portis, quæ ad caput amnis, obstructæ erant, aliquot turmas immisit, & quid agi uellet, imperauit. Equites, peditesq; hostem imparatum nacti, ad prædã conuertuntur, quã capti dum nihil ad præscriptum agunt, hosti perterrito, ac desperatis rebus iam de fuga cogitanti, tempus dant ad arma capienda, aciesq; instruendas. Qua è re tanta rerum commutatio facta est, ut nihil regis præsentia, nihil peritia rei militaris profuerit, quo minus urgente hoste in fugam uerterentur omnes, magno accepto detrimento. At eius prælij, quod biennio post in Appulia factum est, cum Ferdinandus uerso in fugam hoste in locum iniquum successisset,

cessisset, non magis uirtute militum, quàm obedientia uictor fuit. Hoc prælio confecto, et Troia capta, cum ego Tribunũ quendam strenuum uirũ, et rei militaris peritũ grauius increparẽ, quod peditatu superiores, eqtatu propè pares loco nobis iniquo, ꝑ ignauiã uicti eẽnt. Sanè, inqt, obedientia militũ, q̃ fortitudine uicti sumus, toto enim prælio neminem unum è militibus, ducibusq́; uestris, nisi ad præscriptũ agentem animaduertimus, quæ res oĩum animos cõsternauit. Incassum igitur artes, atq; consilia cesserint, frustráq; ad uictoriã necessaria comparata erunt, siue mari, siue terra geratur res, si militis opera parũ pro imperio Dux utetur, cum fortitudo militaris absq; obediẽtia, temeritas quædã sit, et exercitatio ipsa plerunq; periculosa. At contra re ipsa compertum est, magnas sæpe res, quanquã parũ exercitato milite, tñ q̃a dicto parens esset, feliciter fuisse gestas, cuius rei et Gracchus, & Marcellus manifestissima præbuere exẽpla. Quid, quod in quo exercitu contumacia non est, in eo uix oriri seditio solet? Præterea quæ in itineribus faciendis, quæ in conserẽdis manibus erit ordinũ obseruatio, si desit obediẽtia? qua sine necesse est misceri, ac turbari omnia. Aut quæ in castris esse securitas põt, si excubare pro statione, aut pro signis iussi, dicto parentes non fuerint? Et cum exercitus incolumitas, ac uictoria propè ipsa posita sit in explorandis hostiũ itineribus, atq; consilijs, male cum exercitu actum fuerit, ubi quì ad explorandum missus est, imperiũ contumaciter neglexerit. Quæ res magnos sæpe duces in maximas coniecit calamitates. Sunt tamen qui condẽnandã aliquando obedientiã ducant, rati despiciendã esse pro tempore imperia, quod magno interdũ usui futurum sit, si contra præscriptum agatur. Cum Alphonsus Ferdinãdi pater oppugnare Neapolim pararet, Renatus dispositis per muros, ac turreis uiris, edicit, nequis locum in quẽuis euentum deserat, cœpto prælio dũ acriter pro muris pugnatur, milites ꝑ aquæductũ ingressi, nullis (dũ relinquere locum nemo audet) occurrentibus, turrim occupant, qua occupata statim factus est intra urbem ascensus. Mihi quidem non propugnatorũ obedientia, sed ducis potius imprudentia uidetur accusanda. Nam militi cum sint imperatoris occulta consilia, illud unum, quod scit ad se pertinere, quodq́; sibi imperatum nouit, fortiter si ipse fecerit, munere functus est suo, est enim eius officij, nõ quærere quale sit quod imperator iusserit, sed illud capessere, atq; implere. Quippe cuius opera conducta sit, non consilium. At legatis & tribunis, quibus belli gerẽdi consilia, & imperatoris notæ sunt artes, cum aut res, aut tempus, aut belli fortuna postulare aliter uideatur, ꝑmissum forsitan fuerit mu

tare rationē, et à præſcripto recedere, meminerit tñ imperatoris par
tes ſuas nõ eſſe. Legimus Q. Tulliũ Ciceronem grauiter à Cæſare
fuiſſe increpitũ, hunc ille cũ legionibus Ambiorigē inſecuturus, et ho
ſtiũ fines populaturus caſtris præfecerat, relicta cum eo legione quar
tadecima, quæ eſſet præſidio ĩpedimentis, quæ ad Vatucã cõtuliſſet, im
perauerat'q; ut ad aduentum ſuũ omnes caſtris cõtineret. Cicero ſex
dies tãta diligentia ſeruauit Cæſaris præceptum, ut ne calonē quidem
extra munitões exire pateretur. Septimo tamē diffidēs Cæſarem quo
dixerat die affuturũ, ꝙ lõgius progreſſum eum audierat, neq; ulla de
reditu illius fama afferebatur, ſimul permotus uocibus hãc patiētiam
incuſantium, et penè obſidionē appellãtium, ratus'q; diſperſis ac penè
deletis hoſtibus in millibus paſſuũ tribus nullum damno locum eſſe,
quinq; cohortes frumentatum in proximas ſegetes miſit. Quibus in
frumentatione occupatis, germani equites, qui cis Rhenum tranſierãt,
interueniunt, & quo uenerãt curſu, in caſtra irrũpere conati, parũ
abfuit quo minus illa caperent. Reuerſus Cæſar, Ciceronē, ut dixi,
increpuit, queſtus'q; eſt ꝙ cohortes ſtatione præſidio'q; emiſſæ fuiſſent,
ac ne minimo quidem caſu locum relinqui debuiſſe. Nã dũ clamori-
bus militũ commouetur, immemor præcepti factus penè cum tota le
gione cæſus, caſtris'q; exſutus eſſet. Poteſt tamē contingere aut uulnera
to ĩperatore, aut cæſo, aut ubi ex imparato hoſtis adortus eſt, neq; im
peratoris exſpectari præceptum poteſt, ut legati, et Tribuni obeãt im
peratoris munia, et quiſq; pro loco, ac tpe inſtruat, proſpiciat, concur-
rat, imperet. Bello Neruio cum hoſtis ex ĩprouiſo Romanos inuaſiſſet
tãta celeritate, ut penè uno tempore et ad ſyluas, et in flumine, etiã'q;
ĩ manibus Neruij uiderentur, eodē'q; impetu ad caſtra contendiſſent,
temporis'q; exiguitas, et ſucceſſus, atq; incurſus hoſtium Cæſarē impe
dirēt, quo minus uexillũ proponere, milites cohortari aciē inſtruere,
aut ſignũ dare poſſet milites bello exercitati, itē legati, q ſingulis legio
nibus ſinguli iuſſi aderãt, in tantis difficultatibus ſubſidio fuerunt. Si
bi eni quiſq; præſcripſit, ꝙ fieri oporteret. Fugati igitur, ac cæſi Ner-
uij nõ tã uirtute imperatoris ſunt, q̃ ꝙ miles, legati'q; id ſibi quiſq; im
perauit, quod à Cæſare imperandum fuerat, ſi tempus tuliſſet. Militē
neglegentem, & imperij contemptorem, tum alia multa, tum maxi-
me tria hæc faciunt, nimia ducis indulgentia, aſſidua à labore remiſ
ſio, defraudata'q; ſtipendia. Cui enim plus æquo indulgetur, is indul
gentiã in licentiã uertens, aſſueſcit rapere, uiolare, cũ hoſte colloqui,
prædari ex pacato, quē ubi cõtinere ĩperator uoluerit, aut cõtēnet im
periũ, aut ad hoſtem transfugiet, difficile eſt eni ut ad continentiã re

deat, q̃ assuetus diu sit impune fœda facere. Nicolaus Picininus de ni=
mia indulgentia, usus est milite adeo incontinẽte, ut q̃uis edicto id ca
ueret, & multos sæpe supplicio afficeret, nunq̃ mercatoribus ad castra
satis tutus esset accessus. Itaq; inopia necessariarũ rerũ semp̃ labora-
bat. At Scytarũ dux Tamorlanus, qui omniũ, quas aut legimus, aut
audiuimus, maximas ductauit copias, nulli rei, magis q̃ obediẽtiæ mi
litum studuisse dicitur. Itaq; exercitum eò usq; continentem habuit, ut
castra eius mercatorum plena semper essent, abũdarentq́; omnis ge=
neris rebus. De quo fertur fama, Gregarij cuiusdã militis, q uendenti
mulierculæ lac furatus esset, statim gladio p̃ pectus demisso, uiscera
aperire iussisse, et è uẽtriculo lac excuti nõdũ coctũ, usqueadeo passus
nihil est ĩpune fieri à militibus aduersus ea, quæ ipse præscripserat.
Et profecto maximas copias, et è cuiusq; modi hominũ genere cõposi=
tas, sola obedientia constare diu facit, idq́; est, quod Cyrum dicere so
litum accepimus, præcipuum militis munus esse, parere superioribus.
Vrbinatem Fridericum & uirum, & ducem prudentissimum ipsi
scimus, nulla à re alia militem magis probare solitum, quàm ab obe
dientia, id enim esse bene rem gerere milite pro imperio bene uti.
Remisso quoq; multa à laboribus, & nimis delicatum otium, corpo
ris, animiq́; uireis emolliunt, atq; imbecillas reddunt, quæ ubi per
desidiam consenuere, quis nisi inuitus capesset iussa? Tunc arma gra
uia uidentur, tunc labor, ac locus omnis asper, atq; arduus, ipseq́; ho
stis etiam non exspectatus formidolosus est. Quãmobrẽ assidue exer
cendi sunt, ut alacriores sint ad imperata facienda, laboresq́; susci=
piendos, atq; adeundis periculis magis prompti intentiq́;. Etenim cor=
pora ipsa exercitata ubi laborandum fuerit, minus deseruntur uiri-
bus, quin robur maius adest, & uires ipsæ integriores sunt, quæ
uel augeri exercitatione solent. Et quoniam mercenario nunc milite
utimur, ubi defraudatum se stipendio suo senserit, negariq́; mercedẽ
uiderit, tantas concipere animo turbatiões solet, ut licet sæpius iussus,
ante patiatur in ipsis castris insultare hostẽ, q̃ capere arma uelit. Sæ
pe ex hac indignatiõe, et ira exorta seditiõe duces ipsi fuere à suis mi
litibus aut in castris cæsi, aut in acie deserti. Quod ne accidat, ĩpera
torẽ prouidere oportet, atq; adniti, nullaq́; rõne cõmittet, ut militibus
locus aliqs ad inobedientiã relinquatur. Te ipsum dicere Roberte me
mini, malle elatum, atq; incontinentẽ militem transire ad hostem, q̃
in castris tuis morari. Intellegis enim nihil prius debere imperatorẽ
ab illo exigere, neq; utilius quicq̃ posse illũ imperatori præstare, q̃ ut
se gerat q̃ obedientissimum. Minutius declarare nobis potest, quanti

stare soleat, ubi minor dux superbia elatus, maiores q̃ quæ suæ sunt uindicare sibi parteis uoluerit. Is ob æquatam cum dictatore Fabio potestatem elatior factus, dũ ferox, insultansq; manum cum hoste conserit, uix è manibus Annibalis à dictatore subsidiũ ferente ereptus, atq; à cæde liberatus est. Quo circa prima, ac maxima, & militis, & legati uirtus, & qua quotidie opus sit, & in rebus quibusq; tera, ac mari gerendis, obedientia est. De qua dictum sit à nobis hactenus.

HAEC Habui de obedientia, quæ dicerem, fore autẽ arbitror, siqui fortassis cõmentarios hos lecturi sunt, quosdam, qui operã hanc nostram omnino accusandã censeant, quod differẽdis his nimis multi fuerimus, nec post Senecam, Ciceronem, Aristotelem oportuisse de his aliquo modo dici, quod eorũ libris planè contineantur, quæ ad bene uiuendũ utilia, ac necessaria uisa sunt, alia uero, ac nostratia hæc, aut omnino superuacua esse, aut parũ certe necessaria. Alios autẽ, qui quod pars ea prætermissa sit à nobis, quæ ad sacerdotes, ac põtifices pertineret, quasi magis incohauerimus rẽ, q̃ absoluerimus, dũ requirunt hæc, despiciant cætera. Quibus ego ne dicta eorum contemnere omnino uidear, quãquam uidentur iure à me debere contemni, hoc solum responsum esse uelim, ut si nostris in commentarijs, aut pauca quædã fuerint, aut fortasse multa, aut prorsus omnia, quæ parũ ipsis placeant, legendis ijs abstineant, illis relinquẽtes legenda, quorũ neq; aures, neq; iudicium tam sit superbũ. Hoc enim modo et ipsi se legendi tædio, et nos accusatione quotidiana liberabunt. Nam quod ad Aristotelem, Senecam, Ciceronem attinet, ne illos quidẽ dũ uiuerent, crediderim arrogantia fuisse tanta, ut nollent ab alijs post se scribi, cum uideamus non uno in loco cohortari ad scribendum alios, quædãq; ita locutos esse, ut quærẽda ea melius posteris reliquisse uideantur. Quæ uero ad sacerdotes pertinent, ac pontifices, ea nũc consilio prætermittimus, in aliud magis quietum tempus differentes, quod si parũ detur, quod Virgilius noster in agricultura sua facit, alijs memoranda post nos relinquimus.

FINIS.

IO. IOVIANI

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD ALPHONSVM ARAGONEM DVCEM CALABRIAE LIBER PRIOR DE FORTITVDINE BELLICA ET HEROICA.

VICTORI TIBI DVX Alphonse, ac libertatis patriæ propugnatori debetur à ciuibus tuis corona ea, quam è quercu statuere maiores illi omnium bonarũ artium, ac præcipue fortitudinis muneratores non minus liberales, quàm æstimatores prudentes.

Repulisti enim à ceruicibus eorum, immo à nostris, immo Italiæ totius grauissimũ iugum seruitutis, quod Christiano etiã nomini imminebat, Tera, mariq; grassantibus Turcis, occupata repentino adortu Salentinorum parte, nullo obsistente exercitu, ac finitimis populis tantum de fuga cogitantibus. In tanta itaq; ciuium consternatione, periculorumq; atrocitate, quod unicum uisum est publicæ salutis remedium, euocatus ipse à patre ex Hetruria, ubi biẽnio pluribus expugnatis oppidis, fugatoq; aduersariorũ exercitu, multa rei militaris præclara facinora edideras, quamcelerrime trepidanti patriæ subuenisti, Achmeti uiolentos impetus fortissime repressisti, Traijcientem eum in Macedoniam maioris exercitus traducendi gratia, nauali prælio superasti, post circunsessis intra Hydruntem hostibus, quinto mense ad deditionem coactis, confecisti bellum, maxima tua cum gloria, longe tamen maiori tuorum ciuium beneficio. Ac tametsi omnium opinione citius, non tamen serius q̃ uirtus, atq; industria exigebat tua. Huius autem obsidionis quanta fuerit atrocitas declarat, quod è ueteranis tuis paucissimi reliqui sunt cum penè fortissimus quisq; tum miles, tum centurio, aut tribunus, pro aggere, aut fossis, aut conserendis manibus ceciderit, cum tamen è reliquo exercitu ad tria millia, gladio, aut tormentis muralibus cæsa fuerint, ex aduersarijs uero cum obsidionis initio supra quinq; millia delectorum militum in oppido essent, non multo amplius duobus millibus deditionis tempore numerati fuerint. Cum interim bis ipse erumpente hoste prælio dimicaueris, neq; ante inter confertissimos pugnare destiteris, quàm magna illorum strage edita, in fossas, aut in mare præcipites egeris. Iure igitur à ciuibus tuis debentur tibi omnia, quæ fortissimo Imperatori, quæ publicæ libertatis defensori debe-

ri, tum ueteri, tum nouo instituto intelleguntur. Me autem in publica hac lætitia, tametsi idem quod cæteros gaudium tenet, ac gratificandi tibi studium, tamen ut iuuentutis tuæ institutorem, ut præconem rerum à te gestarum, licet hac in parte, non satis parem oneri me intellegam, decet præter cæteros aliquid & me, & te dignum agere, quod & gratitudinem testetur meam, et magnitudini conueniat tuæ. De fortitudine igitur, in qua ipse enitescis cum excellentia principum cæterorum, libros nuper à me scriptos tibi offero, ac nomini tuo dedico, & quidem ut debitos. Quid enim fortissimo Imperatori aut conuenientius offertur, aut magis debetur, quàm quod de fortitudine? Qui quidem ipsi libri, erunt apud te gratitudinis, atq; obseruantiæ monimentum meæ, Tu autem & libris, & authori perpetuo ornamento.

I PSAM AVTEM Fortitudinem, priscis illis temporibus tanto in pretio fuisse constat, ut in quibus maior uideretur, eos & Heroes uocarent, & Semideos ueneraretur. Hinc Hercules cœlum meruit, hinc quæcunq; in orbe terarum præclara essent, atq; admirabilia, ad Herculem à posteris relata sunt. Et Romani licet uirtutum essent omnium mirifice studiosi, tamen ut qui iudicarent hominis excellentiam in fortitudine maxime esse positam, uirtutem eam agnominarunt. Quod Aeneæ quoq; ad Ascanium uerba declarant apud Virgiliũ.

Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem.

Quo magis contemnendi uidentur, qui ad uoluptatem omnia referunt, nõ illam, quidem, qua nec ipsa uacua est fortitudo, uerum quæ animi uires hebetet, hominemq; ipsum de suo statu deijciat. Nihil uero tam esse aduersum fortitudini, quàm est uoluptas ista blanda, & umbratilis, illud plane docet, quod fortes in ijs exercentur, quæ maxime laboriosa, & molesta sunt, nihil autem difficile, quod non idem laboriosum. Nec ulli sunt absq; molestia labores, quos uirtus hæc maxime sequitur, quanquam uoluntas interdum, ipsa adeo est agendi cupida, & studiosa, ut ne ullam quidẽ sentiri inter agendum molestiam patiatur. Ad hanc igitur qui sese instituet, is Horatiũ audiat præcipientem, sub dio, ac trepidis in rebus uitam agendam. Quod consilium uel cum primis nos admonet despiciendæ uoluptatis eius, quæ indigna sit uiro. Nãq; ut homo ex animo exsistit et corpore, sic duplex est uoluptas. Atq; altera quidem sensuum ministra, & quasi titillatrix quædam, & illecebra, altera uero actionum earum tum comes, tum socia, in quibus animus imperat, eaq; à cla-

ris, atq; honestis laboribus ducit ortum. Et per illam quidẽ ubi modus abest, ubi ratio nulla moderatur, etiam infra bestias deijcimur. Hac uero, quam quisq; nostrum habet animum recte informatum, quoq; plura gessit, ac maiora, tanto magis fruitur, & tanquam exsultat in rerum recordatione præteritarum. Ac prioris quidem species apparet initio blanda. Qualis tamen sit in exitu, Sirenum cantus Homero authore docent. Posterioris uero huius origo à laboribus, molestiis, erumnis, difficilibusq; inceptis manat. Tamen si laboriosa, & molesta, quam ob causam suscipiantur, & quem afferre fructum consuerint, intueri uolumus, et considerare, facile appareat finis ipse periucundus, ac plenus etiam incredibilis uoluptatis. Quam multas curas, grauissimasq; cogitationes poëtæ suscipiunt ob unam famã, cui tantopere seruiunt. Atqui aut nihil est iucundius gloria, aut ea esse sine multa etiam uoluptate nequit. In equestribus ludis quæ concursores patiantur, uidere licet quàm sint grauia. Est enim decernendum sub grauissimis armis, sub sole, in puluere sensim immittendus equus, hasta in ipso interim cursu dirigenda, percutiendus aduersarius, ictusq; grauissimi excipiendi, etiam cum uitæ periculo. Hæc dũ geruntur, uoluptas nulla sentitur, quæ tamen quanta exsistit, ubi inter gratulantium uoces, cum spectantis populi plausu uictorem præco pronuntiat, ornatumq; uictoriæ præmijs domũ turba reducit? Itaq; ut uoluptas illa eneruata, et languida, cuius nutrix est culcitra, quàm longissime à fortitudine abest, sic eam fortitudo uoluptatem assequitur, quæ recte, honesteq; factorum est comes, ut dixi, ut non modo sit eius admirabilis opera, uerum etiam iucunda possessio.

Labores non esse improbandos.

i AM VERO Labores improbãdi non sunt, quando ad agendum nascimur, nec nisi agendo uirtutem assequi, atq; felicitatem possumus. Nulla etiam de minoribus uel artibus, uel disciplinis, absq; labore, aut comperari, aut retineri diutius comperata sine exercitatione etiam multa potest. Exsistit enim ab exercitatione habitus, quem ut non facile quis ualet exsuere, sic perdifficile est inducere. Siquidem compescendæ sunt naturales appetitiones, consuescendumq; in multis, quibus ipsa initio natura quodammodo reluctatur, ac repugnat. Et Cicero determinat laborem, functionem esse quandam uel animi, uel corporis grauioris operis uel muneris. Igi-

tur si exercitatione, & quidem diuturna comperatur habitus, qui nisi cum difficultate etiam magna non perficiatur. Si durum est, & asperum naturæ repugnare, & quæ perfecta sunt opera, ea si elaborata dicimus. Si deniq; uirtus, per quam ad humanam felicitatem proxime accedimus, absq; grauiori corporis, animiq; comperari nequit opere, & munere: Quis dubitet, non modo improbandos labores non esse, uerum etiam perquam utiles, ac necessarios? Age si quispiam in tanto constituatur otio mentis, atq; corporis, ut nihil omnino cogitare habeat, ac ne plantula quidem ei mouenda sit pedis, quid erit homine hoc miserius? qui ne hominis quidem nomine censeatur appellandus? hinc nimirum est, quod pleniore illos uoce laudamus, qui maiori in periculo uersati, uictoriam sibi, ac gloriam per uirtutem peperere, quàm quibus aut fortuna ipsa, aut hostis ignauia illam obiecerit. Cariora quoq; sunt illa, pro quibus adipiscendis grauiora passi sumus, quàm quæ casus obtulerit, aut fors alia. Quæ res efficiunt, labores ipsos tum maxime utiles, ac necessarios, sine quibus uirtutes comperari nequeant, tum uehementer gratos, ac iucundos ubi finem pertigerint, qui quidem ipse sit plenus honestissimæ uoluptatis.

Affectiones non frustra homini à natura esse datas.

SED NEC QVAS Nunc passiones uocamus, Cicero animi morbos, atq; affectiones, alij affectus uocãt, frustra sunt homini à natura datæ, in quibus regendis, sedandisq; ratio primo uersetur. Quippe cum sint hæc prima quædam uirtutum erudimenta. Moueri enim necesse est, atq; affici. nec nisi prius quis afficiatur, accedat ad agendum. Mouẽt igitur affectus, & excitant, atq; ubi uehementiores fuerint, etiã impellunt. Hinc agendi studium, atq; cupiditas nunc remissior, nunc uehementior, sedatior aliquando. Ac prima quidem titillatio ferè est à sensibus, per quos tanquam per fenestras aliquas accessus est ad animum, qui ratione adhibita motus eos sedat, moderatur, regit, & q̃dam quasi Dux à uia, rectoq; declinare non patitur. Quo circa cum sit homini à natura tributum, ut se uitam, corpusq;, quod Cicero ait, tueatur, declinetq; ea, quæ uideantur nocitura, timere eum necesse est, & quæ nocitura appareant, recusare, profutura uero appetere, ac sequi. Hinc exsistit cum timore, ac mali fuga metus. Item appetitio cũ spe boni, et fiducia. Ex eodem quoq; fonte manat amor, atq; odium. Amantur enim utilia, & iucunda, molesta uero, et incommoda odio

habentur. De quibus nunc non est uberius disserendi locus. Cum igitur hæc se sic habeant, natiq; ad agendum simus, & ut agamus, naturales illi motus, atq; impulsus nos excitent, è quibus aut passiones exsistunt, aut ijdẽ ipsi magis sunt passiones, quis non uideat eas, nec temere, nec frustra esse homini à natura tributas? à quibus, ut dictum est, & excitemur ad agendum, & in ijs sedandis, regendisq; quales futuri simus, maxime cernamur. Et uero quis esset circunspectioni locus, si nihil omnino timeretur? Quis placabilitati misericordiæq;, si dolendi nobis affectum natura eripuisset? Quis æmulationi, si nullus esset ad laudem instinctus ac gloriã? Et ut longius etiam progrediamur, Quid Decios? Quid Paulum ad mortem etiam uoluntariam ꝑpulit, nisi tãta illa patriæ, libertatisq; homini ingenita charitas? Sed quid duos, aut treis istos admiramur tantopere? quando integros quoq; exercitus ob summum hoc patriæ, libertatisq; studium occidione occisos intellegamus? Audiamusq; eximium Poëtam dicentem,

Aeneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

Quàm multa, grauiaq; parentes perpetiuntur in liberis tollendis? Quorum suscipiendorum naturalem nobis inesse cupiditatem, testes sunt belluæ, quæ tutandos ob catulos etiã in uenabula ferantur. Quidam ultimas terras adiere ob solam sciendi cupiditatem. Nec uero ulli exsisterent clari, nobilitatiq; labores, nulla eximia opera, nisi naturalis q̃dã impulsus excitaret ad honorẽ, ad decus, ad gloriã. Quid? quod alij, dum indigne ferunt seruire patriam, Tyrannos aut pepulere, aut suis etiam manibus confecere. Ex quibus plane constat affectus hos, non modo non frustra, uerum etiam necessario à natura tributos.

Quas affectiones fortitudo moderetur.

QVANDO PLANE Docuimus improbandos labores non esse, sine quibus nec uirtutes comperari, nec retineri comperatæ diutius possint, ostendimusq; affectus ipsos non frustra homini à natura esse datos, Reliquum est, ut uideamus qui sint affectus illi, quibus regendis, sedandisq; fortitudo præposita est. Principio ut quæ bona sunt, natura appetimus, sic à malis natura declinamus, quod paulò est ante dictum. Declinamus autem mala, quia uideantur nocitura. Quæ uero nocitura apparent, metuuntur. Naturaliter igitur & mala & nocitura omnia, quæ quod nocendi uim habeant, mala uidentur, metum incutiunt. Et sane naturalem esse malorum metum,

manifestissime omnium infantuli docent, quos nulla adhuc rerum experientia, aut usus mouet, sed natura ipsa optima magistra, Hi enim etiam dormientes, & terrentur, & expallescunt, & è somno metu excitantur. Cõtra uero bona quæ apparent, blandiuntur, alliciuntq; ad sese. Itaq; uti adipiscendis bonis exsistit animi exhortatio quædam, naturalisq; confirmatio, quæ fidutiam gignit rerum aggrediendarum, Sic ex malorum uel opinione, uel scientia, terror, & fractio illa, ex qua rerum exsistit agendarum fuga. Quocirca cum duo hi affectus, alter ab agendo deterreat, ad agendũ alter inuitet, metus scilicet, atq; fidutia, utriusq; nimirum fortitudo moderatrix erit. Nam metus cum recessum quendam animi, & tanquam fugam habeat, sedabit illum fortitudo, & mirum immodum confirmabit. Quin etiam fidutiæ legem statuet, quæ ubi plus æquo est animosior, à recto, rationeq; recedat oportet. Recte igitur Cicero, qui sit fortis, eũdem ait esse fidentem. Qui autem fidens, eũ non extimescere. Quod si ut confido, sic confidentia laudis esset, nequaquam recentes quidam scriptores, dum confidentiam recusant, audatiam dixissent. Quæ tũ est, cum quis audet, non cum afficitur. Etenim fiducia effectus est, audacia uitium. Et ob audaciam quidem uituperamur, cum ex fiducia nec laus manet, nec uituperatio.

Confidentia mala

Fortitudinem in mediocritate esse positam.

ST IGITVR VIRTVTIS Huius proprium affectus hos moderari, ac sub ratione continere, quo medium retinere possit, à quo mediocritas dicta est. Etenim fortitudo cum sit uirtus, mediocritas sit quædam oportet. Medij autem ea uis, ac natura est ut in neutram extremorũ partem propendat. Ab utroq; enim recedit, quando utrunq; inæquabile est. Quippe cum alteri ex superantia, alteri defectus insit. Quod cum sit, inter illa duo extrema, quæ sunt parum, ac nimis, Virtus necesse est constituatur, eritq; uirtus, ut Horatius definit, medium uitiorum, Atq; utrinq; reductum. Cum autem in ipsa uitia hinc deficiendo, illinc exsuperando præcipitemur, efficitur, ut medium illud aut perinde deseramus, ac si contemptui ipsum habeamus, ita quidem de uia digressi, ut modum, mensuramq; sponte excesserimus, aut ab eo sic recedamus, ut non modo recusare, uerum etiam reformidare ipsum medium uideamur. Ex quo fit ut nec rerum, nec mẽsuræ ratione habita, nunc exsuperante animo, nunc rursus deficiẽte,

proprium uirtutis munus implere nequeamus. Nec uero audiēdi sunt qui aduersus hæc disserere cœperunt, minuti philosophi, aut potius nullo modo philosophi, qui mihi illud sanè uelle suadere uidentur, ut de hominum actionibus tollatur mensura, ea uidelicet, sine qua ne artifices quidem consumatum facere aliquid ualeant. Est enim artifi cis, & optimi cuiusq; maxime, metiri quæ facit, atq; ad mensuram redigere, ac numeros, quo singulæ sibi inter se partes conueniant, q̄bus ipse dimetiendis, æquandisq́; intentus, ut qui à suis numeris, re ctaq; mensura nulla è parte recedat, opus suum tale efficit. Cui, q̄d de opere dici maxime consumato solet, nihil addi queat, nihil eximi, quod præstare, atq; efficere proprium est mensuræ. Quocirca quan do omnis affabrefactio ex eo est, ut nec magis quid aut productum habeat, aut subductum, quàm ratio, quàm natura, quàm res deniq; ipsa, quæ fit, postulat, nimirum laus omnis tum artificis, tum operis est à medio, cuius, ut dixi, iudex est mensura. Docent hoc pictores in primis, & cælatores, & qui uocantur Architecti, rerum quoq; scri ptores, ac Poëtæ duo ante omnia fugiunt, alterum nequid insolens, ac turgidum in dicendo habeant: Alterum nequid humile, & abie ctum; quæ cum fugiant, quodnam magis sequētur, quàm quod inter duo hæc positum, & constitutum est? Id certe nisi medium esse neq̄t, quando ab utroq; extremo quæ medij natura est recedit. Ergo etiam poëtæ uirtus, ac laus ex hac medij obseruatione gignitur. Quid? quod physicis quoq; placet, ab uno ad alterum extremum, nisi p̄ me dium, aditum esse nullum. Sed linquamus hac in parte physicos, ne aliunde magis, quàm à re ipsa sumere argumenta uideamur. Nec poëtica profecto, nec ars ulla tam est exacta, tamq́; operi examus sim faciendo intenta, quàm est uirtus, quæ tanto magis mensuram exi git, quod in faciendis operibus facilius est inuenire medium, quàm in ipsis aut actionibus, aut affectibus. An quæso, ut Aristotelis uerbis utar, facile est decernere quonam modo irascendum sit, atq; aduer sum quos, & quanto etiam tempore? Siquidem medium ipsum ad eū etiam, qui irascitur, referendum est. Quæ res tantam aliquando ef ficit inueniendi medij difficultatem, ut aliquantulum in ipsa ira ef feruescere, nunc medium sit, quod alio in tempore, & aliam ob causam, & in homine alio fuerat uitiosum. Ac de medio qui dem nunc hactenus, de quo aliàs plura, atque appositiora. Si quidem locum hunc, in quo uirtutum ipsarum fundamenta collo cata sunt, & à quo actiones nostræ regulam accipiunt, & uer bis, & rationibus locupletare est in animo, ut intellegant o-

mnes mediocritatem esse ubique sequendam. Quoniam autem, ut docuimus, fortitudo mediocritas quædam est, eaque perspicitur in metu sedando, fiduciaq; regenda, ipse nos locus admonet pauca quædam de metu, deq; fiducia dicere. Nam si fortitudo mediocritas est, timere quidem & fortem oportet. Ad hæc quædam sunt suapte natura adeo terribilia, ut qui ea nõ timuerit, magis sine ullo esse sensu, aut prorsus rationis, suiq; oblitus uideri, quàm fortis debeat: Nõnulla etiam, quæ metuere honestum sit. De metu igitur prius, ut non solum intellegamus, timendum'ne sit forti, sed cum iure metuenda quædam sint sciamus, timendis illis adesse modum, ac legem oportere. Dein de fiducia disseremus.

Quæ sunt illa, quæ honeste, rationabiliterq; timeantur.

i GITVR SI Natura custos est, & conseruatrix sui, recte profecto, ac naturaliter quæcunque nocendi uim habeant, metuũtur. Atq; ut illa, quæ ad salutem, incolumitatemq; naturæ ipsius adiumentum habent, bona existimantur, sic quæ offutura uidentur, mala. Quæcunq; itaq; mali speciẽ præseferunt, ea naturali nos afficiunt metu. Quamobrẽ, mala omnia naturaliter metuuntur, quæ quanquam fortasse mala per se non sunt, ipsa tamen opinione formidantur. Non omnium tamen, quæ in malis numerantur, una est ratio. Differunt enim inter se, quod alia honestum est metuere, quæ ni metuantur, turpe, ac flagitiosum ducimus. Quid enim improbius, quàm infamiam non uereri? quam qui non uereatur hic (quod longissime discessit à fortitudine) impudentissimus sit, necesse est. Nihil autem tam esse potest alienum ab eo uiro, quem iure omnes non solum probant, uerum etiam admirantur, Cuius etiam proprium est agendis honestis decus assequi, quàm impudentia, atq; improbitas, quæ labes totius est honestatis. Quotus etiam pater est, qui filio grauius ægrotanti aut manum in acie cum hoste conferenti, non timeat etiam quam grauissime? Quod quidem humani, atq; amantis patris est, non imbecilli, & fracti hominis. Quis rogo nisi impurissimus, idemq; abiectissimus, filiarum, atq; uxoris pudicitiã securus neglexerit? de qua probatissimus quisq; maxime solet esse solicitus. Inuenti tamen sunt qui paupertatem ne curauerint quidem, qui in exsilio etiam sponte uixerint. Hos nescio an in hoc fortitudinis genere collocem, quando nec timidos recte fortasse dixerim, qui proscriptiones, inopiam, orbitatem uereantur, quiq; tũ

inuidiam populi, tum principum impotentiam fugiunt. Ferunt tamen & hi suam laudem. Neq; enim facile est aut patriæ desyderiũ ferre patienter, aut in tenui re æquo animo uiuere. De quibus plura post, & suo loco. Diximus de metu, dicamus de fiducia.

De fiducia.

t AM VERO Discrepat à timendo confidere, q̃ assequendi boni studium à mali fuga, & quanquam alter alteri contrarius, uterq; tamen naturalis est affectus. Nãq; ut mala naturaliter metuimus, et quia metuimus, declinamus, sic bona naturaliter expetimus, excitamurq; ag grediendis illis, quibus ea nos assecuturos confidimus. Atq; ut quædam honestum est metuere, quæ qui non metuat, recte dici fortis nequeat, sic rursus in quibusdam confidere inhonestum, quales nequã serui introducuntur in comœdijs, quos etiam gratulãtes scapulis suis uideas apud Plautum. Huic nomen est confidentia, turpissimarum actionum dux, & quasi magistra. Quare nec metus semper turpis, nec ubiq; confidere est honestum.

Confidentia

Quæ sint illa, in quibus fortitudo uersetur.

q VIBVS Explicatis restat quærere, cuiusmodi sint illa, in quibus fortitudo ipsa uersetur. Nam licet cuncta metuantur, quæ nocendi uim habeant, ut dictum est, non tamen in ijs omnibus, de quo nunc agimus, uir fortis conspicatur. An fortasse, ut excellẽtis est medici, grauissimos morbos, letalesq; plagas sanare, sic etiam fortis est uiri in ijs uersari, seq; inuictum præstare, quammaxime omnium formidabilia uideantur? Siquidem fortitudinis materia, et quidã quasi campus, sunt difficillima quæq; pericula, atq; illa maxime, quæ mortem uideantur allatura, qua nihil sit omnino terribilius. Quippe cum hominẽ ipsum funditus tollere, atq; extinguere existimetur, quanquam sunt qui aliter de morte sentiunt, ut nuper Franciscus Sarciola Aragoniæ præfectus. Is enim ex diutino morbo animam cum iam ageret, atq; ex ijs, qui astabant Theologis officij causa, quidã mortem dixisset, omniũ maxime terribilem esse, quasi spiritu resumpto cunctis obstupescentibus succlamasse in eũ dicitur. Potuit in homine bene instituto, qui cœlestem sibi, ac sempiternam uitam polliceretur, spes æterni boni, mortis metum adimere. Sed cum homo ex anima sit, & corpore, si naturam ipsam sequi, nec obliuisci homines nos esse uoluerimus, nihil pro

fecto uideatur morte formidolosius, quæ corporis fabricam, quæ sensus omnes, actiones deniq; ipsas penitus tollat, et in nihilum redigat. Quæ ratio cum sit quammaxime naturalis, necesse est sit etiã quã maxime uera. Quid quod alius dum amoris impotentiam ferre nequit, laqueo guttur frangit? alius dum ægerrime fert seruitutem, ferrum adigit in præcordia, ut illius onus morte statim excutiat? Quæ res efficit, ut morte aliquid terribilius uideatur, qua de re haud multo post uberius. Quoniã autem generosissimus quisq; laudis est, decorisq; appetentissimus, quibus ut potiatur, nihil non paratus sit, et ferre, & perpeti, ex hoc naturæ, atq; animi motu, & quodammodo impetu, ad laudem, ac decus, ut Cicero ait, illa pericula adeũtur in prælijs. Non sentiunt uiri fortes in acie uulnera, uel sentiunt, sed mori malunt, quàm tantummodo de dignitatis gradu dimoueri. Nec uero quocunq; in periculo, sed ubi aut ex uictoria, aut ex morte decus illud senserint se adepturos. Siquidem ignauissimi etiam nautæ, tamẽ ferendis procellis assueti, non perturbantur marinis tempestatibus. quorum quidem mors, an quicquam potest habere præclarum? Plebeij quoq; homines, & in umbra educati, corporis cruciatus perpetiũtur. Iidem gladiorum uibratus, & hosticum tubæ sonum ferre nequeant. Quocirca fortis uir, quiq; planè dicendus est uir, ex morte, quæ quidem futura sit multo pulcherrima, decus illud adipisci contendet, cuius est quammaxime studiosus, quo ut potiatur, difficillima quæq; pericula sponte adibit, in qbus peruincendis, aut si hoc minus contigerit, in oppetenda morte, laudemq; & decus collocatum intellegit. Cum rescindi pontem iubebat Horatius, an non intellegebat qđ ageret? Charitas tamen patriæ, ut idem ait Cicero, ac nobilitas mortis, & gloria, eripiebat omnem animo uulnerum, atq; aquarum metum. Idem licet de Epaminũda dicere, quamuis alter liberam relinquere patriã contenderet, alter quã ipse in libertatem uindicasset, imperantem relinqueret. At Hercules cum uirus illud intra uenas fureret, rabieq; anhela artus squalentes ureret, exclamat, dolet. Cœlum implet lamentationibus.

» O' misera uirtus, summus Alcidæ dies,
» Nullum malum prosternit, impendo male
» In nulla uitam facta. pro` mundi arbiter,
» Superiq; quondam dexteræ testes meæ,
» Pro` cuncta tellus, Herculis uestri placet,
» Mortem perire? dirus o' nobis pudor,
» O' turpe fatum. Fœmina herculeæ necis

» Author feretur? — Vides ut se miserum iudicet, quod non præclaro aliquo facinore mortem suam faciat insignem?
» Vtinam meo cruore satiasset suos
» Nemeæa pestis rictus, aut centum anguibus
» Vallatus Hydram tabe pauissem mea.
» Vtinam fuissem præda Centauris datus.
» Aut inter umbras uictus æterno miser
» Saxo sederem, spolia cum traxi ultima,
» Fato stupente. tunc ab inferna styge
» Lucem recepi, Ditis euici minas.
» Vbiq; me mors fugit, ut leto inclyto
» Fortis carerem. — Intellegebat qualis mors fortem deceret. Itaq; quid ad extremum subdit?
» — Perdidi mortem Hei mihi.
» Toties honestam. titulus extremus quis est?

Et quoniam ne in ipsa quidem morte succumbendum esset Herculi, quærit quomodo emori honeste queat. Itaq; ait.
» Nunc mors legatur clara, memoranda, inclyta,
» Me digna prorsus, nobilem hunc faciam diem.
» Cædatur omnis sylua. — At ubi sese in ardentem illam pyram ingessit, quo uultu mortem sustulit? quo nemo uitam, & inter uapores positus, & flammæ minas, immotus, inconcussus, in neutrũ latus correpta ferens membra, hortatur, monet, gerit aliquid, ardens omnibus fortem addit animum ministris. Vrere ardentem putes. Iacuit igitur sui securus, & cœlum intuens, quæsiuit oculis arce an ex aliqua pater respiceret. Quibus uero laudibus, quantaq; gloria fortium uirorum obitus sint prosequendi, illud plane` docet, quod Hominum consensu Hercules in deorum est numero habitus. Et uero florentissimæ urbes, populiq; bene instituti, Reges item, ijs, q in bello, in maximis reipublicæ periculis mortem oppetissent, statuas ponere, honores quammaximos habere, etiam inter Diuos referre consueuerunt. A` quibus ne Christiani quidem dissentiunt, qui diuinos honores Martyribus tribuunt, licet illorum mortes ad Deũ potius, q̃ ad uirtutem, decusq; referantur. Quo`circa cum pulcherrimum sit in bello mori, atq; in maximis belli periculis, qui intrepidum se, atq; inuictum in ijs gesserit, is est, quem uiuum suspicimus, in quem mortuum honores conferimus, ac titulos, pulchrumq; mori succurrit in armis, ait Poëta excellentissimus, intellegit qualis uirum fortem mors deceat. Quid illa Mezentij uerba, quàm sunt uiro forti digna, q̃

etiam propria, si dolor aliquanto fuisset sedatior?

» –Aut hodie mecum spolia illa cruenta,
» Et caput Aeneæ referes, Lausiq; dolorum,
» Vltor eris mecum, aut aperit si nulla uiam uis,
» Occumbes pariter, neq; enim fortissime credo,
» Iussa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.

Vides qua fiducia magnum, ac se dignum aggredi facinus paret? quo etiam animo decernat mori? si fortuna parum fauisset incepto. Honestam mortem turpi uitæ anteponit. Senior ille Phorbas apud Statium, uide quo adhortationis, ac laudis genere prosequatur in bellum proficiscentes.

» Ite alacres, uestri nunquam morirentur honores,
» Bellaq; perpetuo memorabunt carmine musæ.

Et uiuis illis, & mortuis honores proponit etiam sempiternos. At Aeneas grauissima illa tempestate uexatus ingemit,

» –Et duplices tendens ad sydera palmas,
» Talia uoce refert. o' terq; quaterq; beati,
» Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
» Contigit oppetere.–

Quorsum hæc finguntur à Poëta in uiri, Ducisq; fortissimi persona, ut quem hostiles tot congressus nunquã fregissent, præruptus ille aquæ mons tam humiliter, atq; infracte, de sua, suorumq; coëgerit salute desperare, an quod id moriendi genus nullum esset decus allaturum? nec uirtuti suæ ullum sentiret locũ inter transtra, remosq; relictũ? Itaq; non fert grauato animo mori, sed quod sic moriundũ esset. Idem dico de Hippomedonte. Is enim diu inter aquas colluctatus, cum tandẽ à torrente raperetur, exclamat, queritur, deos incusat, quod tam indigne secum ageretur.

» –Fluuio'ne (pudet) Mars inclyte merges
» Hanc animam? segnesq; lacus & stagna subibo,
» Ceu pecoris custos subiti torrentis iniquis
» Interceptus aquis. Adeo'ne occumbere ferro
Non merui?

Peracta est pars hæc poëtarũ magis authoritate, atq; sententijs, q̃ philosophorũ. Nõ q̃d nõ etiã philosophi uirtutẽ hanc mirũ immodũ laudent, sed q̃d poëtæ magis, magisq; admirentur illã, et pleniori quodã ore efferant. Quippe q̃ dũ non modo inuictã, sed ne superabilẽ quidem fortitudinẽ uolunt ostendere, Amphiaraũ illũ uiuũ armatum, è curru pugnantẽ, hiatu repẽte facto, ad inferos ruere magis, q̃ descẽdere faciũt, q̃ ne tũ qdẽ aut arma manu, aut frena remittit, uerũ sicut

erat, rectos

erat, rectos defert in tartara currus, ut magnificæ, ac luculenter de eo Statius canit. Et uiri tamen fortes in mari deprehensi à tempestatibus, non ita erunt consternati, ut humiles, dimissiq; appareant. Tolerabunt itaq; procellas, non eo tamen, quo Nautæ animo, qui cum ferendis tempestatibus sint assueti, & bene sperant se inuicem confirmantes, & suum interim munus exsequuntur. Cum illi ut parum assueti, atq; inexperti de salute subinde desperent, ac tale mortis genus, quammolestissime ferunt, cum etiam intellegant nullam in ijs se dignam nauare operam posse. At quo animo fuit Aiax in tanta illa tempestate, nautarum'q; consternatione, ne minimum quidem à se ipso recessit. Quo'circa operæpretium est nosse quæ de illo Euribates refert.

» *Nil ratio & usus audet in magnis malis,*
» *Tenet horror artus, omnis officio stupet*
» *Nauita relicto. remus effugit manus.*
» *In uota miseros ultimus cogit timor.*
» *Ecce alia clades fulmine irati Iouis,*
» *Armata Pallas, quicquid aut hasta minax,*
» *Aut ægide, aut furore gorgoneo potest,*
» *Aut igne patris tentat. & cœlo nouæ*
» *Spirant procellæ. Solus inuictus malis*
» *Luctatur Aiax. uela cogentem hunc sua,*
» *Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.*
» *Libratur alte fulmen. hoc toto impetu*
» *Tortum reducta Pallas excussit manu,*
» *Imitata patrem. transit Aiacem'& ratem,*
» *Ratisq; partem secum & Aiacem tulit.*
» *Nil ille motus. Ardua ut cautes salo*
» *Ambustus exstat, dirimit insanum mare,*
» *Fluctusq; rumpit pectore, & nauem manu*
» *Complexus in se traxit, & cæco mari*
» *Collucet Aiax. omne resplendet fretum,*
» *Tandem occupata rupe furibunde intonat.*
» *Superasse nunc se pelagus aut igneis iuuat.*
» *Vicisse cœlum, Palladem, fulmen, mare.*

Itaq; non aliter quidem uinci potuit, quàm ubi rupem tridente subruit pulsam pater Neptunus, imis exserens undis caput, Soluit'q; montem, quē cadens secum tulit, Terra'q; & igne uictus & pelago iacet. Cæsar optasse dicitur, ut repētina aliqua morte decumberet, In

morbis enim nolebat iacere, at hæc iudicabat in lecto, iter fomẽta mori, habere nihil posse, quod esset forti uiro dignum. Iacobus Caldora mira cum animi uoluptate præseferebat, quod in pugna casurus esset, sic enim à mathematico prædictum acceperat. Is cum aliquando graui esset morbo correptus, sentiretq; medicos de salute desperantes, Atqui bono uos, inquit, animo esse uolo, in bello enim atq; in acie armato mihi, non in lecto sub culcitra est cadendum. quod postea contigit, nam dum collem Samnij castellum oppugnat, dum ex quo milites cohortatur, animam repente extulit, nullo doloris signo dato, præter quàm quod dum à satellitibus equo expirabundus aufertur, atq; in tugurium sub tecto collocatur nutu, labris'q; significauit, uelle se in tabernaculo uita fungi, indignum Imperatore ducens sub tugurio emori. Delatus itaq; in tabernaculum statim & acquieuit & diem obijt. Quo'circa fortis uir in rebus omnibus, in quibus munere fungi suo potest, officium'q; cum dignitate facere, & in quibus mori pulchrũ fuerit, inuictum se se atq; inpauidum præstabit, atq; in ijs maxime, quæ in acie, difficillimis'q; belli periculis pugnãdo contingunt, quæ'q; mortem etiam nobilissimam repente allatura uideantur. Ac de ea morte, in qua uiri fortis magnitudo elucescit, Hæc nũc dixisse sufficiat.

Quæ sunt illa, quæ terribilia dicuntur.

DIXIMVS DE METV, De fiducia, de morte. Videamus, si placet, cuiusmodi sint illa, quæ terribilia dicuntur, quæ bifariam partitur Aristoteles. Alia enim esse uult, quæ omnino captum hominis exsuperẽt, quippe quibus nec uires nostræ pares sint, nec ullus humanæ prudentiæ, rationi'q; uel tolerandis illis, uel peruincendis locus relinquatur. Quæ quidem timere nec degenerantis sit animi, cum nihil inde laudis possit decoris'q; comperari, si minus formidentur, nec turpitudinis, infamiæ'q; si, ut par est, timeantur, quando cuiq; sanæ mentis æque sunt extimescenda. Atq; ea quidem metuere sani potius quàm imbecilli est animi. Non semel Padus solito plenior uicina ripis loca, gregibus accolis'q; spoliauit. Aliquando & à torrentibus castella sunt hausta. Si Platoni credimus, oceanus fineis olim suos trãsgressus, Hispaniam, Italiã, Græciam, præterquam qui essent montes quam eminentissimi, aquarum suarũ mole inuoluit, hausit'q;. Quæ res quoniam est Poëtarum celebrata carminibus, apud nonnullos fabulæ magis, quàm historiæ fidem habet. An non hæc tibi uideantur

iure etiam fortissimos quosq; debere concutere? Quis Aetnae incendia, & eructantis illius uerticis liquefactos igne lapides non expaueat? Paucis ante annis cum tera mouisset, quot oppida, urbesq; non quassauit modo, uerum etiam funditus euertit? ut qui reliqui sunt, nihil ea nocte meminerint miserabilius. Cecidere ea strage in Hirpinis, Sannio, Lucania, eaq; Campaniae parte, quae cis Lyrim est, ad quatuor & uiginti hominum millia. Dicat nunc aliquis Teraemotum nullo esse pacto formidandum. Contendat etiam hic suum fortitudini locum esse. Haec igitur, aliaq; huiusmodi fortes, ignauiq; iusta metuent. Alia uero, quae concutere quidem animos soleant, non tamen ut aut tolerandis ipsis humana uirtus satis non sit, aut acrius ingruentibus parum constanter resistere ualeat. Quandoqdem eadẽ ipsa ut uiribus inferiora persaepe uincat, qualia sunt bellica pericula, & ea maxime, quae homini ab homine inferuntur, quorum ratio haec est, ut tum magis quàm oportet, tum minus quàm opus est, aut etiam quantum oportet timeri usu ueniat. Idem quoq; de ijs dicendum, quae nouo nomine fortasse audacius, placet tamen fiducialia dicere. Nam alia sunt, quibus nulla queat humana uis aspirare, alia, quibus aggrediendis magis minus'ue aut quàm opus est confidamus, ac tametsi factu, atq; aggressu difficilia sint, effici tamen possint.

Cur bellica pericula sint grauiora.

c VR AVTEM BELLICA pericula & sint & uideantur grauiora, hinc est, quod euidentiora cum sint, magis sentiuntur. Neque enim aut morbo languentibus nobis, aut in mari à tempestate deprehensis, statim mors ante oculos obijcitur, nec species eius tam foeda, horribilisq; apparet. Quid? quod ipse gladius dum stringitur, dum uibratur, dum micat, ex ipsa confestim uibratione nescio quomodo commouet, terrificatq; animum, qui quod uim habere illum laedendi intellegit, repente concutitur, ac perhorrescit. Quod aquarum nec motus efficit, nec tactio, & morbi quoq;, & ipsa in lecto cubitatio, mortem faciunt leuiorem. Quae plerunque sensim & inter fomenta obrepit, complexusq; amicorum, nec tam est aduersus naturam. At in bello, atq; ubi manus conseruntur, uidere licet illos mẽbratim concidi, hos tormentis repente rapi, alios curribus, aut equis cũ misera corporis laceratiõe obteri, nec ulla omnino nisi uiolẽta esse caedes potest. Ad haec i bello atq; iter pugnãdũ, plurima repẽte accidũt.

Repentina autem, & nec opinata magis, ac magis animum perturbant, quæ tolerare, aut uincere, longe est difficilius. Quid? quod comites morborum dolores, quæq; mala morbi afferunt, quod uitari nequeant, ipsa etiam necessitas tolerabiliora efficit. At bellorum difficultates, quæq; acerba plurima in prælijs contingunt, quod ipsa nos mens uitari posse moneat, ac subinde fugæ admonere soleat, eo ægrius est perpeti, atq; eorum impetus ferre difficilius, ipsa etiam recusante natura. Hæc igitur, taliaq; bellicos casus grauiores, magisq; formidabiles faciunt. In quibus quoniam fortitudo ipsa uersatur, exsistitq; ex ijs, ut ante disseruimus, uidendum est quousq; uirum fortem tum timere deceat, tum confidere, quo medium illud retineat, quod sapientes in omni uita, atq; actione probant.

Quousq; timendum sit forti, & quæ sint toleranda, & quem ad finem.

TIMEBIT Igitur illa, quippe qui hominem se esse meminerit, uerum ut decet, & quàm opus est. Siquidem à modo, mensuraq; minime recedet, naturamq; ita sequetur, quæ hunc metuendi affectum mortalibus non frustra dedit, ut rationem non abijciat, qua eum moderetur. Idem quoq; quæ dura cœciderint, tolerabit, feretq; acerba, eadem hac ratione & duce & comite. Atq; hæc quidem honesti, & pulchri gratia, quod uirtus hæc ubiq; respectat, & assequi nititur. Inspiciendum etiam non modo ut modus, mensuraq; adhibeatur, ut dixi, sed ea adhibita, loci quoq; habeatur, ac temporis ratio. Videndumq; quamobrē, et cuius gratia. In quo primum peccari solet, quod nonnunquam etiam illa metuunt, quæ nullo modo sint metuenda. Deinde errant, quod tametsi timeri quædam oporteat, timentur illa quidem aut non perinde, ut oportet, aut ubi minime opus est. Deniq; non quam ob causam timeri debeant. Hæc enim, et siqua sunt de genere eodem, circunspicienda sunt forti, in quibus qui labitur, is ex arce fortitudinis necesse est corruat.

» Ah te ne frigora lædant,
» Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

Ac mollicia qui liquescat, & tanquam fluat, quid exspectare ab eo, nisi languidum, ac muliebre potes? Sed hæc in amantis persona fortasse non omnino dedeceant, quanquam etiam in amante ridentur. In eo uero, quem ad præclaras, atq; arduas res ipse impellere animus debet,

mus debet, Quid esse potest indignius quàm tanta hæc corporis, animiq; teneritas? cum ne apis quidem aculeum, ut Cicero ait, sit laturus absq; summis clamoribus. At quo animo & dicuntur, et audiuntur illa?

» Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum
» Deferimus, sæuoq; gelu duramus, & undis.
» Venatu inuigilant pueri, syluasq; fatigant,
» Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
» At patiens operum, paruoq; assueta iuuentus,
» Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
» Omne æuum ferro teritur, uersaq; iuuencum
» Terga fatigamus hasta, nec tarda senectus
» Debilitat uireis animi, mutatq; uigorem.
» Canitiem galea premimus.–

Vides ut in eo gloriatur, quod à primis statim annis, duratus laboribus per omnem uitæ cursum desidiam ignoret? Neq; norit unquã quid lusus esset, ac mollicies? & sane' iure gloriatur ut uir, ac plane' uir. Videre licet alios nimis puerili animo cuncta pauẽteis, Alios quanquam grauioribus in rebus, atq; periculis adeo tamen consternari, ut etiam cogitata excutiantur. Atque illi quidẽ in eo peccant, quod metuenda, ac non metuenda iusta pauitant, hi quod à modo, mensuraq; ita decidant, ut pene' uideantur exanimes. Sunt etiã quos ipsa præmeditatio territet. Quæ res magnas aliquando copias, nullo premente hoste, fudit, fugauitq;. Cæsar cum ad solam famam aduentantium Germanorum, suos ita uideret exterritos, ut permulti e' castris iam abirent, quibus non artibus terrorem illum sola opinione conceptum, e' militum suorum animis excutere conatus est? Interdum etiam præteritorum periculorum, aut acceptæ cladis memoria animos deijcit. Quam ob causam, duces ipsi ubi confligendum fuerit, abolere student omnem ex militum animis aliquando acceptam calamitatem. Quocirca pro concione hortantur, confirmant, ueteres uictorias, & fortissimi cuiusq; operam commemorant, hostium res eleuant, sua consilia, suas arteis, ijs uerbis, uultu, gestu explicant, ut uicisse se iam uideri uelint. Et uero quid ignauius, ac fractius, quàm ubi arcem teneas quammunitissimam, inermium, atque paucorum agros populantium minas perhorrescere? Nam quanquam hostem timere, prudentis, & cauti est hominis, consternatissimi tamen est animi uinci ab ignauia. In agro Sorano uicus est cognomento Albus. Is uicus arcem habet & natura, & manu egregie munitam. Ricius

impiger Dux, eam Arcem cum obsedisset diutius, nec aliam potiundæ illius rationem uideret, nisi per uanam aliquam formidinem custodum animis territatis, magnam uim lapidũ sub ipsius rupem arcis noctu à militibus comportandam curauit. Interdiu interstrepi, festinariq; iussit, æque, ac magna manus effodiendo cuniculo occupata esset, idem in sequente etiam nocte faciundum curauit. Vbi uero dies alter illuxit, magnis sublatis clamoribus, omnem illam conuectorum lapidum uim præcipitari per decliuiorẽ rupem, quanta maxima poterat festinatione imperauit, ipse minitabundus arcis custodes territare, ac nisi intra quampaucissimas horas deditionem fecissent, fore ut arce per uim occupata, ferro ad unum omnes cæderet. Cõfestim itaq; seq;, arcemq;, (tantum apud ignauissimos homines formido ipsa ualuit) dedidere. Et cum tam multa, diuersaq; fingere metus soleat, sintq; uariæ metuendi causæ, uidendum est ne inopes consiliorum effecti, in eo peccemus, ut timendi causas ignoremus, fugiatq; nos rerum nostrarum ratio. Eripit autem metus non modo consiliũ, ubi uehementius turbarit animum, uerum etiam si remissior primo fuerit, post tamen pluribus simul oblatis causis, mentem ipsam adeo labefactat, ut nonnunquam quanquam iure quidem metuimus, specie tamen decepti non quam ob causam debemus, metuamus. Quid cum ait Thyestes,

» Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
» Nihil timendum uideo, sed timeo tamen.

Fit etiam aliquando, ut animus ipse futurorum præscius, imminentia mala præsagiat. Et quanquam causa timoris non apparet, timet tamen. Hæc igitur, aliaq; huiusmodi uidenda sunt forti. Idem quoq; asperis, atq; periculosis rebus tolerandis adhibendus est delectus. Siquidem & temporis, & loci ratio habenda est, retinendus etiam modus, nec toleranda sunt, quæ forti uiro, aut parum conuenerint, aut certe omnino dedecuerint. Vlysses tamen etiam seruorum, ancillarumq; contumelias pertulisse dicitur, ne dum ut mulieribus inseruierit. Sed aliud erat Vlyssi propositũ, aliud esse debet huic, de quo nũc disputamus. Et Vlysses quidem plura subdole. at noster hic minime fallax erit. Decet enim fortem ueritatis studium, neq; enim insidijs, malitiaq; grassatur, quibus ut Cicero rectissime sentit, nemo fortitudinis gloriam consecutus est, Nihil enim rectum aut honestum esse potest remota iustitia.

Quousq; debeat uir fortis confidere.

ADEM ETIAM Fiducialium lex est, in quibus plane uidendum est, ne cupidi, immoderati, improbi, parumq; consyderati, atq; incompositi uideamur. Quid autem uel inconsyderatius, uel improbius, quã ea uelle aggredi, quæ nulla sint ratione aggrediunda? Quid magis incompositum, quàm nec temporis, nec loci rationem habere? aut quid immoderatius, quàm à mensura, ordineq; recedere? Cum primis autem uidendum est, quàm id, quod aggredi paramus, iustum sit. Siquidem animi magnitudo iustitia uacans, immanitatis potius, quàm uirtutis nomen accipit, Immanis Annibal, qui nulla lacessitus iniuria, bellum Saguntinis intulit, quod ut iniuste suscepit, sic crudeliter administrauit. Immanis Catilina, qui dum pro suis, aut paucorum tantum commodis, non pro communi salute laborat, nefariũ patriæ bellum intulit, dumq; ad id, quod sibi proposuerat, peruenire posset, urbis incendium, ac bonorum ciuium interitum parat. Nec uero in gerendis rebus id solum consyderari oportet, quàm iuste, atq; honeste, sed uires cuiusq; metiendæ sunt, ne turpiter succumbamus, tanquam oneri omnino impares. Varro, Flaminiusq;, alter ad Thrasymenum, alter ad Cannas, dum Annibalis artes despiciunt, dum quales haberent exercitus, deniq;, dum seipsos parum noscunt, rem Romanam pene funditus subuertere. Nicolaus Picininus et ante eum Mutius, qui cognominatus est Sfortia, clarissimi ambo duces, non semel rem parum prospere gessere, dum nimium confidunt, dum incepta supra facultates suscipiunt. Fortem nanq; ut minime insidiosum, sic uel cum primis cautum, æquumq; rerum suarum æstimatorem uolumus. Quo in genere laudis maiores nostri Q. Maximum primum esse uoluerunt. Non mediocrem etiam hinc laudem tulit Franciscus Sfortiæ filius, qui post Mediolanensibus imperauit, aut nunc fert Fridericus Vrbinâs. Cauenda quoq; non modo turpia quæ uideãtur, ac fœda, uerum etiam sordida, quibus quid magis esse alienum ab eo potest uiro, quem admirabilem efficere fortitudo debeat? Quo circa si constare sibi undiq; fortis debet, ita quidem & metuet, & tolerabit, & confidet, & aggredietur, ut in ijs, alijsq;, quæ ex eodem sunt genere, nunquam à seipso recedat, Quippe cui non actionum modo ipsarum, uerum earum rerum omniũ, quæ actiones tum antecedant, tum assequantur, aut ijs tanquam collaterales assideant, ratio diligenter tenenda est. Vbiq; igitur dignitatem ita tuebitur, &

in agendo, & in tolerando, ut rationis numeros suos expleat. Quod tum maxime consequetur, ubi finem ipsum circunspiciens, ad illum, tanquam ad metam recta uia properauerit. Cum autem pulchri, honesti'q; gratia omnis ab eo suscipiatur actio, cuncta'q; ad decus referat, hoc assequi non aliter poterit, quàm si diligentissime in cunctis dignitatis suæ rationem habuerit. Cuius quidem tuendæ non una, ut dixi, cautio est. Siquidem tum in metuendo, atq; fidendo, tum in tolerando, atq; aggrediendo, deniq; in tota ipsa agendi progressione, ita eum singula circunspicere, sic cuncta metiri oportet, ut qui intellegat ad fortitudinem nisi per fortia, ad decus quoq;, ac pulchrum nisi per honesta, decora'q; perueniri nequaquam posse, ut à primis statim progressionibus ad finem usq; perpetuo quasi quodam sibi tenore constet, idem'q; ubiq; appareat. Atq; ut fortem ipsum tanquam suis liniamentis inumbremus. Qui quæ oportet, & quàm oportet, & cuius etiam rei gratia, & quando etiam oportet, tolerat, atq; perpetitur. Qui'q; item, ut par est, & metuit, & confidit, agitq; pro dignitate, atq; ut ratio recta præcipit, is est, quem quærimus fortem, cuius tolerantia, atq; perpessio, actio item, atq; aggressio suscepta est, honesti, & pulchri gratia, quando, ut magistro placet Aristoteli actionis cuiusq; finis est ad habitum referendus. & uiro forti, fortitudo ipsa honestum, ac pulchrum est. aut quia secus quidem, atq; aliter se habere, atq; agere, turpe esset, ac dedecorosum. Siquidem et Populus Romanus, & potentissimi sæpe Reges, leuissimas sociorum iniurias, armis uindicandas suscepere, non tam laudis, atq; honesti gratia, quàm ut dedecus, ac turpitudinem fugerent, quando ex ulciscenda iniuria non tanta parata laus erat, quanta ex desertis socijs infamia.

Vtrum in metu, an in fiducia moderanda uir fortis magis perspicitur.

s

EDARE AVTEM *Metum quàm fiduciam regere cum sit difficilius, fortis uir in illo, quàm in hoc magis & perspicietur, & nobilitabitur. Quo'circa iure illi plurimum laudantur, qui difficiles, atq; asperas res animo erecto, & magno ferentes, metum repulere, doloris'q;, cuius acerrimi sunt morsus, euasere uictores. Nam fortitudini metus cum reluctetur magis, quàm fiducia, perferre, quàm aggredi, & difficilius est, & animi etiam firmioris, quippe cum ferenti acerba, utpote in re præsenti, dolores, alia'q; mala ante oculos obuersentur,*

& specie quidem fœda, magisq; ac magis formidolosa. Qui uero aut iam aggreditur, aut iam iam est aggressurus, malum ipsum ut futurum magis animo cernit, quàm re ipsa sentit, quin tolerãtia cum sit diuturnior, aggressio ipsa breuis est momenti. Ad hæc aggressores ipsi parteis suscipiunt potiores, quibus qui resistunt, in hoc etiam laborant, quod parteis sustinent imbecilliores. Inde militare illud dictum, duplicatis uiribus qui adoriantur pugnare. An ullis unquã in bellis Romana uirtus, quàm in secundo punico bello clarior enituit? Quocirca asperis in rebus qui non turbatur, nec tumultuans, quod Cicero ait, de gradu deijcitur, sed præsenti animo, & consilio utitur, ille sibi iure primum in arce fortitudinis locum uindicat. At non sentiet uir fortis uulnera, aut non dolebit, Immo et sentiet cum sit homo, & dolebit, & grauiter secum agi intelleget, feret tamen non æquo tantum animo, uerum etiã magno, atq; inuicto, quod honestum, quod pulchrum, quod se dignum id iudicet, ac si secus fecerit, turpe, molle, fœmineum esse. Etenim Marius cum sine ullo gemitu secabatur, uincebat qdem dolorẽ magis q̃ non sentiebat. Theseus post grauissimos illos labores exhaustos, apud Senecam queritur, seq; perpetiendis defessum malis fatetur.

» Sed fessa uirtus robore antiquo caret,
» Trepidantq; gressus. Heu labor quantus fuit,
» Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
» Pariterq; mortem fugere, & Aladen sequi. Et apud

Maronem, Aeneas post Pallantis funus etiam ingemiscens,

» Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
» Fata uocant. Idem quoq; mori fert grauiter, neq; enim uitã

odit, ut qui sciat se maxime dignum, qui uitæ ipsius bonis perfruatur, intellegatq; honestam sibi materiam ac causam præberi sæpius utendæ uirtutis uiuendo diutius. Qui hoc mihi uidetur admirabilior, laudibusq; maioribus prosequendus, quod uitæ suæ partum per labores, ac pericula in dubijs, atq; asperis rebus in bello deniq; decus anteponat.

Qui nihil timeant, eos aut insanos, aut torpidos esse.

VM AVTEM Et metuere uirum fortem, & confidere, ac medium in utroq; retinere, ut dictum est, oporteat, uideamus si placet, & qui sint, & quo etiã nomine appellẽtur, qui tum in hoc, tum in illo, mediũ

deserunt, & tanquam in præceps relicta ratione rapiuntur. Nec uero in eo solũ peccatur, quod quidam nimis multa fiducia, in ijs, quæ terribilia sunt, utuntur, sed quod metum ipsum, qui homini naturalis est, omni è parte abijciunt. & hi quidem uix nomen habent, res tamen ipsa intellegitur. Omnem profecto metum exuisse, hominis est aut parum sanæ mentis, aut prorsus stupidi, atq; obtorpescentis. Quis eni nisi demens, atq; in furorem actus aut non rationis modo, sed penè sensuum ipsorum expers factus, diluuiones non horreat, motusq; terrarum atq; incendia? Hæc igitur, taliáq; non metuere, uidetur magis non sentientis cuiuspiam, aut insani hominis, quàm sensu rationéq; bene utentis esse.

Quales & qui sunt qui timidi, aut audaces dicuntur.

q VI VERO Nimis extimescit, eum timidum ac meticulosum dicimus, qui nec in eo solum peccat, quod etiam non metuenda pauitat, sed quod ea, quæ timenda sunt, nequaquam, ut oportet timeat. Itaq; trepidat, horrescit, pallet, fugit animus, metu membra quatiuntur. Quæ res efficit, ut quàm hic à metu uincatur, tam illic à fiducia deseratur, nec solum uiribus defectus, uerum etiam spe destitutus. Siquidem cuncta nimium formidantem, necesse est spe quoq; destitui. Atq; ut timidi est, tum quæ metuenda non sunt, metuere, tum in ijs, quæ metu digna uideantur, à modo, uiaq; recedere, sic duplex peccatum est eius, qui nimis etiam confidit, Nam è nimia fiducia & aggreditur quæ aggredienda nullo modo sint, et postq̃ est aggressus, uiribus, animóq; ita deficit, ut quãtum antea rectam fidendi, atq; aggrediendi regulam prægrediebatur, tantum post, et fortasse uehementius superetur à metu. Itaq; et confunditur, et consternatur, et ab incœpto ignauiter desistit. Ad hæc antè congressum nimis etiã festinat, et calet, et tanquã rapitur ac gestit. Post in ipso periculo positus, hæret, hebetatur, tabescit, friget, metu tela decadunt. Quare & arrogãs idem hic esse solet, Siquidẽ plura sibi, q̃ suus captus est, arrogat. Et gloriosus simulatorq; uirtutis est, q̃n quod asseq nullo modo potest, fortis uult uideri, è quo ẽt numero sunt quos græco nõie τράσωνας dicimus, nostro, milites gloriosos.

Fortem iure medium tenere inter timidum et audacem.

q VO'CIRCA Cum et timidi, et audaces et fortes in ijsdẽ, ut dictum est, uersentur, et illi quidem nimium aut timendo aut cõfidẽdo à recto rationéq; longius abeant, fortes profecto q̃ est inter utrosq; mediũ retinebunt. Quare nõ modo

quæ feręda sunt, et cuius oportet gratia, et quãdo etiã oportet eorum perpessores erũt, nec tantũ, ut par est, metuent, atq; confidẽt, agẽtq; pro dignitate, atq; ut ratio, rectũq; docuerit, uerũ etiã bene utiq; recteq; sperabũt, ac nullo modo cõfundẽtur. Atq; ut ante cõgressum sedatiores sunt, sic in ipsis cõgressionibus, plane impigri atq; alacres erũt. Iidẽ nihil ad ostentationẽ referunt, nihil inane sequũtur. Verã laudẽ concupiscunt. nõ tumultuatur uir fortis, neq; est seditiosus, aut iusti honestiq; contemptor, aut detrectator imperij, neq; rerũ suarũ prædicator, præterq̃ ubi necessitas, ac ratio aliter tulerit. Atq; ut laudari ab alijs sua non illibenter audit (nã et si cõsciẽtia sua cõtentus esse põt, lætatur tamẽ habere rerũ a se gestarũ testes) sic aliorũ recte facta libẽter cõmemorat, in q̃bus laudãdis neq; parcus esse debet, neq; adulator. Vt autẽ habitus ipse q̃ sit plane intellegatur, placet fortitudinẽ ipsam definire, quæ profecto mediocritas quædã est, in ijs periculis obeundis, rebusq; periculosis, aut peruincẽdis, aut perferẽdis, quæ mortem allatura etiam repente uideri possint.

Fortitudinis definitio

De timidis.

ATQVE Vt aliquanto distinctius rem ipsam exsequamur, habet metus animi fractionẽ, et quasi fugã. Itaq; meticulosos non res solum, atq; pericula, uerũ rumores ipsi etiã incerti, & uani, et ipsa, ut dici solet, umbra persæpe deterret. Videre licet illorum ora, atq; artus q̃ pallor, ac tremor occupet. Nãq; ubi animum terror concussit, tum statim pallor sequitur, & tantus aliquando tremor, ut etiã dentes crepitent. Tũ pauor inuadit, & pauoris comes exanimatio, conturbatioq;, ut nullus eis locus tutus esse, nullum afferri posse auxiliũ, ac præsidium uideatur. excidunt cogitata, non solũ consilia uariant. Etenim conturbationis proprium est, mẽtem labefactare. Ex quo fonte cogitationes, atq; consilia ipsa manant. hinc formido exsistit, metus, ut Cicero ait, permanẽs, et pigritia, quæ, ut Cicero etiam definit, metus est consequentis laboris, Impigros eni appellare illos maxime rerum scriptores solent, qui militareis labores libenter adeant, & ignauia, quæ a nauanda opera animum deterret, & segnities plena humilitatis, ac remissionis, & diffidentia, quæ aggredi aut nihil permittit, aut ab incepto turpiter uti desistatur cogit, metũ ipsum cõsequũtur. Proprium etiam meticulosorũ est (nã quãq̃ minus usitatũ nomẽ est meticulosus, q̃ timidus utimur tamen non minus libenter, siquidem timor, unde timidus ducitur, metu ipso continetur. Est enim timor, mali appropinquantis metus, ut uideri possit rectius etiam meticulosus, quam timidus hic ipse a no

Meticulosus quis di

bis uocari. Sed nec erimus de uerbo soliciti, quod usus iam probauit, utemur'q; utroq; pro arbitrio. Est inquam proprium timidorum frāgi animo, ubi labores suscipiendos intellegunt, & uiribus statim defici. Quid enim timido imbecillius? atq; illa quidē infractio, hæc imbecillitas dicitur. Iidem periculis, atq; aduersis repente oblatis ita consternantur, ut prope uideantur attoniti. Nam doloribus quàm succumbant, post uidebimus. Declarant Tyranni quantos impulsus habeat etiā ad crudelitatem metus (quamuis crudelitas ipsa alio è fonte manare uideatur) et quàm male diuturnus sit imperij custos. Itaq; quotus inuentus est Tyrannus, qui nō fuerit crudelis atq; grassator? Proponatur ante oculos Dionysius, proponatur Pheræus Alexander, proponatur Phalaris, alij'q; innumerabiles. Quā uero referta suspicionibus, atq; insidijs eorum uita sit, ex eo apparet, quod raro fere Tyrannus nisi ueneno perijt, aut gladio. Abstinebo à commemoratione recentium Tyrannorum, ne uiuenteis uidear uelle offendere. Timidis igitur uix ulla unquam solet esse securitas, aut quies. Quo' circa timidus quisq; Dux, est inprimis fugax, atq; ut illi uitio nomen est timiditas, sic hæc fugacitas recte dicitur. Enecat etiam metus, non solum prosternit. Itaq; Lycas ille, dum furentem fugit Herculē, complexus aras ipse tremebunda manu mortem metu consumpsit, ut nimio de metu exanimatus, mortem non sensisse uideatur. Et quoniā dubijs in rebus, ut ait Statius, pessimus augur est timor, necesse est hūc eundem dies & noctes solicitari. Has anim solicitudines, ac uexationes, quando omnem auferunt rerum meliorum expectationem, desperatio sequi solet, quæ omni consilio, ratione'q; destituta, semper in præceps rapit, atq; propellit. Omnino meticulosi ob summam animorum mollitiam, atq; imbecillitatem, in doloribus cernuntur, quàm sint demissi. Itaq; nihil durum tolerare possunt, nihil asperum pati. Statim concidunt fœmineum in modum, eorū sunt muliebres illi eiulatus, ac lamentationes. Nec uero in uno tantum doloris genere labascit confestim, ac succumbit timidus, sed ubiq; idem esse solet, ac sui similis. Qui amans egens ingressus est princeps amoris uias, is superauit erumnas Herculis, erumnis suis. Vim amoris ferre non potest, atq; adeo non potest, ut erumnas Herculis ferre putet esse facilius. Aspera res dolor est. quis negat? & quem pati, ac tolerare sit perquam difficile, nemo it inficias. sed aliud est sentire dolorem, ac moueri eo, aliud frangi, ac deijci. Itaq; audiamus quid etiam Nutricula de hac ipsa re sentiat.

» Quisquis in primo obstitit

» Pepulitq; amorem, tutus, ac uictor fuit.
» Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
» Serò recusat ferre quod subijt iugum.

Vides iudicio etiam muliercul æ superari amorem posse? potest initio. Sed ubi semel iugum imposuit, difficile excutitur. An ignoras æquũ animum, optimum erũnæ condimentum esse? ut sapiẽter dicitur apud Plautum. Philocteta pati uulnus non potest. Quare mori cupit, & è sullimi saxo in fluctus deijci præ dolore ac cruciatu. quid esse dicis infractius? Quando autem sanatus est, tolerabilis certe dolor eius erat. Recte igitur ac uere in Hercule Oetæo dicitur.

» Pepulit uires, pondus mali,
» Casus animo qui tulit æquo.

Nec prætereatur nutrix illa, quæ tantopere de doloris impotentia queritur.

» O' quàm cruentus fœminas stimulat dolor.
» Cum patuit una pellici & nuptæ domus.
» Scylla & Charybdis Sicula contorquens freta,
» Minus est timenda. nulla non melior fera.

Quid ipsa de se ait Deianira?

» Est aliquid hydra potius, Iratæ dolor
» Nuptæ.–

Hecuba in canem uersa dicitur in fabulis, In lapidem Niobe, Vtraq; ob luctum atq; mœrorem. Quorsum hæc? ut intellegamus muliebre esse, omnino dolori succumbere. In quo uitio, ut dixi, late patet timidorum imbecillitas atq; infractio. Adhibenda est igitur in consilium ratio, quæ ferendum non modo patienter doceat, uerum etiam superandum. Siquidem ut Medeæ quoq; uerbis loquamur, nunquam potest non esse uirtuti locus. quæ quoniã in mediocritate perspicitur, in eo timidi peccant, quod eam in doloribus quamlongissime relinquunt. Quo circa dum amorem, dum paupertatem, dum exilium, seruitutem, carcerem, orbitatem, infamiam, morbos, aliaq; molesta atq; erũnosa tolerare nequeunt, dum doloribus excruciati finire semel illos, et cunctis liberari molestijs uolunt, aut laqueo, aut gladio, nonnunquam casibus, aliquando inedia uitam finiunt. Id quod non ad fortitudinem, sed timiditatem potius referendum est. Quandoquidem mollis atq; imbecilli est animi, laboriosa, ac molesta deuitare uelle, quodq; pulchrum est toleratu, non tantum nolle perpeti, uerũ quod laboriosum esse appareat, prorsus recusare, & sponte etiam fugere. Quanquam autem tolerantia ipsa uideri fortasse potest, aut nihil omnino, aut certe parum laudis, decorisq; nonnunquam allatura, ipsa tamen molestiarum recusatio, & dolorum fu

q͂a turpis atq; indecora censenda est.

» -Non est, ut putas, uirtus pater,
» Timere uitam.- Sic enim Antigone Oedipoden alloq̃tur mori iã de stinantẽ, Sed malis urgentibus, obstare, nec se uertere aut retro dare.
» Qui fata procul cauit, ac uitæ bona
» Proicit, atq; abscessit, & casus suos
» Onerauit, ipsi, ceu uideo, nullo est opus,
» Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat.
» Vtrunq; timidi est uelle.- Quámobrem timidi est mortem sibi consciscere, quo molestijs, ac laboribus defungatur. Videamus q͂d Virgilius de ijs sentiat.
» -Quàm inquit, uellent æthere in alto
» Nunc & pauperiem, & duros tolerare labores. Habet Cato defensores suos. quid ni habeat, cum in eo defendendo libertatis patrocinium suscipiatur. Sed certe non ita multos annos Catoni perferẽdum erat, dum Brutus Cæsarem conficeret. Habeant & illi philosophi, qui mortem sibi consciuisse memorantur, ut corporis carcere effracto, se in libertatem assererent, cum quibus quanto præstantius, ac melius esset actum, si non ante abire uoluissent è uita, quàm exanclatis prius ijs, quæ sunt hominum, & quidem philosophorum hominum. Labeo Marsus calamitate illa macedonica, cum celer hostis premeret, seq;, natumq; gladio traiecit, ne uictoris Octauij uultum sustineret, ut in eius sepulcro hodie quoq; scriptum legitur. Firmioris certe hominis erat, non fugere ex acie, aut in ipsa iam fuga conuerso equo, insequenti hosti armatum pectus offerre. Potuisset Cassius etiã si Brutus cecidérat, reparare exercitum, nec tam repentino consilio famulo iugulum suum præbere. Sed hæc parcius reprehenduntur propter authoritatem maximorũ Ducum, qui huiusmodi exẽpla ipsi aut primi edidere, aut ab alijs edita quasi legem quandam fuere secuti. Regius etiam mos fuit, uenenum secum ferre ad incerta fortunæ. Itaq; & Aemilij Pauli honoratior mors fuit, quod capitale esset Militem Romanum ex acie fugere. Et Iunius Brutus Romanæ libertatis assertor, in prouocantem Tarquinium ipse belli Dux equũ statim adegit, quod hæc laus esset temporum illorum. Nero Claudius sanè q̃ seruiliter mortuus est. sed o' uocem omni mollitia liquescentem, ubi est inquit, decocta mea? aquam decoctam requirebat in fuga. Nuper Mercator cum abnegari sibi depositam pecuniã cerneret, seipsum gladio traiecit. Qui q̃ seruilis & supra q̃ dici potest humilis, atq; abiectus esset, illud declarat, quod non modo pecuniam q̃ uitam cariorẽ

habuerit, sed quod amissa pecunia, sese uicturum diffideret. nõ multis ante annis Ioannes Salernitanus adolescens cingulo se suspẽdit ad fenestram, in quam mulieris à se amatæ prospectus erat. ut non tantopere admirari debeamus, quod de Iphide à poëtis scriptum est. si uoluisset esse tolerantior, paulatim aut uim amoris repulisset, aut mulieris forsan in se animum traduxisset. In Salentinis in uico Castriniano biennio ante puella, cui Neæra nomen erat, dum obijcitur in conuitijs, quod à Leontio, cui pacta fuerat, spreta, ac repudiata esset, nullo dato responso, sese statim deiecit in puteum. Maiora quotidie & à uiris & à Matronis opprobria sustinentur, & per patientiam ea sæpe quis assequitur, quæ alia ratione, aut uia nequeat assequi. Atq; ut nihil omnino aliud fortiter ferendo adipiscatur, illud certe adipiscitur, quod inuictum sese, quod deniq; uirum esse ostendit. Ad hæc huiusmodi mortes qd habere possunt præclarum, quando proposita est ijs laborum atq; erumnarum fuga, ut sæpius est dictum? Etenim mori ipsi uolunt, non quia pulchrum id iudicent, sed ut morientes mala defugiant, nec uident alios uiriliter tolerãdo, ab exilio in patriam, ad gerendos magistratus reuocatos, alios reparato rursus exercitu, mutata belli fortuna, ex uictis euasisse uictores, multos etiam in tenuissima re uixisse honoratissimos. Abundat huiusmodi exemplis hominum uita. Atq; ut ad rem redeamus, mollissimi ac liquescentis est animi, hæc similiaq; morte uolũtaria deuitare. Cuius rei illud quoq; certissimum est indicium, quod in doloribus, atq; aduersa fortuna constituti optare mortem soleant, cum q uoluptatibus abũdent, prosperaq; fortuna utuntur, ij uel ipsum mortis oderint nomen. Ac de timidis quidem nunc hactenus.

De audacia, & audacibus.

TIMIDITATI Contraria est audacia, quando illa nimium metuit, contra hæc nimium confidit, atq; etiam audet. Est autem audacis proprium, & ante q̃ periculum adeat, & postquam adijt, supra quàm satis est confidere. Qui quod supra uires conatur, audetq; ultra, q̃ ratio recta exigit, necesse est in ipsa congressione, atq; inter decertandũ, uiribus, atq; animo deficiatur. Ac tametsi initio uidetur audax habere quiddã forti simile, ac illius animum præseferre, post tamẽ ut parũ firmis uiribus, imparq; incepto succumbit, atq; in timiditatem recidit. Etenim audaces ante pericula adita, laboresq; susceptos nimus q̃ acres uidentur, suntq; ad incipiendum præcipites, post uero ma-

gis, magisq; deficiant, uideriq; incipiunt similiores hæsitantibus, do-
nec concidunt animis, apparentq; ipsis etiam timidis imbecilliores.
Audiamus quid de Phaëthonte loquatur Ouidius, cuius quã audax
inceptum, & uiribus impar esset, filio pater ostendit.

» Magna petis Phaëthon, & quæ non uiribus istis
» Munera conueniant, nec tam puerilibus annis.
» Sors tua mortalis, non est mortale quod optas.
» Plus etiam q̃ quod superis contingere possit,
» Poscis et affectas- Et quæ sequuntur. Luculẽtissime enim locum hũc
exsecutus est poëta. Quibus tamen Phaëthon nequaquam deterritus.
» Occupat ipse leuem iuuenili corpore currum,
» Statq; super, manibusq; leues contingere habenas
» Gaudet, & inuito grates agit inde parenti.

Nec multo post, ubi concaluisse equos sensit, q̃ repente infractus est ani
mo, ut nec sciat qua creditas sibi habenas flectat, nec qua iter sit,
nec si sciat, equis imperet. Itaq; ut

» -Summo despexit ab æthere terras
» Infelix Phaëthon penitus, penitusq; iacentes,
» Palluit, & subito genua intremuere timore.
» Sunt oculis tenebræ per totum lumen obortæ,
» Et iam mallet equos nunquam tetigisse paternos,

Nã curru excussus, atq; è cœlo præcipitatus in terra ignota ignobili-
ter mortuus dicitur. Est igitur audaciæ coniũcta temeritas, infelix hu-
manarũ actionũ & dux et comes. Nihilo minus et audacibus aliquã
do fortuna aspirat, sed cum uir fortis nihil ad fortunã referat, immo
omnia in seipso reposita et collocata habeat, ut quæ forti uiro in ado
riũdis periculis, iisdẽq; superãdis eadẽ illa fortunæ beneficio, audaci
eueniãt, uerã tamen fortitudinis laudẽ non est adeptus, ut q̃ in specta
culis Histriones cum sint, regum tamẽ ꝑsonas gerunt. Quamobrem
simulator quidẽ uirtutis est audax, & tanquã adumbrata quædã
ꝑsona, quæ qualis sit, res ipsa indicat. Ac tametsi uiro etiã forti for
tuna nonnunquã opitulatur, nihilo minus fortuna etiã aduersante,
quod suũ munus est, edere non recusat. Nec ignoramus (ut etiã Sta-
tius ait) esse ubi det uires nimius timor, nam et timidissimæ quædã
belluæ, ubi nullũ habere se profugiũ clausæ sentiunt, ferociores fa-
ctæ, et ob desperationẽ etiam acerrime pugnant. Quæ res efficit, ut
nec desperatio uerũ assequi fortitudinis nomen queat, neq; enim per
desperationem perueniri ad fortitudinẽ, ac decus potest, quãdo ne in
Physicis quidem dari illud solet, ut eadem ipsa sint ex quibus idem

aliquid effici

aliquid effici soleat. Siquidem frigus, quod caloris proprium est, non nunquam urit. Ad hæc cum uirtus omnis moralis sit uoluntaria, desperatio coactum quid ac uiolentum potius uidetur esse, cuius principia & causæ forinsecus magis proficiscantur, quæ uoluntatem ipsam trahant, uexentq;. Quid quod desperantes nihil omnino pensi habent, cum fortes seq;, suasq; res, atq; actiones bene pensent, ac ratione moderentur? Et illi quidem de salute initio ualde soliciti, post desperant. Forti uero quanquam cara uita est, adipiscendi tamen decoris gratia, labor atq; conatus omnis ab eo sponte suscipitur. Licet autem medium nonnunquam efficiatur, quod aliâs medium non erat, aliud tamen est desperare, aliud mori decernere. & hoc quidẽ neq; consilio, neq; ratione caret. Illud uero omnis consilij, omnisq; omnino rationis est expers. Quid quod hic cum mori iam decreuerit, animo composito, minimeq; conturbato accedit ad finem, quem sibi iam proposuit. Contra alter eorum, quæ agit pleraq; non intellegit, cum fortes nunquam nõ intellegentes agant. Quæ qdem res etiam efficit, ne irati fortes esse queant, uti paulo post docebimus. Quinetiam in repentinis, & nec opinatis per habitum fortes agunt, qualis nullus est desperantibus. Igitur nec hi, nec qui è nimio metu strenue aliquid uidentur agere, in fortium sunt numero collocandi. Nec uero quæ de Sabinis mulieribus tradita sunt, icirco minus pleno sunt ore laudanda, quod Liuius dicat, » uicto malis muliebri pauore, ausas in tela » se uolitantia inferre, neq; enim inuidendum est tam raro, memorabiliq; facinori. At nõ est muliebris uirtus fortitudo, uidelicet Amazonides fortes non sunt habitæ, nec illa Scytharum Regina. Rarum est mulierem fortem euadere, immo rarissimum, non tamen ut fieri non possit. Quinimmo quo est rarius, & sexus ille imbecillior, eo præclarius, ac nobilitari dignius factum. Itaq; putandum est, mulieres illas ut fœminas, ut insuetas, statim ad primum armorum aspectum exhorruisse. Nam & ipsa gladiorum micatio est ipsis etiam uiris horribilis. Post ubi sese in consilium uocauere, ratioq; uireis suas coẽgit, & illinc parentes, hinc uiros pugnare, ac sese, aut coniugibus aut patribus, fortasse etiam utrisq; orbas eo certamine futuras reputauere. & quid se in tanto discrimine facere deceret, quid etiã ratio posceret, intellexere, tum quidem non uicto malis pauore, sed forti tum consilio, tum animo in medias acies intulere. At qua mente? ut si impetrare precibus possent, præliũ dirimerent, Sin minus, ut corpora sua parentum ac coniugum telis, idest morti quamhonestissimæ obijcerent. Vir bello acerrimus Aurelianus Augustus non trium

phasset de Zenobia, neq; decem in triumpho mulieres duxisset, quas uirili habitu pugnanteis inter Gotthos ceperat, cum reliquae in praelio fortiter dimicantes cecidissent, quas originem ab ipsis Amazonibus ducere, titulus indicabat. Qualis autem Zenobia ipsa fuerit, ea quae de Odenato uiro eius scribūtur, docere satis possunt. Fuit enim Odenatus uir acer, ac maxime inclytus, quem primam aetatem satis constat exegisse in capiendis Leonibus, pardis, ursis, caeteris'q; syluestribus animalibus, famem, aestus, frigora, pluuias, in syluis ac montibus iusta perferentem, quibus duratum facile postea bellicas difficultates, tum aduersus alios, tum maxime aduersus Persas tulisse, non aliter etiam Zenobia coniuge assueta, quam marito fortiorem fuisse perhibent, solitam etiam inter pedites ipsos uersari, ac plura passuum millia pedibus simul agere, Orientis totius mulierum omnium nobilissimam, & ut Cornelius Capitolinus tradit, etiam formosissimam. Audiamus etiam quae de Zenobia ipse Aurelianus ad Senatum scripsit.

» Audio patres conscripti mihi obijci, quod indignum
» uiro, indignum triumpho fecerim, qui de Zenobia triumpharim.
» nae illi mediusfidius, qui me accusant, abunde etiam laudarent, si sci
» rent quae illa est mulier, qua prudentia, constantia, grauitate, libe-
» ralitate, seueritate etiā cum usus uocaret. ausim dicere Zenobiae fuis
» se, quod uir eius Odenatus Persas uicerit, ac fugato Sapore Ctesiphon
» tem usq; penetrauerit. Possum etiam affirmare, tanto Aegypti, atq;
» orientis populis mulierem terrori fuisse, ut se non Arabes, non Sar
» raceni, non Armenij mouere ausi sint. Haud ego illam incolumem
» esse iussissem, ni scirem quantum inde populo Romano profuturus
» sim, quippe cuius, liberorum'q; eius imperio oriens seruiret.

Sed iam ad audaces redeamus, qui quales sint, cum in prouocando, tum post prouocationem ipsam in conserēdis manibus, Taurea ille Campanus docere satis potest, nam uerbis quàm re ferocior, ut est apud eundem Liuium, cum Claudio Asello milite Romano, quem etiam contempto iure hospitij prouocauerat, equo congressus, ubi aliquantum pugna extracta, sine ullo esset uulnere, minitabūdus'q; dixisset in cauā uiā dimittendum esse, ubi consertis manibus decernerent, nullo ibidem equis ad euagandū dato spatio, et Romanus confestim equū in uiā egisset, ipse repēte concitato equo, Capuā refugit. In quē illud i Drancem Turni dici rectissime potest, quod ei uentosa in lingua, pedibus'q; fugacibus Mauors esset. Et sanè audaces uentosi sunt, ac tumidi, pluraq; sibi arrogant, ut q uideri fortes uelint. Quo de genere sunt etiā Milites gloriosi. Curate ut splendor meo sit clipeo, clarior quàm solis

radij esse olim cum sudum est, solent, ut ubi usus ueniat, contra con=serta manu præstringat aciē oculorum in acie hostium. Hic qui tam multa magnaq; uideri uult promittere, ubi in conspectum aduersa=rij uenit, ut statim se se periisse dicit? ac deprecabundus uapulat, uin citur, tandemq; exsolutus habere se gratiam dicit. Etenim gloriosis=simus quisq; est elata, insolentiq; oratione, atq;, ut seipsum iactat, ex tollitq; sua, sic alienæ laudis est perquam inuidus, & tanquam con-temnit absenteis. Idem ubi in aduersarium incidit, nec uerbis, nec re substat, sed perhorrescit, conturbaturq; tanquam deprehensus. Stoli dorum uero quæ laus esse potest? in quibus nullus periculorum dele ctus, nihil in re gerenda pensi, siquidem magis impetu, ac temeritate rapiuntur, quàm certo animi iudicio, & ita quidē se se periculis obie ctant, ut uix sentiant quid parent, aut quid sequantur.

Audaciam minus quàm Timiditatem recedere à medio.

QVONIAM AVTEM QVALES, Et qui au daces essent, abunde, ut uidemur, expressimus, ac de ti midis satis multa diximus, iam ad forteis transeamus. Nec tamen me præterit, rerum scriptores solere etiam audaciam laudare, Itaq; audaciam ī bello pro muro haberi dicūt, et quam audacissime iri in hostem, atq; aduersus pericula uolunt. Est enim facilius audentem moderari, ac retinere, quàm excitare, atq; im pellere metuentem. Siquidē audaces non tam recedunt à medio, cuius etiam propter fiduciam uidentur esse quodammodo participes. Nunc quod restat quodq; aperire quammaxime cupimus, exsequamur.

De Fortitudine heroica, deq; uiris fortibus.

EXCELLENTEM, ATQVE Heroicam quan dam uirtutem esse fortitudinem plane constat, siquidē in maximis maximeq; difficilibus uersatur periculis, mor temq; contēnit decoris adipiscendi gratia. Et, ut Ma ro inquit, Vitam pro laude paciscitur. Eadem labores, qui per se mo lesti sunt, non modo patitur, uerum etiam perpetitur, in quibus per petiendis exsultat, maiorq; exsistit. Aduersa quoq; ita fert, ut fortu-nam infra se positam habere uideatur, omniaq;, quæ possunt homini euenire, sic contemnit, ut quasi pro nihilo ducat, habita tamen eorum ratione, atq; delectu. Hæc igitur, taliaq; præstare, atq; efficere, gne

rosissimi, & maxime præstantis est animi, qui quod rariores inueniuntur (quãdo præstans omne perrarũ) ideo pleniori quodã ore laudãtur, et in honore, atq; admiratione habẽtur etiã summa. Hos græci ἥρωας dixerunt, quorũ honoratissimũ Herculẽ faciũt, ob toties exanclatas erumnas, totq; monstra ꝑdomita, ut nec iniuria, quæ bellica à multis dicitur, heroicã agnominare placuerit ab heroibus. Hãc igitur qui fuerit amplexatus, qui grauissimis rebus, ac laboribus perferendis, quiq; difficillimis belli periculis, aut peruincendis assueuit, aut ita se se instituit, ut si minus id assequi possit, pulcherrima morte decumbat, is ille est sine controuersia fortis, atq; in heroum numero percensendus. Qui quoniam & timet, & confidit, & tolerat ubi & quàm opus est, & quam ob caussam debet, atq; ut recta monet ratio, nimirum medium, ut diximus, inter audacẽ et timidũ tenet locum, quorum alter cum nimis omnia metuat, necesse est ut parum ad modũ fiduciæ habeat, deterreaturq; ab aggrediendo, alter quia supra uires, supraq; quàm ratio ipsa docet confidit, nec quæ debet, atq; ut debet, metuit, turpiter ab inceptis, atq; ab ijs, quæ aggressus est, ut desistat oportet, corruatq; sub mole rerum, quibus est impar, ut hæc, & alia paulo ante de eodem ipso dicta sunt. Et quoniam nisi assuescendo fortis euadere nullus potest, quod idem de temperato, & iusto dicitur, oportet primum ut assuescat pati laboriosa, dura, aspera, difficilia toleratu, periculosa aditu, per quæ fit ad fortitudinem uia.

» Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
» Argolicum terrorem inter, Troiæq; labores
» Sublatum erudijt. A' teneris se annis istitutum tolerandis militiæ laboribus ac bellorum periculis, ait apud Virgilium Euryalus, & Camillæ illi armentalis equæ mammis, Ac ferino educatæ lacte, pater metabus, Spicula ex humero late suspendit & arcum, Ac pro crinali auro, & longe pallæ tegmine, Tigridis exuuiæ per collum à uertice pendent. Virgilio itaq; authore etiammulier huiusmodi laboribus assueta, egregiam sibi ex fortitudine comperare laudem poterit, unde & uiragnes dictæ, per has etiam artes gens Amazonum immortale est nomen adepta. Quo'circa perpessorem esse oportet uirum fortem, & contemptorem rerum erumnosarum, quibus tolerandis sese intendat ad firmitatem. Idem placide quoq; & sedate adit pericula. Vnde Virgilius ut fuit egregius pictor fortitudinis ait,
» Olli surridens sedacto pectore Turnus,
» Incipe siqua animo uirtus, & consere dextram.

Et profecto

Et profecto ni sedato sit animo, necesse est inter congrediendum turbari eum, atq; confundi. Eundem quoq; uultum, atq; animum in tolerandis malis retinebit, ut non solum non appareat cedere eum, ac ueluti pondere pressum labascere, sed placide etiam, ac sedate ferre, & onus ipsum quodammodo contemnere, atq; ex ipso contemptu sese intendere ad firmitatem. Inter illa, quæ putant cuncti aspera, fortis fui lætusq;. Recte sane gloriatur Thyestes. Irã quoq; abijciet illam, quæ mentem atq; consilium, rationem deniq; ipsam à uero, rectoq; detorquet, Atq; ubi uehementior fuerit, prope ad insaniam impellit. Quámobrem iratus aliquis, aut furoris stimulis percitus, uirum fortem præstare nequit. Cuius rei idem nos admonet Poëta, cum ait.

» Et si continuo uictorem ea cura subisset,
» Rumpere claustra manu, sociosq; immittere portis,
» Vltimus ille dies bello, gentiq; fuisset,
» Sed furor ardentem, cædisq; insana cupido
» Egit in aduersos. — Neq; enim uir fortis cæde lætatur, & tanquam saginatur cruore, quod irati est, ac furentis in acie, quanquam enecat uictoriæ, non necis gratia, quod etiam Liuius confirmat cum
» ait. Cædes inde fugientiū, qualis ubi ira magis, quàm uirtute res
» geritur. Vides ut ab ira uirtutem seperat? Itaq; ferarū est ista sanguinolentia. Et quoniam de heroica uirtute disserimus, heroum quoq; agamus exemplis, à Poëtis ea mutuati, qui fortissimorum hominum facta, præclarissimis sunt uersibus illustrare conati. Quid de Hercule etiam infante in Tragœdijs dicitur?

» — Gemina cristati caput
» Angues ferebant ora, quos contra obuius
» Reptauit infans, igneos serpentium
» Oculos remisso pectore, ac placido intuens,
» Arctos serenis uultibus nodos tulit,
» Et tumida guttura tenera elidens manu
» Prolusit hydræ. — Quid de eodem parante se in pyram conijcere Philocteta refert?
» Quis sic triumphans lætus in curru stetit
» Victor? quis illo gentibus uultu dedit
» Leges Tyrannus? quanta pax obitus tulit?
» Vultus petentis astra non ignes erant.

Quædam etiam nationes, & in ijs Lacedæmonij instituisse dicuntur, ut præcinentibus tibijs, cantibusq; remissioribus, milites in pugnã

procederent. Sedatis enim ac maxime compositis animis, iri ad conserendam manum uolebant. Et tamen in congressionibus deterret aduersarium uir fortis, ac terrentis speciem præsefert, quod de Turno idem Virgilius dicit.

" –Tremunt in uertice cristæ
" Sanguineæ, clipeoq; micantia fulmina mittit.

Claudianus pauorem atq; formidinem Martis aurigas facit. Nec uero leonis illa pellis, Herculeus ornatus, significare uidetur aliud, q̃ quod Hercules, ut erat fiduciæ, atq; animorum plenus, terrorem ijs incutiebat, qui secum congrederentur. Idem ille Turnus, de quo supra est dictum, docet fortem uirum, nihil dolo agere, nihil fraude moliri, sed sola niti uirtute, eamq; unam sequi.

" –Tenebras inquit, & inertia furta
" Palladij, cæsis summæ custodibus arcis
" Ne timeant, nec equi clausa condemur in aluo.
" Luce palàm certum est igni circundare muros.

Et Capaneus haudquaquam passus esset, cum hoste dolo contendere, ut de eo scribit Statius. Etenim fortissimus quisq; cum iusti, honestiq; maxime studiosus sit, Necesse est sit non solum non fallax, sed ueritatis cum primis amicus. Quẽ tamen ut fraudibus uacuum, sic cautum, prudentemq; esse uolumus. Nanq; ut à iustitia, sic à prudentia seiungi fortitudo nequit. Quid enim turpius, quàm decipi, præsertim ubi est de uita, gloriaq; contentio? Cæsar quanquam toties collatis signis, cum Gallis dimicasset, ubi cum exercitu in Africam traiecit, ad pugnandum cunctatior factus dicitur, quod id genus hominum fallax, maximeq; insidiosum esse intellegebat. Quando autem institui, atq; assuescere necesse est eum, qui fortis euasurus est, ac magna est uis exempli, proponendus uidetur huic aliquis, quem imitetur, cuius gloriam tanquam ducem habeat, eoq; quodam quasi authore nitatur.

" Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem. Quid ultra?
" Tu facito mox cum matura adoleuerit ætas,
" Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
" Et pater Aeneas, & Auunculus excitet Hector.

His Aeneas uerbis Ascanium filium hortatur, atq; ad uirtutem inuitat. Euander quoq; ad hunc ipsum Aeneam ait.

" Hunc tibi præterea spes & solatia nostra,
" Pallanta adiungam, sub te tolerare magistro
" Militiam, & graue Martis opus, tua discere facta

Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Intellegebat quantum conferret exemplum, atq; imitatio. Cæsar cum Alexandri sepulcrum inuisisset, ab illo ita discessit, ut iam tum quæ postea gessit, animo conciperet. Alexandrum ipsum liberi patris gloria, tanquam admotis stimulis impulit, ad decus, ad famam, ad immortalitatem comparandam. Minori Africano maior, Maiori pater, patruusq; exempla domestica præbuere. Quamobrem ad fortitudinis laudem adipiscendam, multum etiam conferet imitatio.

De uirtutibus, quæ fortitudini famulantur.

a SSIDET ITAQVE, ET TANQVAM Ministrat fortitudini tolerantia, quæ est æqua laborum, ac molestiarum perpessio, & duritia imbecillitatis, mollitieiq; expultrix. Assidet & patientia, stabilis item & firma perpessio eorum omnium, quæ dura, aspera, difficilia, grauia, erūnosa contingere unquam possunt. Firmitas quoq;, quæ periculosis atque aduersis nullo modo succumbendum esse doceat. Item animi magnitudo, quæ nihil humile, nihil abiectum agi sinat. Fidentia quoq;, quæ uires, atq; animos ubiq; suggerat, & despicientia, quæ mala omnia contemnenda suadeat, cunctaq; præter uirtutem pro nihilo ducenda moneat. Confirmatio etiam, quæ est robusti, ac uirilis animi institutio urgentibus malis minime cedendi. Generositas item, quæ suadeat, cuncta præter decus, laudemq; contemnenda. Præsto est etiam cautio, animiq; compositio, quarum altera doceat non esse periculis temere obiectandum, altera ne dolore, ira, libidine, aut impetu uicti rapiamur. Quid de constantia dicam? quæ non modo fortitudinis, sed temperantiæ quoq; fida comes est, quando dolores reprimit, uoluptates euagari non sinit, resistit periculosis, non cedit aduersis, compescit impetus, iram cohibet, libidini reluctatur, non concutitur repentinis, non opprimitur malorum aceruis, immota, inuictaq;, & ubiq;, ac sibi semper constans. Est huic adiuncta etiam contentio, inde dicta, quod totis uiribus contendat, ut uictrix, composq; euadat.

Qui ob edictum, aut pœnæ metum pugnant, fortes non esse.

l ICET AVTEM ALIO Atq; alio modo fortitudo dicatur, ut plenius explicabimus, hic tamen quem nunc instituimus, quem heroum maxime simi-

lem uolumus, quia nihil habere coactum, nihil arcessitum, sed suis uiribus, suaq; uirtute niti, sibiq; undiq; constare debet, adibit quidem pericula, non ut tirunculus quidam, quem tum edicta Ducum, pœnæq; statutæ fugientibus, tum increpationes commouere soleant, sed quia honestum per se, ac pulchrum ducit fortiter facere. Etenim tiro ubi maior hostium uis ingruit, cui sese imparem iudicet, edictorum oblitus, ac pœnarum, nihilq; infamiam ueritus, statim in fugam uertitur, præfertq; turpissimam fugam morti quamhonestissimæ.

Gladiatores fortes non esse.

e ADEM FERE' GLADIATORVM Ratio est, quippe qui exercitatione freti, ac digladiandi peritia non animi firmitate, in certamen prodeunt, facile enim quæ quis norit, aggredi parat, tentatq;, quæ sæpius est expertus. Quorum euentus in re dubia & aspera, fere' non alius esse solet, quàm quibus aliquid præter spem, opinionemq; euenit. nanq; ubi pericula & hostium impetus longe superarint, mentemq; metus concusserit, nihil est eis fugacius. Et gladiatores quidem, alijq; armorum uel usu uel scientia freti, pugnaces rectius, quàm fortes dicuntur.

Quod sit uiri fortis propositum.

q VO AVTEM Consilio, quoq; animo congredi uir fortis incipiat, apud Maronem Pallas ille demonstrat.

» Aut spolijs ego iam raptis laudabor opimus,
» Aut læto insigni.–

Congredi in animum induxerat, ut aut uirtute uinceret, aut mortem oppeteret quamhonestissimam. Quid autem inde quæratur, quod'ue exspectetur præmium, apud eundem Poëtam Nisus docet inquiens, facti sibi famam sat esse. Siquidem fortis uiri merces, quam appetiscit, pro qua tantos etiam labores subit, laus est, ac famæ decus egregium, quæ recte, honesteq; factorum comites esse solent, quanquam & conscientia contentus esse potest, & suas res sic ab alijs laudari audit, ut ad seipsum potius respicere uideatur. Quo'circa cum & sciat quid paret, & quo' tendat, intellegatq; quid se deceat, & quo-

modo, & quid etiam præstandum sit. Ad hæc cum ab ipsa uoluntate honestæ, præclaræq; actiones proficiscantur, cumq; & ante agendum, & inter agendum, prudens, ac rectum iudicium adhibẽdum sit, quis dubitet uirum fortem non modo scientem, intellegentemq; ad rem gerendam accedere, uerum etiam uolentem, eligentemq;, quo sibi undecunq; ab ipso statim initio continue ad finem usq; quam consumatissime constet?

Fortem uirum maxime in repentinis enitescere.

r EPENTINA QVOQVE, & nec opinata, uel cum primis uiri fortis magnitudinem ostendunt, in quibus eo maior cernitur, quod illis sese inuehentibus non solum non cedit, aut animo consternatur, sed quod maximum est, cum nullus in iis, quæ repente accidunt, relinquatur consilio, atq; electioni locus, nullumq; ad colligendas uires, animumq; confirmandum spatium detur, ipso tamen habitu, & obsistit illis, & ingruentibus obuiam procedit, quod præstare eo est præclarius, quo difficilius. Nam in iis, quæ prouisa & bene ante prospecta sunt, consilium, ratio, ipsaq; animi confirmatio, & ad eligendum, & ad aggrediendum plurimum adiumenti afferunt, Nec quæ prospecta sunt, eo ipso parum opitulantur, quod aut omnino nihil, aut certe parum, quod inopinatum sit secum afferunt, quod deiicere, atq; conturbare possit animum, cum ii, quibus pericula repente obiiciuntur, necesse sit habitu solo nitantur, quando nec in capiendo consilio, nec in ratione ineunda, præsidii se habere quicquam intellegunt.

Fortem nihil simulatum, aut inflatum habere, sed æquabilem, ac temperatum esse debere.

q VAMOBREM CVM OMNIA In fortitudine solida esse debeant, sibiq; apte undiq; firmiterq; constare, nihil fictum, nihil fucatum habere fortem par est, neque esse gloriosum, uanumq; rerum ostentatorem, quanquam locus, tempus, fortuna, res sæpe ipsa, de se, suisq; ut prædicet meritis exigit. At tum quidem ad rem ipsam, atq; ad tempora non ad ostentationem, quæ dicat referre ipsum apparebit.

» Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates
» Classe ueho mecum, fama super æthera notus.
Fuerat enim ad ignota loca, atque ad barbaros tempestate delatus. Et Scipio quo tempore cum Annibale parabat confligere, celsus corpore, uultuq; adeo læto milites allocutus dicitur, ut uicisse eum iam crederes. Et uero fortis uir quo plura gessit, maioribus'q; se dignum laudibus sentit, eo maiorem æquabilitatem, moderationem, continentiam'q; retinere debet, se'q; intra gyrum rationis coërcere. Idem Scipio in medijs difficillimi belli apparatibus, bonarum artium studia non prætermisit, philosophorum scholas crepidatus frequentans, ac post tot uictorias, ne animum tantarum rerum conscium, sibiq; præfidentem insolescere pateretur, in eruditorũ hominum familiaritatibus, multa'q; librorum lectione uersatus est. Quanto q̃ Alexander rectius, quem præliorum felicitas, rerum humanarum, ac sui ipsius immemorem fecit. Quid autem indignius quàm pati eum animum insolescere ob res gestas, quem nunquam casus, nunquam quamuis aduersa fortuna demiserit? ut à quo pectore demissio, humilitas'q; aliena semper fuit, in eo insolentia, tumorq; dominetur, cum inflatio ipsa erroribus referta sit, atq; in falsis opinionibus uersata, turpiter ab omnibus irrideatur, atq; ab illis maxime, qui coràm adulari consueuere.

Qui ob amorem pugnent, forteis non esse.

SED NEC IN ORDINE Fortium collocandi uidentur, qui ob libidinem, amores'q; uel adoriuntur periculosa, uel perpetiuntur tristia. Nam & amantes multa audent, plura etiam, quamuis grauia, æquo animo ferunt, in eo tamen peccant, quod uel aggrediuntur, quæ aggredienda non sunt, uel tolerant, quæ tolerari nullo modo debeant, nec quam ob causam debeant, quippe quibus proposita sit uoluptas ea, quæ homini cum belluis est communis, indignum sanè pretium. Galeatius Mantuanus uir sanè impiger, Papiæ cum hybernaret, forte in ponte puellam, quam unicè amabat, obuiam habuit. Ea ut per blandam aliquam iocandi speciem, amantem ad colloquium inuitaret, quin tu, inquit, bellissime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, è ponte in amnem amoris gratia desilis? hoc ille audito, concitato repente equo, sese demisit in fluuium, quo exanima

to, uix Ticino natabundus emersit. An hic tibi magnus uidebitur? cui nihil aliud tanto fuerit quæsitum periculo, q̃ ut mulierculæ, et quidem iocanti satisfaceret, quæ sese ne id aspiceret, auertisse dicatur. Leuitas hæc est, & quidem plena stoliditatis. Galli, Britani, Germani, sed Galli maxime, dum alius aliam inter amanteis amoris causam, atq; patrocinium suscipit, ut quem strenuum nacti sunt, in certamen prouocant, pugnæ legibus propositis, interdum adeo duris, ut in certamen prodeundum sit, corpore maiore parte exarmato, concurrendumq́; hastis, & equis primo, deinde pedibus res gerenda, cominus gladio, ac securi. Quo quid uideatur stolidius? quippe cum uitam, ob tam leuem, & quidem turpem causam manifestissimis periculis sponte obijciant. Ad hæc adulteri, incesti, atq; id genus legibus damnantur, quas impudentissime uiolant, cum fortes uiri leges tueantur, quippe quæ optimis, & fortissimis quibusq; præmia, honoresq́; decernunt. In Italiæ nobilibus urbibus equestres ludi fiunt simulatæ pugnæ imagine. His in ludis pulchrum est exerceri, cum sit ueræ pugnæ meditatio. In quibus tamen nullus quanquam uictor, potest ueræ uirtutis laudem assequi. Siquidem uerum decus ex imaginario certamine comparari nequit. In quo etiam corporis quàm animi uires præstare magis soleant. Ad hæc in ea concursione emori, quam tantam afferre laudem potest? quando nihil egregium ei est morti propositum. Sed exercitationis huius laus est omnis, quod adolescentibus sit quoddam militiæ rudimentum, nec ueteranos patiatur armorum longa intermissione desides fieri.

De pugnantibus ob iram uel dolorem.

RESTAT ETIAM DE Dolore, iraq́; disserere, qui affectus quantos habeant impetus, Poëta declarat cum ait, dolor iraq; mentem Præcipitant. Siquidem doloris, atq; iræ stimulis agitati, perinde ut cæci in pericula feruntur. Quanquam ira ipsa, quæ rationi obsequitur, qua mouet animos præclaras ad res adoriundas, & tanquam igneis quosdam exsuscitat, est etiam laudanda, neq; enim frustra homini à natura inest. Sed ubi uehementior fuerit, ubi contempto rationis imperio, amens, atque in furorem acta desæuit, tum quid habet, quod accusari iure non debeat? Est autem ira ulascendi cupiditas quædam, uel, ut Cicero definit, libido puniendi eius, qui uideatur læsisse iniuria. Qui uero reponendæ uindictæ dat operam, is utpote

læsus dolet. Est itaq; etiam iræ comes dolor, qui & ipse ulcisci cupiat. Vbi uero ultus quis est, tum sedata ira, doloreq; compresso, uoluptatem ex uindicta capit, atq; eo maiorem quo acerbior uindicta fuit. At fortes honestatem expetiscunt, ac decus, non ulciscendi uoluptatem, per quam ad feritatem dilabantur, sequunturq; non motus inordinatos, ac uiolentos, sed rectam rationem, quæq; ab ea proficiscuntur recta, honestaq; consilio. Quamobrem feritas hæc quidem magis, quàm fortitudo uideri potest, Siquidem feræ ubi uulneratæ telum sensere, dolore, rabieq; præcipites, in percussores rapiuntur. Et huiusmodi quidem homines feri sunt, atroces, sanguinolenti, eorum sunt truces uultus, fœdi animi, impetus quales sæuientium belluarum. Gaudet cruore fœdari sanguinolentia. Exsultat cædendo atrocitas. nihil est feritate impetuosius, nihil magis rabiosum. Quæ uitia longe sunt à uiro forti aliena. Sed quoniam, ut iam diximus, naturale est homini irasci, ac per iram uigor quidam animo sumministratur, qui alacritatem gignit illam, in qua non parum est ad res arduas aggrediendas, easdemq; superandas momenti, uidendũ est, forti quousq; sit irascendum, & quam etiam ob causam, ne rationis præteriens regulam, modum relinquat, quo relicto, non est, cur laudare iram recte possis, à qua ferarum more rapiamur.

Forteis non esse qui præteritis uictorijs confisi pugnent.

PRAETERITAE Quoq; uictoriæ, ac feliciter sæpius tentata pericula animos faciunt, uincendiq; spẽ erigunt. Ob hanc uero ipsam spem sunt qui periculũ adeant, quippe cum confidant nullis interim perpetiendis acerbis, se superiores euasuros, qui mihi haud quaquam temulentis multum dissimiles uidentur, quibus ex uino nihil est confidentius. Etenim temulentia plena est animorum, & spei. Hi igitur cum omnia prospere sibi cessura sperent, hac spe, fiduciaq; congressi, ubi secus quid accidit, statim incepta deserunt, nec reputant, quàm sit turpe terga dedisse, Iudicant enim præstabilius esse ignauiter fugiẽdo uitam tueri, quàm fortiter repugnando egregie cadere. Nec uero multum differre ab iis uidentur, qui rem sibi cum ignauo futuram hoste putant. Itaq; acriter initio rem gerunt, nec tam uiribus freti suis, q̃ hostis ignauia. At ubi aduersariũ resistere, telaq; regerere, ac cominus gladio manum conserturum intellegunt, abiectis armis, fu-

ga salutem quærunt. Quod de Treueris apud Cæsarem legimus, qui arbitrati Labienum fugere, cum flumen transissent, ubi sensere illum signum suis dare, ne primum quidem impetum sustinuere, seq; statim in fugam uertere. Alij ex improuiso adorti, aut plures paucores, aut armati inermes, aut è superiore, sibiq; planè commodo illati loco, his ipsis de causis, certa uincendi spe capta, aduersarium inuadunt, quæ ubi spes frustrata fuerit, ilico pedem referentes uideas, et quidem ad primum aduersarij telum. Quid qui dum se cum imbecillioribus dimicaturos putant, cum alijs præter opinionem, idest cum ignoto congrediuntur hoste? Horum omnium unum uidetur esse consiliū, ut futuros se superiores sperent, nullis tolerandis aduersis, nullo, aut certe quamleuissimo obeundo periculo. Nam fortunæ qui fidit, is externo fauore, non sua uirtute nisus ubi parum aspirantem sibi eam uiderit, statim animum summittit, deq; gradu deijcitur. Quocirca cum ab his longe secus fortis uir sentiat, seq; oppido aliter instituat, an est cur eorum, de quibus loquimur, aliquem in fortium referre numerum debeas?

De fortitudine ciuili, et ijs, qui ob honorem pugnent.

q VONIAM AVTEM IN Bene constitutis ciuitatibus, magna est honorum reuerentia, plurimūq; in ijs opes, ac potentia ualent, egregius quisq; ciuis quo maiores honores consequatur, seq; suasq; actiones ad populi maxime opinionem refert, idq; potissimum & agit, & comminiscitur, quo bene de se ciues sentiant, ut per hanc opinionem honores ipsos facilius consequatur, maioremq; sibi in rep. locum cōparet. Quocirca totos se ad populi uoluntatem componunt. cuius auras potissimum captant, nihil opibus, nihil clientelis potius iudicantes, Et hi quidem honorem expetunt, quem quoniam rebus cæteris anteponunt, pati repulsam, atq; inhonoratos uiuere, turpissimum esse ducunt, quin uita ipsis molestissima esse appareat, si uel exigua honoris, aut famæ iactura subeunda fuerit. Itaq; quæ agunt, honoris causa agunt, cuius sunt quamstudiosissimi, turpia defugiunt, ne procul à republica ciuilibusq; muneribus uiuendum sit. Quare timent opprobria, fugitant increpationes, nihil magis, quàm malam de se populi opinionem ueriti. Adeunt etiam libenter pericula, tolerantq; quæ grauia, et acerba uideantur, quod intellegant fortissimos quosq; à ciuibus maxime honorari, & in pretio esse, ignauissimos uero ia

cere, atq; contemni. Et hi quidem cum de conseruando nomine, authoritate'q; soliciti sint, cum patrias leges, improbam'q; de se populi opinionem cum primis uereantur, cum deniq; honestatem sequantur. Siquidem honesti ipsius, idest honoris gratia, labores, publica'q; munera suscipiunt, ad fortitudinem propius uidentur accedere. In eo tamen peccant, quod non aut tolerant molesta, aut aggrediuntur periculosa, ut fortiter agant, sed id metuunt, ne si cesserint, ex declinatione, & fuga sequatur infamia, atq; inhonoratio. Quamobrem non id primum agunt, ut recte faciant, atq; ut recte agendo decus adipiscantur, uerum, ut infamiam fugiant, deuitent'q; accusationes, ac uulgi rumores, & opprobria, illorum simuliores qui à turpibus se continent, non honesti, & recti gratia, sed id modo cauent, ne conuictos pœna sequatur. Siquidem remotis arbitris, facta spe impune grassandi, nulla honestatis eos capiet reuerentia. In eo igitur à uiris fortibus maxime differunt, quod cum ipsi ciuiles tantum honores & appetiscant, & quærant, satis habent infamiam defugisse, cum illorum animi in sola decoris comparatione conquiescant, & ita quidem infamiam, ac turpitudinem fugitent, ut qui decori assequendo tantummodo intenti sint, Ad hæc noster hic fortis turpitudinẽ propter se uitat, quàm ille ad inhonorationem referat, authoritatis'q; iacturam. Quamobrem quod labores adit, ac pericula, & quidem pudoris, atq; honesti gratia, ciuilis quædam appellata est fortitudo, tametsi ut ostensum est, à uera, perfecta'q; fortitudine multum distet, Titi, Herminius, ac Lartius fortissime rem gerentem Horatium conspicati, cum ipsi à fugiendo destitissent, ita quidem pugnauere, ut appareret eos ignominiam magis ueritos, quàm ut pro patria fortiter agerent, dimicare. Itaq; ad extremum non exspectata pontis ruina, ad suos refugere, quàm in incepto persistere maluerunt. Quo'circa tanti facinoris laus, ac præmium apud Horatium solum mansit, publico totius populi, patrum'q; testimonio. Cæsar in insidias delatus, cum suos fugienteis cerneret, nunc hos manibus prensando, nunc illos obiurgando, scuto denique è sinistra fugientis militis ablato, pugnam fortiter dimicando restituit, atq; ex insidijs cum exercitu sic euasit, ut solus ipse fortiter fecisse, cæteri ob pudorem magis, quàm ob uirtutem rem gessisse uideantur.

De militibus.

AD VERAM ETIAM Fortitudinem proxime uidentur milites accedere, quando labores etiam grauissimos suscipiunt, & pericula adeunt persæpe maxima. Sed cum nunc minis, ac metu pœnarum, nunc exhortationibus, precibusq; adducti, aut prædæ cupiditate capti, aut exercitatione, peritiaq; rei bellicæ freti, magis, quàm uirtute ipsa rē gerant, pugnaces potius, quàm fortes uideri iure possunt. Nec uero inficiamur uniuersas aliquando copias uideri fortiter egisse. Sed cum hæc ipsa uirtus tam sit rara, tamq; excellens, uidendum est quomodo tanta, tamq; eximia laude exornemus etiam multitudinem, cui ut sit idē, quod forti uiro propositum, singuli tamen ut sibi omni è parte constent, fieri uix potest. Est enim res tum in primis difficilis, tum supra quàm dici potest rara. Nam quanquam uirtus expetendam sese omnibus præbet, paucos tamen eius pertingit possessio. Quod siquis unquam uel populus uel exercitus, eiusmodi laudibus dignus fuit, is profecto populus Romanus fuit, cuius hæ laudes propriæ uideātur, propter tam multa ab eo fortissime gesta, ut quod in maximis populis, nationibusq;, uix paucos contigit uel ciues uel imperatores, id Populū Romanum etiam uniuersum contingat. Siquidem non prædæ cupiditate, sed pro patria, pro libertate, pro honestate, pro decore bella, & religiose suscepit, et fortiter administrauit. Qua igitur animi magnitudine toties hostem uicit? qua constantia maxime laboriosas, atq; erūnosas res, et pertulit et superauit, qua etiā alacritate incurrit in mortē, ubi fugæ indignitas uitæ honestati obstitisset? Nec sit mihi nunc de singulis Imperatoribus, aut Consulibus sermo, quos non fabulosa commenta, sed res ipsæ fecere tam illustres, quàm hodie & sunt, & olim erunt. De populo ipso loquor, cuius res gestæ quales fuerint, orbis terrarū perdomitus docet. Omnino militaris siue scientia, siue disciplina, præceptis, atq; exercitatione constat. Quā ob causam milites nō nisi iussi, castra mouent, iter faciunt, signa sequūtur, ac facta pugnandi potestate, manum cum hoste conserunt, freti maxime exercitatione, atq; armorū usu. Quos nūc ira incensos uideas, nūc fame, tanquā feras in pericula rapi, alibi irritant, eos increpationes, aut proposita præmia, timent ignominiā, uerētur infamiā, si cessferint, ac tum hostis gladium, tum imperatoris secures. Consul Romanus ī agrū Gallicum cū traiecisset exercitū, pontē rescindi iussit, ut sublata fugæ spe, milites scirēt oēm in gladio spē positā esse. Qui

reliq fuerũt è clade Cãnẽsi, eos Senatus deportari in Siciliã iussit, nisi bello finito sublata facultate i Italiã redeũdi. Annibal cũ duce Romano in Africa conflicturus, suis edixit, ut quẽ ex acie fugientem cernerent, habitum pro hoste cæderent. Appius Claudius re cum Volscis male gesta, ob militum contumaciam, in desertorem signorum exercitum acriter pro concione inuectus, Centuriones uirgis cæcidit, ac securi percussit. Reliqui sorte decimus quisque ad supplicia lecti. Hæc, aliaq; huiusmodi uim, necessitatemq; afferre uidentur. Cogunt enim, cum fortitudo uoluntaria esse debeat. Horum igitur studium, ac munus est belligeratio, & præda, præsertim ubi mercenarij fuerint, qualis est temporis huius militia. Quo circa exercitatio ipsa, assiduaq; laborum perpessio, frequentiaq; certamina, præstant milites pugnaceis, impigros, acreis, strenuos, alacreis, quæ militares præcipue uirtutes esse dicuntur. Etenim pugnacitas est siue studium, siue uoluntas propensior pugnæ cum hoste conserendæ. Impigros eos dicimus, qui instructo, paratoq; ad militareis labores suscipiendos sunt animo. Acreis, qui uehementeis præseferunt impetus, & uireis quasi maiores. Alacris, qui uolenti, ac læto animo feruntur in hostem. Nam strenuus, quando nomen à sternendo ductum est, à strato sæpius aduersario, aut quod uiribus contendat omnibus, ut illum sternat, dictus uidetur. Ex diuturna itaq; laborum perpessione Milites tum quæ alijs aspera uidentur, tolerant, tum quod in periculis uersati diutius, plura contemnunt, quæ bellicæ rei imperitos terrificant. Iidem quia nouerunt qua ratione ictus aduersarij declinari queant, quomodo etiam petendus hostis sit, nonnunquam armatis inermes occurrunt. Ex quo fit ut fortes uideantur. Non esse autem eos plane fortes, tum quæ supra diximus satis docent, tum qđ ubi acrius hostis ingruerit, aut ubi locus iniquior fuerit, proiectis armis uertuntur in fugam.

Pugnacitas

Impigri

Acres

Alacres

Strenui

Feroceis non esse forteis.

SED NEC Feroceis in fortium haberi numero uolumus, siquidem maiore ferantur impetu, nec qua debeant ratione pericula metiantur. Quinetiam ad feritatem dilabantur. Ad hæc ferox ingenium, & genteis quasdam natura feroceis dicimus. Nemo autem natura, aut ingenio fortis est, quare ferocia hæc aut militum est, aut barbarorum, non uirorum fortium.

Feroces

Exempla ueræ

Exempla ueræ fortitudinis.

ERAE AUTEM fortitudinis exempla græca, u barbaráq; edidere permulti, sed Romanorum longe maximus est numerus, Cuius mihi princeps uidetur Horatius Cocles. Siquidem in summa Reip. calamitate, in maximo, euidentissimoq; populi Romani periculo, urgente grauissimo hoste, pro salute publica, cæteris etiam fugam capessentibus, solus ipse se hostibus obiecit. At quo animo? ut dum pons rescinderetur, hostis impetum detineret, interim pugnando, non quod desperantium est, uitam contemneret, Sed simul, & hostem feriret, & corpus suum, in quo salutem patriæ positam sentiebat, tueretur, non tamen ut mori pro communi salute recusaret. Atque ubi pontem rescissum intellexit, nõ arma proiecit, quibus hostes potirentur, non seipsum in tanta ruina deseruit, sed natabundus ad suos saluis armis rediit. Cuius pulcherrimum facinus, non ciuium modo, atq; inimicorum animos admiratione impleuit, Sed siquid est, qđ Deos immortaleis mortaliũ uiribus factum moueat, cum primis credẽdum est, rarissimum hoc, maximéq; admirandum facinus deos mouisse. Sed o' uocem maxime memorabilem, rediens re infecta hostis, se quidem Romano potitum, solo ab Horatio uictum esse prædicabat. Sequitur Publius Decius Murena, quanquam in re satis dispari. Is Tribunus militum, inducto ab Aulo Cornelio incaute in cauam uallem exercitu, circáq; insessam ab hoste, cum omnia metus plena, ipsúmq; consulem consternatum cerneret, ductis secum legionis unius hastatis, euadẽs in cacumen hosti imminens, pauentibus re inopinata Sãnitibus spatio Consuli ad subducendum agmen in æquiorem locum dato, sua exercitum uirtute seruauit. Neq; hoc facto contentus, Macti uirtute inquit, milites estote, qui alios seruastis, uosmetipsos seruate, digni qui quod pauci pluribus salutem peperistis, nullius ope indigeatis, ne fame ac siti moriendum hic sit, ferro uiam aperiamus. Quid cum hostium castra ui perrupissent, uictorésq; consulis castris appropinquarent? quando, inquit, milites uestrum hoc factum omnis posteritas laudibus feret, lucem expectemus. Neq; enim ciuium seruatores, hostium uictores, tantis è periculis reduces, tenebræ, ac silentium decent. Luce, ac die opus est. Ingressus igitur castra triumphanti similis, non exspectauit ut moris erat, à consule concionem iam habente laudari, sed confirmato ad hostem inuadendum consule, Sãnites sua maxime opera fusos, cæsósq;, et castris exutos reddidit. Postquã uicto

riam aurea corona, & centum bubus, eximioq; uno albo, opimo, au ratis cornibus donatus à consule, ipse bouẽ Marti eximium immolauit, centum boues in milites diuisit, periculorũ, ac uirtutis socios. Vides q̃ hic undiq; sibi constet? Pugna ad Veserim cũ Latinis conserta, cũ in magno discrimine res esset, et iam Romanus Miles læuo cornu cederet, cõsul Decius ut corpore suo rẽ Romanã tueretur, rogato pontifice ut præiret, uerba, qbus se pro legionibus deuoueret, Deos rite precatus, cinctusq; cinctu Gabino, armatus in equũ insiluit, seq; inconfertos maxime hostes immittens signa primo Latinorum turbauit, deinde in totã penitus aciẽ pr̃uadens, cum omnia terrore compleret, ibi magna strage edita, hostiũ telis obrutus ita cecidit, ut ex eo cõsternatæ Latinorum cohortes in fugam uerterentur. Intellegis quàm cõposito animo, uolũtariæ morti pro communi salute se obtulit? q̃ ante q̃ caderet dignũ uiro in tã graui periculo munus edidit? Secutus paternũ exemplũ & filius legitur. Coruinus consul cum in ancipiti esse loco rem cerneret, Agite' dum Milites, ut me in hostem inuectum, ut ferro uiam sternentem uideritis, sic pro se quisq; operã nauate, statim omnia qua maxime stat acies, patefacta cernetis. Quo dicto ipse primus in hostẽ illatus, cum quo gradũ contulerat, statim obtrũcat. Qua è re accensis militibus, ac renouato prælio, Sãnites in fugã se se dedere. Mutiũ Scæuolã minus libẽter hoc in ordine collocarim, q eius factum uideri potest fraude non caruisse. Illud præclarũ, quod errantẽ dextrã ipse tã atroci supplicio affecerit. Barbarus Miles quasi nouũ aliquid afferret, ad Alexandrũ Imperatorẽ Romanũ aditu impetrato, gladio illum confecit in tabernaculo. Feritas hæc est, & quidẽ fraudis, atq; immanitatis plena. Idẽ à Germano milite tentatum aduersum Augustum Cæsarem scriptum legimus.

De quibusdam uiris fortibus.

s ED QVI Romanorum fortissimus fuerit, in dubiũ uerti uideo. Alij enim Lucio Sicinio Dẽtato palmã tribuũt, cuius hæc laus est, ut centies manũ conseruerit, octies ex prouocatõne uictor, Quadraginta cicatricibus aduerso tantũ corpore nobilis, spolia ceperit uigitiquatuor. Donatus ipse hastis puris duodeuiginti, Phaleris uigintiqnq;, torqbus tribus & octogita, Armillis centũ quadraginta. Coronis ciuicis quidẽ quatuordecim, aureis octo, muralibus tribus, obsidiõali una. Alij Marco Sergio, quod tribus et uiginti uulneribus honeste acceptis, ac neu-

tra manu, neutro pede satis utilis, sinistra manu sola quater pugnauerit, Ferreaq́; dextra sibi religata manũ conseruerit. Cremonam obsidione liberauerit. Placentiã tutatus fuerit. Duodena castra hostiũ in Gallia ceperit. Cũq́; alij uictores hominum fuerint, ipse, ut Plinius ait, uicerit & fortunã. Manlij Capitolini decora, eodẽ Plinio teste, his minora nequaq̃ fuissent, si nõ ad ultimũ omnia perdidisset, regno suo inseruiens, Siquidẽ adolescens bina ex hoste spolia cepit. Eques omnium primus murali corona donatus, Sex ciuicas, septem, et triginta donis, Duodetriginta cicatricibus aduerso corpore acceptis, Magistro equitum Seruilio seruato, humero, ac femore grauiter ictis, quodq́; omnium maximum, Capitolio à Gallis defenso. Nec mihi silentio praetereundus uidetur Probus, is qui multis post hos seculis Romanum tenuit imperiũ. Hic bello Sarmatico tribunus, trãsmisso Danubio, multa fortiter fecit, qua è re pro cõcione laudatus est, Donatusq́; hastis puris quatuor, coronis uallaribus duabus, ciuica una, uexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo uno, patera itẽ una librarum quinq; ad rẽ diuinã. quo etiã tempore Valerium Fecianũ adolescentẽ nobilẽ à Quadorũ liberauit manu. unde Valerianus Augustus ciuica eũ donauit, addita legione tertia, quae felix dicebatur, uesteis etiã tripliceis, ac salarium duplex dari iussit. Cui post Aurelianus Augustus decumanos etiã suos credidit. Tacitus quoq; Augustus eũ oriẽti toti Ducẽ praefecit, tradiditq́; salariũ quincuplex, geminauit etiã ornamenta militaria, et Cõsulẽ creauit, ꝙ illũ pro uirtutibus Capitolina maneret palmata. Idẽ Marmaridas acri pugna uicit. Afros rebellionẽ parãtes coërcuit. Aradionem singulari certamine uicit, occisumq́; ingenti sepulcro donauit Trecentorũ pedũ in latitudine. Vicit etiã Palmirenos, maximãq́; orientis partem in Aureliani potestatem redegit. Creatusq́; militari cõsensu imperator, Galliam recuperauit, caesis propè quadringẽtis millibus Germanorũ. Rhoetias pacauit, Illyrios, Sarmatas, finitimasq́; genteis ita cõpressit, ut quae illi occupassent, propè sine bello receperit. Palpherũ latronem Isauricũ cepit. Blẽmeis subegit. Ptolemaidem iuri Romano integrã restituit, suiq; conscius, paucis ante q̃ moreretur diebus gloriatus est, breui se facturũ, ne populo Romano Milites necessarij uiderẽtur. Haec sunt uerae fortitudinis exẽpla, è plurimis hausta et tanq̃ delibata. Reliquũ est, ut quando de Heroica, bellicaq́; uirtute disseruimus, & qui qualesq́; fortes essent expressimus, quae restant quaeramus, si prius tamen uiderimus, quod esse uictoris officium debeat.

De officio uictoris

h VIVS, VT ARBITROR, PRIMA Eſt clementia. Eſt enim uictis parcendum, quatenus tamen ratio patitur, ſiquidem uidendum ne renouari bellum poſſit. Atq; ut ſeditionum principes puniendi, ubi alia ad ſecuritatem nulla eſt uia, Sic imbellis multitudo etiã fouenda. Meminerimus tamen nõ unam eſſe animaduertendi rationẽ, ac nonnunquam nomini noſtro conſulendum potius q̃ peccata uindicanda. Quàm Annibal crudelis in uictos, tá Pyrrhus humanus, ac manſuetus fuit. Alexander incendiſſe regiam illam dicitur, ut furenti ſcorto ſatisfaceret. Alphõſus parci Neapolitanis iuſſit, atq; à direptione captæ per uim urbis ſtatim contineri, fraternæ necis oblitus. Mummus, q Achaicus eſt cognominatus, nõ ſine magna ẽt nota Corithũ ſuſtulit. Quo'circa poſt uictoriã nullus iræ, nullus cupiditati locus ꝑmittendus eſt. Temperãdi ſunt animi, neq; inſoleſcẽdũ ob res ad uolũtatẽ cedentes. Quin cũ maxime è ſententia fluũt oĩa, tunc maxime cõſyderãda eſt rerũ humanarũ ĩbecillitas, fortunæq; incõſtãtia, cogitãdũq; hominẽ eſſe ſe, qua è cogitatione æquabilitas illa gignitur, quæ ubiq;, atq; ab omnibus ſemꝑ eſt laudata. Ita tamẽ amplectẽda placabilitas, atq; lenitudo, ut dignitas retineatur, quæ uacare debet faſtidio. Fugienda cũ primis impotentia nihil ſuperbe, nihil arroganter, nihil auare, improbeq; agendũ. Tyrãnorũ hæc ſunt, ut iniuriæ, ac contumeliarũ plena. Quid de crudelitate dicã, quæ omni eſt humanitate exſuta? Quid enĩ Lucio Sulla immanius? Quid Cæſare uictore mitius? Itaq; illius uictoria nobilitata eſt direptionibus, exſiliis, cædibus. Huius non modo facta, uerum etiam dicta, ſummam humanitatem, ſingularemq; placabilitatem præſeferunt. Videamus
» itaque quid ad Oppium & Cornelium ſcripſerit. Gaudeo me
» hercule uos ſignificare literis, quàm ualde probetis ea, quæ apud
» Corfinium geſta ſunt. Conſilio ueſtro utar libenter, & hoc liben-
» tius, quod mea ſponte facere conſtitueram, ut quamleniſſimum me
» præberẽ, & Pompeium darem operam ut reconciliarem. Tentemus
» hoc modo, ſi poſſumus, hominum uoluntatem recuperare, & diutur
» na uictoria uti, quoniam reliqui crudelitate odium effugere non po
» tuere, neque uictoriam diutius tenere, præter unum Lucium Sullã,
» quem imitaturus non ſum. Hæc noua ſit uincendi ratio, ut miſeri-
» cordia, & liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri poſ
» ſit, nonnulla mihi in mentem ueniunt, & multa reperiri poſſunt. De

his rebus

» his rebus rogo uos ut cogitationem suscipiatis. Nec uero laudamus, quod patriæ bellum intulerit, quando subuertisse omnia uisus est, cum Regiam sellam insedit, togaq; purpurea per urbem processit. Quo'circa dum amicis authoritatem non tribuit, dum se ciuem obliuiscitur, à paucis occisus est. At Scipio tot populorum, ac gentium uictor, non solum ab æquabilitate non recessit, Sed cum uideret iniquius secum agi, curia, atq; urbe sponte excessit. Occiso Auidio Cassio, qui res nouas in oriente molitus fuerat, qua mansuetudine atq; placabilitate Marcus Aurelius Antoninus fuerit usus, Scripta docet ad
» Faustinam uxorem epistola, cum ea immitius consuluisset. Tu qui
» dem mea Faustina religiosse pro marito, pro'q; liberis nostris agis, Re
» legi enim epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris ut in Aui
» dij conscios uindicem. Ego uero & eius liberis parcam, & genero, et
» uxori, et ad Senatum scribam, ne aut proscriptio grauior sit, aut pœ
» na crudelior. Nihil est enim, quod Imperatorem Romanum melius cō
» mendet gentibus quàm clementia. Hæc Cæsarem deum fecit. Hæc Au
» gustum consecrauit. Hæc patrem tuum præcipue ornauit. Deniq; si
» ex animi mei sententia de bello esset iudicatum, nec Auidius esset oc
» cisus. Esto igitur secura. Dij me tuentur. Dijs pietas mea cordi est.
» Ad Senatum autem in hanc sententiam scripsit. Deportati redeāt,
» proscripti bona recipiant, Atq; utinam possem multos ab inferis ex=
» citare. Quare Auidij Cassii liberis, et genero, et uxori ueniā dabitis.
» Quid dicam ueniam, cum illi nihil fecerint? Viuant igitur securi sub
» Marco Antonino. Viuant in patrimonijs parentum, sint diuites, sint
» securi, sint uagi, & liberi, & per ora omnium ubiq; populorum cir
» cunferant & meæ, & uestræ pietatis exemplum. In ipso quoq; uincendi cursu magnopere uidendum, ne studio cædis, aut rapinarū bellum gerere uideamur. Cæsar etiam in hostes mitis. Multa in ipso ciuili bello à Pompeio ac Pompeianis Ducibus fœde, atq; immaniter facta. Sunt enim et sua aduersus hostem iura seruanda. rebus uero compositis obliuiscendum iniuriarum, induendaq; tum amici, tum patroni persona. Cumq; moderate omnia, tranquilleq; administranda sint, hoc non alio assequi modo facilius poterimus, quàm si diligentissime seruatis legibus, operam demus, ut æquo inter omnes iure uiuatur, Secus enim agere, & iniquius se atq; in solentius gerere, quid est aliud, quàm uictoriam fœdare, hominemq; exuere?

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE FORTITVDINE DO MESTICA LIBER POSTERIOR.

SVPERIORE LIBRO SATIS, Vt arbitror, de fortitudine bellica, quam Heroïcam uocauimus, dictum est. Et qui ac quales fortes essent, explicatum. Relinquitur de illa fortitudinis parte dicẽdum, quæ illos potius spectat, qui procul à bellicis periculis uiuunt, quanquam & eos quoq;, de quibus disseruimus, genus hoc laudis pertingit, Siquidem magni etiam duces, tum liberos amisere, tum patria aliquando pulsi, in exsilio uitam egere, aut deleto exercitu sæuiẽtem in se fortunam experti fuere cum maximo rerum, uitæq; discrimine. Quæ pars quando nullum non attingit hominum uitæ genus, de hac quoq; præcepta trademus. Nam quanquam maiores ex bellica fortitudine laudes manant, ex hac certe nõ minus uberes bene informandis, atq; excolendis animis fructus percipi solent. Nanq; in ciuitatibus cum alij resp. administrent, alij rebus tantum suis studentes, priuatam & quidem otiosam magis uitam sequantur, quotus est, qui humanos casus, & reflantis fortunæ procellas nunquam sit expertus? quin singulis pene diebus experiatur? Quid enim in hominum uita communius, quàm ægritudo, luctus, exsilium, egestas, carcer, orbitas, repulsa, infamia? dolores ex patria, liberis parentibus, uxoribus, propinquis, amicis? Quæ aliáq; huiusmodi cum ratio ipsa toleranda doceat, præsto est fortitudo, quæ omnia, quæ contingere homini possunt, magnitudine sua inferiora ducens nõ modo constanter ferenda suadeat, uerum maioribus etiam uiribus statuat superanda. Placet igitur hanc domesticam appellare, Siquidẽ non in bello, bellicisq; laboribus, ac periculis, sed domi, atque intra priuatos etiam penates exsistit, tum fortuitos, aut naturales casus ferendo constanter, tum ea agendo, quæ ad patriæ incolumitatem, authoritatis conseruationem salutemq; rerum tum publicarum, tum priuatarum spectent, ac tum cognatorum, tum amicorum, atq; clientum rebus consulant. Nam & huic quoq; labores, molestiæ, pericula item, et graues sunt casus propositi. Etenim eorum, qui publicas res tractant, referta est uita, nõ laboribus modo, ac molestiis plurimis, sed grauibus etiam casibus exposita. Iam uero qd molestius paupertate? qui acriores morsus, quàm amissæ libertatis, ac patriæ?

Cuiusmodi rerum perpessione, an quæ potest in homine ciuili maior esse gloria? Huic itaq; suus quoq; hostis imminet. An non turpissimũ est frangi doloribus? eneruari uoluptatibus? uinci cupiditate? dedecorantẽ humanæ naturæ excellentiã, seq; etiã infra bestias deijcientẽ.

Quæ uitanda sint.

QVONIAM Autem, ut ab Horatio recte præcipitur, uirtus est, uitium fugere, primaq; sapientia est caruisse stultitia, primũ conandũ est, ut uitia deuitemus, illa præsertim, quæ ipsi fortitudini maxime aduersari uideantur. Est enim imbecilli, & mollis animi, laboriosa, & molesta fugere, quorum è fuga nascitur desidia, effœminatio, et harum comes nequitia. Iam uero qui uinci se à doloribus sinit, habeat necesse est infractum animum, cogitationes plenas langoris, consilia abiecta. Quid? quod quàm dolores reformidat, tam sequitur uoluptates, quibus etiam se se dominandum permittat. Seruile omnino genus hominum horum, atq; in humana effigie belluarum naturam retinens, à quibus qd est, quod publice priuatim'ue expectari laude dignum queat? Ponatur ante oculos Heliogabalus, aut si externa te magis delectant, Sardanapalus, indigni qui inter homines referantur, nedũ ut in principũ numero sint habendi. Quam autem fœda, detestabilis'q; uoluptas ista sit, in ijs libris plenius expressimus, qui sunt à nobis de obedientia scripti. Cupiditas uero malorum omnium ciuiliũ origo, & fomes est. Cuius tanquam è seminario pullulat ambitio, rapacitas, impotentia. Eius etiã illa cum primis noxia, et pestilens uis est, q animũ ab æquo recto'q; ubiq; detorquet. Hæc igitur siue uitia, siue affectus, necesse est domari, & cöerceri ab ijs, q tum rẽp. recte administrare uelint, tũ domesticas facultates conseruare, atq; etiã augere honeste studeant, Quibus cöercitis forti necesse est animo, tum familiares curas obeant, tum ciuilia munera, qbus obeũdis illud stati uidendũ est, ne honestas deseratur. Hac enim deserta, nullus esse fortitudini locus potest. Quo'circa omnis laborũ, ac molestiarũ susceptio ad honestatem referenda est. Honoris etiã, ac dignitatis ratio tenenda. Arrogantia cum primis etiã ab ijs, qui Magistratus gerunt, remouenda est, retinenda tamen maiestas. Quo tempore minime sunt exercendæ simultates. Quod si in contentionem ueniendum fuerit, ita quidem contendendum est, ut appareat, non priuati odij, sed publici boni gratia, talis suscepta esse cõtentio, quæ etiã acerbitate sit uacua. Sed hæc plenius ab ijs tractantur, q de gerenda republica præcepta tra=

dunt. Sicut igitur ciuilia munera fortiter ab illis obeũda sunt, q̃ in magistratu constituuntur, omnisq; cogitatio, et cura ad publicam salutẽ referenda, ita quæ aduersa contigerint ferẽda constanter, quæ ut multa ẽt contingant necesse est, propter rerũ humanarũ incõstantiã. Quo tempore maxime debet elucescere ingenij uigor, firmitasq; animorũ, & uires ipsæ magis, ac magis intendendæ, Capiendáq; consilia aut plena roboris, aut saltem nequaquam imbecilla. Exsistunt persæpe & in republica seditiones, quæ arte, industriáq; cõpescendæ sunt, quæ ubi sedari, & coërceri nequeunt, fortissime eundum est contra, proq; libertate oppetenda mors est. Exsistunt & aliæ tum difficultates, tum pericula, quibus uigilando, agendo, multa prospiciendo firmiter occurrendum sit. Quæ quidem efficiunt ut urbanæ res nequaquã bellicis minores nonnullis uisæ sint, nec minus clara, utiliáq; uideantur, quæ domi geruntur, atq; in toga, quàm quæ foris, atq; in caliga. Quo'circa moderantem Remp. cum primis uirilem, maximeq; confirmatum habere animum oportet, propter multa tum laboriosa, & molesta, tum dubia, & aspera, quæ plurimis è locis, atq; causis soleãt tanquam pullulare. Atq; hæc quidem de illa domesticæ fortitudinis parte, quæ rerũ publicarũ administratores attingit, satis sit admonuisse.

Officia fortitudinis domesticæ.

PRIMA VERO ET Præcipua domesticæ fortitudinis laus est illa, quod cum nonnulli summum malum in dolore posuerint, Quidam summum bonum in indolentia, doceat non modo constanter ferendo dolori resistere, uerum etiam uiriliter repellendo eum superare. Sed cũ sint multiplices dolendi causæ, ac tam aperte fortunæ ictibus simus expositi, difficile dictu est, cuius doloris morsus sint acriores, cum nõ omnes uno modo aut dolorem metiantur, aut doloris causam reputent, & cuiq; ferè, in quo tunc est dolor, maximus uideatur. Sed circunspicienti res humanas, & causas consyderanti, nimirum ut uoluptatum, ac bonorum delectus est aliquis, sic & dolores inter se differre apparebit, non solum magnitudine, uerum etiam qualitate. Quis enim non iudicet maiorem esse iacturam præstantis filij, ac magnum in republica locum tenentis, quàm infantuli? eius, qui sit unicus, quàm qui in aliquo liberorum numero? qui reipublicæ suæ princeps falsis populi accusationibus in exsilium pulsus est, quàm qui priuatus ciuis, & nocens?

De toleranda euersione patriæ.

q VONIAM AVTEM optimus & generosissimus quisq; ciuis patriam cum primis amat, necesse est ut huic ex patria euersa dolor sit quam acerrimus, in qua non solum genitus sit, altus, educatus, sed liberos quoq; sustulerit, honores tulerit, magistratus gesserit, ac magnorum uirorum familiaritates, & amicitias iunxerit. Itaque quo maior & diuturnior est ex amissa patria dolor, eo firmiorem habere animum oportet, & tanquam acrius futurum sit maiore cum hoste certamen, armis sese ualidioribus instruere. Cumq; non prædã ex agris, sed arcem ipsam peti sentiat, coactis in unũ uiribus pugnabit. Esse ut hominum sic & urbium interitus, futuram quoq; aliquãdo orbis deflagrationem, proponet sibi ante oculos Athenas, Lacedæmonem, Thebas, Crotonem, Tarentum, Beneuentum, Capuam, Syracusas, Numantiam, Carthaginem, Romã, Ipsas quoq; nationes stirpitus esse sublatas, deleta Imperia, Reges extinctos, & genus ipsum hominum aliquando uniuersum, pene absortum diluuione fuisse, nec indignandum esse, manere nostram quoq; remp. commune omnium fatum. Quæ acciderint, naturalia esse, & quanquam rara, tamen necessaria. Nihil enim, quod aliquando cœperit, non interiturũ. Multum etiam ad consolãdum conferet illorum enumeratio, qui fortiter & ipsi sustinuere. Hiq; tanquam socij adsciscendi sunt. Proponatur ante oculos Clitomachus Carthaginiensis, qui non ipse tantum forti animo tulit, sed ciues quoq; cohortatus est suos ad excidiũ patriæ uiriliter ferendum. Proponatur etiam Stilbon Megarensis, qui patria capta, ac direpta, interroganti Demetrio nihil se amisisse respondit. Nam Archimedes Syracusarum direptionem ne sensisse quidem uideri potest, qui radium tenens, ac lineas ducens, geometricæ figuræ contemplandæ intentus cum esset, a milite confossus fuerit. Talibus igitur munitionibus, & his tanquam propugnatoribus tutanda est arx, sedandusq; initio dolor, post etiam ex animo repellendus.

De tolerando exsilio.

p ROSCRIPTIONIS, Exsilijq; facilior consolatio, atq; ut in deleta patria ipsa necessitas, rerumq; humanarum conditio, sic in adempta restituendæ illius spes solari uehementer potest. Plurimi enim ab

exsilio reuocati leguntur, id quod quotidie uidemus. Cicero de se re stituto etiam gloriatur. Quid? quod alij sponte in exsilio mansere, ut Rutilius, alij ipsi sibi illud elegere, ut Scipio, qui quam ciuitatem tot non modo uictorijs exornauerat, auxeratq; imperio, uerum etiam à calamitosissimo, ac diuturno bello liberauerat, in ea uiuere noluit. Metellus quoq; in exsilium ire, quàm Saturnini Tribuni plebis iniquissimas leges pati maluit. Albutium æquissimo animo Athenis philosophatum legimus, Marcellum Mitylenis. Publius Ouidius exsilium non solum tulit fortiter, uerum multa quoq; in eo scripsit. Cuius quid esse potest illa uoce firmius?

» Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
» Vt uolucri uacuo quicquid in orbe patet.

Pallas Stroctia Florentia pulsus, Patauij ita uixit, ut exsilium ad otium literarum conuertisse uideretur. Et superior quidem Tomitanos, apud quos exsulabat, quanquam barbaros, atq; efferatis moribus, traxit tamen ad studia literarum, sua etiam illorum lingua multa scribens, quæ frequenti populo recitauerit. Quid? quod integræ aliquando nationes, deserta natali tera, sedeis alias quesiere. Quid enī tot græcorum coloniæ, nisi uolútaria exsilia, aut olim fuere, aut nūc sunt Illyricorum? Qui nuper in diuersa Italiæ loca migrauerunt. Vrbes quoq;, quas incolimus, quo frequentiores sunt, eo plures in ijs esse uidemus, qui patria sponte excesserint. Ac ne te illud moueat, qđ non ibidem manere ubi natus es potes, illud respice, omnia incessabili motu laborare, ac nihil in teris esse, quod in quo primum cœperat, consistat. Nam quod carissima multa, et animo tuo maxime grata relinquenda sunt, consolari te uehementer potest, uel quod uirtutes tuæ, quibus nihil esse carius, nihil tibi gratius debet, tecum profecturæ quocunq; terarum sunt, uel quod breui non solum multa, uerum etiam omnia necessario tibi relinquenda erunt.

De toleranda repulsa.

ET QVONIAM Plurimum quidem ab ijs, q̃ respublicas gerunt, honori tribuitur, estq; magna populi opinio de ijs, qui magistratus gerunt, necesse est ut dolor, qui è repulsa concipitur, & magnus, & acer sit. Mouet enim indignitas rei, & quod alios præferri sibi difficile est pati. Sed consolabitur nos, tum conscientia nostra, quod ita quidem uixerimus, ut digni eo munere uideremur, tum populi inconstantia, & falsa plerunq; opinio, & quod multorum est capitū bellua, ut in

quit Horatius. Ad hæc quod multi & magni quidem uiri, spretis publicis muneribus, ad uitam se priuatam contulere. Qua constantia tulit Cato etiã duplicem repulsam? Qua Lælius et sapiẽs, & bonus uir? qua ẽt Publius Nasica uir optimus Senatus iudicio comprobatus? Refert Cicero scriptum apud Fannium fuisse, Publiũ Rutilium fratris repulsam consulatus, tam ægre tulisse, ut ob eã causam è uita recesserit. O' fractum, atq; abiectum hominẽ. At Diocletianus qua erat despicientia rerum humanarũ, Romano se imperio abdicauit, ad qđ gerendũ cum reuocaretur, uocatis in hortos suos oratoribus, ita quidẽ respõdit, ut rogaret eos lactuculas inspicerent, quas manu sua et seuisset, et coluisset. Quo dicto declarauit pluris se uitam illã quietam, et tranquillã facere, q̃ redire ad imperiũ administrandũ. Sulla quanquã honoris cupientissimus, dictaturã tandẽ deposuit, passus & ipse in præturæ petitione repulsam. Augustus non semel cogitasse dicitur de administratione Reip. Populo Romano reddẽda, nec desijt, ut Seneca tradit, quietẽ sibi precari, & uacationẽ à Republica petere. Ergo quod tempus, quod satietas potest in homine bene instituto, ratio nõ poterit? Quo'circa non modo patienter ferenda repulsa est, uerum etiã oblati honores nonnunquã recusandi, ut nobis ipsis uiuere aliquando possimus. Nec uero uita procul à Republica atq; à gerẽdis magistratibus improbãda est, quãdo, ut Horatius recte censet, "Nec uixit male qui natus, moriensq; fefellit. Nec solũ autem philosophi, ac literarũ studijs dediti, Sed principes quoq; ciuitatum, in agris procul à publicis administrationibus id sibi uitæ genus consilio delegisse uidentur. Quo tempore haud scio an etiam gloriosiores, magisq; admirabiles essent, q̃ cum in foro, curiaq; uersarentur.

De toleranda paupertate.

d IVITIAE Quoq; quoniã tanti habentur, ut in eis nonnulli bonorũ finem collocare sint ausi, paupertas non solũ quia difficilis et anxia, sed quod opprobriosa sit, et dolore afficere, et contrahere aĩum solet. Desunt enim instrumenta, tum ad liberalitatem, splendorẽq;, tum ad usus uitæ alios ẽt necessarios. Quo'circa minime toleratu facilis uidetur. Quinimmo et animũ conficit, et pressu suo uehementer deijcit. Sed præsto' erit fortitudo, quæ doceat naturales illas non esse, imo, ut quotidie uidemus, multis exitio fuisse, quarũ cupiditate et studio uita hominum in primis uexetur. Quippe cum habẽdi libido uix unquam satietur, quo'q; plura possideantur, magis augeatur, atq; excrescat, eius sunt furta, compilationes, latrocinia, fœnora, falsæ obsigna

tiones, rapinæ, & pleraq; mortaliũ mala. Contra multos in re tenui uixisse honoratos, plenos fidei, probitatis, sapientiæ, gloriæ. Cumq; paupertas liberior, & magis secura sit, Idcirco nonnulli, & præstantes quidem uiri, aut abiecerunt illas, aut parum omnino curauere, in quibus & philosophi permulti, ut Democritus, Crates, Epicurus, Zeno, sed longe maximus est Christianorum numerus, q sorte sua læti, cum intellegerent modicas naturam contentam esse, spretis diuitijs, uiuendi securitatem secuti sunt. Fabritius cœnabat lætus fictilibus suis. Seranus agresti mensa; qui tamen et quales tum ciues tum Imperatores. Atilius & Cincinnatus ab aratro ad summos magistratus uocati sunt. Atilio Regulo fortissimo uiro exiguus fundus satis fuit. Aemilius Scaurus Romani Senatus sua ætate princeps, in parua pecunia claruit. Aemilijs sesdecim uno tempore unam domunculam fuisse, & fundum unum apud Valerium legimus. Pauli, q Persen duxit ante triumphum, tam exilis census fuit, ut post mortem satis non esset ad uxoris dotem redhibendam. Cn. Scipionis filia ex publico dotata est. Quid? quod Publio Scipioni funus de publico exolutum ob rei familiaris angustias. Menenio item Agrippæ iusta à populo facta, collatis in capita sestantibus. Valerio Publicolæ mortuo funebris lectus, & rogus defuisse dicitur. Itaq; ob domesticas diuitias literatorum hominum, aut principum in Republica, nemo habitus est melior. Senecam diuitiæ non probiorem reddidere, sed maledictis hominum magis expositum. Quare ob amplitudinem pecuniæ, quæ illum secuta mors est? Quæ tot Græciæ principes causa, tot Romanos in exsilium expulit, nisi habendi cupiditas effrenatior? Franciscus aliquot ante seculis, nuper Bernardinus tum res humanas despiciendo, tum docendo quàm essent contemnendæ, uterq; post mortem in deorum numerum hominum consensu relatus est. Nihil possedit Paulus gentium institutor. Socrates oraculo sapientissimus iudicatus, modico contentus uixit. Hieronymo christianæ religionis acerrimo assertori, non domus, non fundus fuit, & ne Christum ad exemplum citem, paupertatis atq; inopiæ solitudo & herbæ Ioannem Baptistam sic aluere, uti diuina uox eius è desertis eruperit, homines ad Dei cognitionem, atq; ad bene uiuendum inuitans. Sed fuerint hi religioni dediti, atq; in solitudine uiuentes. An tibi uideatur Iulianus Impetor religioni inseruisse, aut in solitudine uixisse, qui et Christum contempserit, & Romanum Imperium tenuerit? Is igitur apud quos ho
» mines? palàm in exercitu concionabundus. Mihi, inquit, milites, nec
» facultates suppetunt, nec propinquitas generi, quamuis ortus sim no-

» bilis, præter solum pectus omni liberum metu. Nec pudebit Impe
» ratorem cuncta bona in animi cultu ponentem, profiteri paupertatem
» honestam. Nam & Fabritij, quanquam re quidem familiari satis
» angusta, gessere bella etiam grauissima, & gloria mirum in mo-
» dum abundauere. Hæc igitur, aliáq; eiusmodi ante oculos propo
nentem, licebit non modo paupertatem ferre patienter, sed illam etiã
ridere. Sed sit hoc difficilius. Illud certe non modo non est difficile,
uerum etiam naturale paupertatem, tranquille traducere, quando
natura paucis contenta est, ac uir bonus eam sequitur ducem.

De seruitute toleranda.

i AM VERO Libertas inter præcipua bona cum habeatur, quid libero homini accidere seruitute indignius potest? Sed si excutere uim fortitudinis uolumus, non alia in re tam se acrem, tamq; robustam, quàm in captiuitate uiriliter tolerãda præstabit, cum amissa libertate, quæ nostra erant omnia simul amissa uideantur, patria, parentes, uxor, liberi, amici, necessarij, domus, fundus, supellex, pecunia, honor deniq;, ac decus omne, ut perferendis ijs tormentis, quæ illorum amisso rum memoria, ac dolor admouet, eo firmior et contentior futura sit, quo casus hi ut difficiliores, grauioresq; uirilius, contentiusq; ferendi sunt. Quid autem præclarum, quod non idem arduum, ut Cicero ait, quos ut æquius feramus, proponendi ante oculos sunt non priua ti modo ciues, aut philosophi, sed clarissimi etiam duces, ac Reges. Iu gurtha regno amisso Romam captiuus ductus, ad carceris ostium etiam iocatus dicitur. Charolus Malatesta uictus, captusq; à Philippi Mariæ Mediolanensis ducibus, admirabilem in captiuitate præsegesſit animi firmitatem. Alphonsus Rex Neapolitanus non animum mo do generosum, uerum etiam regiam dignitatem captiuus retinuit. Quinetiam potentissimos populos seruire sæpe contigit, & quotidie etiam contingit. Seruiuit Atheniensis populus Macedoniæ Regibus. Carthago Romanis primo, post & Vuandalis. Ipsa mundi caput Ro ma, pressis tandem ceruicibus, Gotthorum iugum seruiliter traxit. Non multis ante annis Constantinopolis cum reliqua Græcia religan das manus Turcarum insolentiæ præbuit. Igitur quod florentissimi populi, maximi etiam Reges passi sunt, & nos ita tolerabimus, ut re rum humanarum conditionem ignorare minime uideamur. An in dignaberis homuncule ijsdem te, quibus & Reges, & nationes legi-

bus ſubiectum eſſe? At graue eſt ſeruire, graue profecto, huma- num tamen, quod nec uni, ſed innumerabilibus, non raro, ſed ſæ- piſſime contigit. Quo calamitoſius quid eſt, in eo perpetiendo, tanto maiores, atq; admirabiliores apparebimus. Quid enim ſpectatius, q̃ contra fortunã obduruiſſe? Ignis aurum explorat, tempeſtas guber natorem, bellicæ Imperatorẽ difficultates oſtendunt. Fortem uirum, quem iure uirum dicimus, difficillima quæq;, ac maxime calamito ſa probant. Nihil poteſt tam acerbum contingere, quod non æquus animus tolerando maturet. Nihil tam anguſtum, in quo non euagari animus ſuapte natura liber queat. Illud quoq; præcipue conſyderan dum, deſiiſſe durum, ac miſerum eſſe, in quo nos diutius conſuetu- do detinuit. Quod olim Spartiatæ ſentientes, pueros aris admotos, donec multus è uiſceribus ſanguis flueret, uerberibus cædendos inſti tuerunt, quo à primis ſtatim annis, aſſueti comprimendis doloribus diſcerent patibiles illos eſſe, nec iudicarent ærũnoſum, in quo ab in eunte ætate conſueuiſſent. Sed cum ſit triplex captiuitatis genus, pri- mum tolerabilius eſt, quod ei propoſita ſpes eſt libertatis redimendæ. Qua in re ſolus ferè, aut herus, aut carcer uidetur patienter tolerã- dus, ut nuper Brocchardus Perſicus nouem circiter annorum carce rem ſic pertulit, ut interim plura ſcripſerit, uerſibus etiam multa iocatus. Quo in tempore conſolari multa poſſunt, memoria rerũ præ teritarum, ſpes etiam futurorum, lectio item aſſidua, & quod fortu- næ ſiue ludus inconſtans ſit, ſiue rerum humanarum conuerſiones naturales, ac neceſſariæ. In ſecundo uero maius, tetriusq; malum, ſeruitus propoſita eſt abſq; ulla plerũq; ſpe ſui in libertatem uindi- candi. Quocirca & conſilijs, & rationibus neceſſitatis utendũ erit, nec committendũ, ut ægre ferendo, quod eijci nulla ratione poteſt, onus grauius premat, quin uires ipſæ magis, magisq; intendendæ ad firmitatem ſunt. Etenim onera contentis uiribus, minus ſentiuntur, remiſſis, preſſius grauant. Cumq; cætera nobis bona ſeruitus ab- ſtuliſſe uideatur, ne animi quoq; bona auferat, uiriliter pugnandum eſt. An etiam illud uerebimur, ne fidem, probitatem, continentiã, par ſimoniam, taciturnitatem, optimas cogitationes, æquam mentem, re- ctam conſulendi, ac ſentiendi rationem nobis eripiat? Eripitur quidẽ libertas inuito, ac repugnanti. Bona uero animi, præterquam uolen- ti eripi nullo modo poſſunt. Non extorſit fidem, non integritatem, nõ regendi prudentiam Niceto, amiſſa libertas, qui Rheginorum Ty- ranno, cui ſeruiebat, mortuo, liberorum illius cura ex teſtamento do- mini ſibi tradita, ea Imperium authoritate adminiſtrauit, uti Rhe-

ginus populus seruo parere non indigne ferret. Post adultis liberis, ea fide, domesticas opes, atq; imperium gubernãdum reddidit, ut uix exiguum uiaticum secum detulerit, quo redire Olympiam in patriam posset. Mihi quidẽ uidetur, Niceto seruitus ornamento, ac gloriæ non opprobrio fuisse. Non detraxit Aesopo captiuitas aut animi firmitatem in neruo apud iudices, aut fidelitatem aduersus herũ periclitantem. Cuius constantia eo fuit admirabilior, quod ab ipso nullis extorqueri tormentis potuit, quod postea dominus etiam confessus est. Latitantem in agro Reatino Vrbinum seruus cum alia saluum facere ratione nequiret, irruentibus qui illum conficerent militibus, domini ornamentis indutus, proq; domino in cubiculo quiescens, iugulum suum præbuit, ac pro domini uita suã sponte obtulit. Quæ unquam pietas, aut animi gratitudo, quæ tanta uitæ rerumq; humanarum contemptio, comparari cum hac poterit? Nescio an quorum aliorum bello punico secundo fidelior, fortiorq; fuerit opera q̃ Volonum. Nobiles quidam grammatici, clari etiam Philosophi, ac Poëtæ serui cum fuerint, docere satis possunt etiam in hac seruilis uitæ conditione ingenuis artibus, ac liberalibus studijs locum suum relictum esse. In tertio mors ipsa, & quidem indignitatis, & contumeliarum plena plerunq; exspectatur. Cuius facies eo fœdior, ac miserabilior apparet, quod sit etiam sepultura carendum. Hoc cuiusmodi futurum sit non sentienti, quis non uidet? ac si differre quicquam habeat, uermibus'ne, an coruis esca sit prutridum, ac fœtẽs cadauer. Mori uero in carcere, an opprobriosum cuiquam uideri potest, in quo Socrates mortuus, è quo Aristides ad supplicium ductus? alter sapiẽtissimus uir, alter innocentissimus. Vnde tot etiam è christianis sanctissimi uiri ad cœlum migrauerint? In morte autem cum duo consyderanda sint, mors ipsa, & mortis genus, de morte quidem sic est sentiendum, humanorum finem esse malorum. Ac licet arcessenda, aut consciscenda nunquam sit, nec dei sit iniussũ è uita migrandũ, semper tamen in meliorem partem accipienda est, per quã parata sit bonis æterna quies, fruendumq; cum Dijs immortalibus æuo sempiterno. Quod ut assequamur, petenda est à Deo peccatorum uenia, cuius ea lenitas est, ut facile placetur, si pœnitere ex animo senserit. Quam ad rem omnis animi conscientia, cogitatioq; uertenda est, sperandumq; nullum esse tam detestabile peccatum, quod ille non sit condonaturus, dum ex animo nos pœniteat. Quo in tempore id præstandum est, quod præstari ab illis solet, qui longum & difficile iter suscepturi sunt. Hi enim cæterarum re-

rum pene obliti, solum in iter ipsum intenti sunt, id solum cogitant, id unum meditantur, atq; animo praecipiunt, & opera susceptũ conficere student. Quod si quis ita persuasum habeat, ut interire simul cum corporibus animos credat, hunc illa consolari merces potest, quod carendum sit perpetuo malis omnibus, atq; ut nihil post mortem boni, sic nihil etiam mali. quod autem maius pretium, quàm perpetua malorum omnium carentia? Cui illud fortasse morte ipsa grauius uidebitur, quod cum in uoluptatibus sensuum omnia reponat, moriendo amittat, propter quod uiuere solum uelit. Quod si reputauerit quot, quantaq; ex uoluptatibus pullulent mala, quot afferantur tormenta, & sensibus, & corpori, in quo omnia collocauit, desinet admirari tantopere uoluptates. Quid obsecro boni habet ebrietas, immo quid non potius mali? quando omni è parte turpissima est. Quid usus ueneris, nimiaq; illa resolutio, quas afferre solet aegritudines? quas coenae regales, atq; assiduae? quid eneruata mollities, et langor deses, atq; iners? ut facile in his mali plurimum sit, illic minimum boni, aut quicquid est certe quàm breue. quos cruciatus afferunt laterum dolores? quae tormenta admouet podagra? Quibus stimulis pungit capitis ad pulmones, atq; ad pectus abscessus? Quid suppliciorum est in cruditate? Qui tortus in neruorum doloribus, atq; in urinae difficultate pugiones? Nam langorem, atq; desidiã muscarum, pulicumq; aculei tantopere turbant, ut ad eorum infelicitatem muscae natae uideantur. Quid igitur de ijs sentias, quorum tam expetita bona muscae, pulicesq; contaminant? Sed iam mortis genus uideamus, an quem mors ipsa non terret, terrere debeat mortis genus? Atqui in re militari, bellicisq; difficultatibus maior è maioribus periculis laus manat, ac gloria. Nec uicisse imbecillum, & fugacem hostem, sed strenuum, acriterq; resistentem, manusq; conserentem, hoc illud decus est, haec uirilis illa, & homine digna, plausibilisq; commendatio. Vbi enim, aut quae è re tanta esset fortitudinis cõmendatio, nisi tum malorum reliquorum, tum mortis ipsius, quam optimus quisq; numerabit in bonis, tam foeda, ac terribilis species offerretur? Ad eam igitur fortissimo animo, rerumq; omniũ contemnentissimo eundum optimo cuiq; est. Qua contempta, & moriendi genus contemnatur necesse est. Iulianus moriens cum uideret qui aderant mortem suam ferre impatientius, uehementer eos increpasse legitur, quod humile esset, coelo Dijsq; conciliatum principem lugeri, quinetiam ijsdem adstantibus, cum Maximo & Prisco grauissimis philosophis de animorum aeternitate subtilius disputasse. Cumq;

tasse. Cumq; ipsum terrere genus soleat, aut propter propositos cruciatus ante mortem, aut quod iacendum sit sub dio, alterum obduratissimo animo ferẽdum est. Siquidem infracte fereti omnia sunt grauiora. Alterum omnino contemnẽdum, quando eorum, quæ post mortem corpori accidunt, nihil ad mortuum pertineat. Regulus quo animo ultimos, et longos cruciatus sustinuit? quid sustinuit? qui ita uicerit, ut uix sensisse illos uideretur. Quàm generosa, & uirilis illa Laurentij uox. Verte, inquit, assum hoc est. Ipsi spectauimus annis superioribus Maurisium seruum, cum à Neapolitano prætore candenti forcipe concideretur (liberum enim hominem occiderat) traheretur'q; per urbem ad maius supplicium, nullos unquã eiulatus misisse, non uultum mutasse, non statũ corporis. Quin cum pectus, brachia'q; ad neruos, ossa'q; ustilata, & concisa essent, protento collo, ita os carnifici obtulit, ac si secum non ageretur. At non sentiebat, quid ni, qui etiam ignito ferro cæderetur. Nec breuis erat dolor, sed diuturnior, nec ex una tantum corporis parte, sed simul è pluribus. Omnia tamen uicit animi obduratione, ac pertinacia. Eiusdem nationis seruus, cum domini mortem uindicasset, inter tormenta, ridentis semper speciem gessit. Nobis pueris duo Asculani iuuenes iussu Ioannis Sfortiæ, qui urbi præerat, in carcerem coniecti, cum à custode carceris accepissent, mane se ad capitis supplicium educendos, Dij boni, qđ exemplum posteris reliquere. Lyram sibi afferri rogauere, & cœnam quammaxime opiperam. Quibus impetratis, ubi summa cum uoluptate cœnassent, in cantu, choreis, ac lusibus reliquam noctem exegere. Macti uirtute, qui non è squalore & lacrimis, sed è conuiuio ad mortem profecti estis. Quid duos Zenones commemorem? quorum alter quanquam conuictus, ipse tamen doloris uictor, nedum ut conscios delendæ Tyrãnidis indicaret, Agrigentinos ipsos ad conficiendum Phalarin inuitabat. Alter tanquam supplicijs expugnatus perinde, ac conscios indicare Clearcho uellet, aurẽ Tyranno mordicus arripuit. Quid Anaxarchum, Syracusanum'q; Theodotum? è quibus hic omnibus modis excruciatus, tandem uictum se malis simulans, à socijs consilij sui, in Thrasonem, qui Hieronymo maxime carus, fidusq; erat, atq; in insontes quosdam alios auertit indicium. Ille à Timocreonte Rege captus linguam in faciẽ eius exspuit, dum post laceratum reliquum corpus, linguam quoq; excisurum se minitatur. Plena est exẽplorum nostra, idest christiana historia, nec duos licet, aut treis ex ea proferre, sed plurimos, nec sigillatim, sed gregatim, nec uiros tantum, sed mulieres, easq; non modo natu grã=

diores, uerum etiam puellas, quarum animi esse solent maxime imbecilli. Quibus exemplis confirmati, non mortem modo patienter ferendam, sed genera mortis contemnenda esse doceamur. Quid quod alij dum offirmatis animis cruciatus perferunt, & uitæ, & uoti compotes euasere? In quibus Aretaphila Cyrenaica, quæ in ueneno deprehensa, dum à Nicocrate Tyranno, à quo in matrimonium ducta erat, Phædimo priore marito per dolum occiso, omni tormentorum genere torquetur, præposita etiam quæstioni Caluia Socru, ita sibi constitit, ut absoluta deniq; per Leandrum generum suum Tyrannum interemerit, quem Leandrum, cum idem ipse post fratris necem Tyrannidem occupasset, Anabilybis opera, quem pecunia corruperat, usa, popularibus suis occidẽdum præbuit, qui culeo insutum in mare proiecerunt. Itaq; supra muliebrem naturam offirmate ferendo, & uitæ suæ consuluit, & patriæ, quam in antiquam libertatem restituit. Puer Alexandro sacrificante, dum candentem carbonem acerra prolapsum, brachioq; exceptum non excutit, Mutius dum errantem dextrã sponte in ignem inijcit, docere satis possunt, quantum in animis hominum firmitatis sit, ac roboris, si constare ipsi nobis uelimus.

De cæcitate, & malis alijs corporis.

DE CAECITATE Oculorum, de manuũ, pedumq; contractionibus, de surditate, de totius interdum corporis debilitate, de omni deniq; casu ferendo ubi calamitas, eadem ratio est. Vincenda est sensuum mollities, adhibendusq; in consilium animus, & ita in acie standum aduersum corporis mala, ut cum imperare animus debeat, ignauiter, effracteq; à corpore uinci, & tanquam in fugam uerti nullo modo patiamur. Nec mihi satis constanter egisse Iob ille uidetur, qui ubi corpus scabie peti sensit, ac tabe, etiam in diem natalem inuectus legitur. Qui mihi non aliter egisse uidetur, quàm qui hostiles agrorũ incursus, populationesq; fortiter ferunt, ubi uero ad manus uentum est, deterriti præsentia, armis abiectis, aut fugiunt, aut manus hosti religandas porrigunt, quo tempore totis, ut aiunt, uiribus dimicandũ esset. In singulare certamen ituri, armis se ualidioribus instruunt, et quia caput, pectusq; peti hostilius uident, eas partes & obtegunt diligentius, & cautius etiam tuentur. Tunc in singulare certamen cum fortuna descẽditur, cum corpus ab ea uexatur, cætera exteriora sunt.

Itaq; tanquã agri populantur. Debilitauit, aut etiã abſtulit lumen
oculorum, aut caſus aliquis, aut ægritudo, uidendum ne animi lucẽ,
ac rationis radios hebetet, uel extinguat. Contraxit neruos, aut mem
brum aliquod, id curandum nequa pars animæ nobilior, utiliórq;
contrahatur dolore nimio, cuius morſus acuantur eidẽ cedendo mulie
briter. Idẽ quoq; faciendũ in alijs tum corporis, tum externis malis.
Qui ab hoſtibus oppugnantur, ubi foſſas impleri, ubi quaſſari urbis
muros uident, alias intus foſſas faciunt, alios muros extruũt. Hoc idẽ
nobis ſequendũ eſt. Confecit ægritudo aliquã corporis partem, labe
factauit fortuna rem familiarẽ, inſtruamus animum patientia ad ſu
ſtinendum, muniamus continentia ad repellendum, & ad peruincen
dum, pectus armemus fortitudine. Non deerunt illorum exempla,
qui non tantũ ſimilia, uerũ etiam maiora perpeſſi ſunt, nec priuati
ſolum hoĩes, & in ſcholis educati, ſed principes ciuitatũ, ſed Reges.
Marius quo animo ſecari paſſus eſt? Rex Alphonſus, qua conſtantia
uri? Ioannes qui ei ſucceſſit Aragoniæ Rex, tam ſine ullo penè ſenſu,
candẽs chirurgi ferrum tulit, ut ſupra, q̃ oportebat ureretur. Sed hæc
ſit medici culpa, illius certe conſtantia qua non laude, atq; admiratio
ne digna eſt? Nicolaus Picininus, quãuis contracto magna è parte
corpore, non tamen minus prudenter, laborioſe, imperatorie bella ẽt
difficillima adminiſtrauit. Fridericus Vrbinãs tam æquo animo fert,
altero ſe oculo captum eſſe, ut interdum etiam in ſeipſum iocetur.
Homerus utroq; etiam oculo captus, ita quidem mentis oculis uſus eſt,
ut non modo Poëtis, uerũ etiam philoſophis, reliquiſq; doctis homi
nibus lumen, & tanquã lucernam accenderit. Non detraxit C. Dru
ſo authoritatem oculorum cæcitas, cuius domus, ut Cicero meminit,
à conſultoribus quotidie complebatur, non C. Aufidio, aut Senatoris
munus, aut ſcriptoris, Quippe qui in Senatu ſententiam diceret, nec
amicis deliberantibus deeſſet, & græcam hiſtoriam ſcriberet, non
Democrito indagatricem illam rerum naturæ ſolertiam. Nam Dio-
dorum Stoicum familiarem ſuum idem Cicero refert, multo etiam
magis aſſidue, quàm ante in philoſophia uerſatum, cum & fidibus
Pythagoreorum more uteretur, & quod fieri poſſe uix uidebatur,
geometriæ munus tueretur. In Appio, Metellóq; magni ciuis et egre
gij Senatoris dignitas etiam amplificata uidetur. Dij boni quam au
dientiam Nicolaus Cæcus habebat, cum feſtis diebus Hetruſcis nume
ris, aut ſacras hiſtorias, aut annales rerum antiquarum è ſuggeſtu
decantaret? Qui doctorum hominum, qui Florentiæ permulti tunc
erant, concurſus ad eum fiebat? Lippus Florentinus puer uidit,

nunc adolescens quanquam utroq; oculo captus, non minus tamen as
sidue Rhetorum, ac Philosophorum auditoria frequentat. Mirum il
li studium rerum antiquarum, mira cura latini sermonis, mira ẽt
in amicorum congressionibus iucunditas, & cum paupertate simul,
ac caecitate laboret, licet adolescens, quae aetas minime apta est patiẽ
tiae, utrunq; malum ea aequitate fert, ut neutrum sentire uideatur.
Nec desunt hac in parte magnorum uirorum exempla. Bellisarius
ille toties dux, ac uictor, tandem iussu Imperatoris caecatus, & qui-
dem ob inuidiam, quae res eo duriorem efficere caecitatem poterat, fre
quenti in uia tuguriolum sibi statuit, ubi uitam egit, uictum mendi-
cans à praetereuntibus, cuius ea patientia fuit, ut non aliter questus
fuerit, quàm ut diceret, Viator da obolum Bellisario, quẽ uirtus extu
lit, caecauit inuidia. Gloriabatur Ennius, quod cum podager esset, tũ
bene poëtaretur. Matthaeus Aquilanus, qui nuper obijt, licet pedibus,
& manibus captus, mirum est quantum Neapolitanis in studijs pro-
ficeret, Philosophiam, Theologiam, naturaleis res assidue docens. Ad
Cosmi Florentini amplitudinem non parum uidetur contulisse poda-
gra. Nam cum se domi contineret, non solum Florentinae res, sed
penè Italiae totius, quae tunc in magnis erat belli ardoribus, ad eũ
deferebantur, cuius domus non priuati ciuis, sed curia potius iudica
ri poterat, cum interea magnificentissima templa aedificanda cura-
ret, & libros undiq; in bibliothecas suas congereret, non minore di
ligentia, quàm sumptu. Vidimus Antonium Panhormitam multos
annos tormina, & urinae difficultatem tam sedate ferre, ut etiã dis
simulare uideri posset aegritudinem. Quocunq; te uerteris, praesidia
aderunt, quae pugnãti opem ferant. Quotus spectatus miles est, qui
modo aliquid strenue egerit, cui non ab Imperatore periculosa, &
aspera demandentur? Etenim quis patientiae, constantiaéq;, quis conti-
nentiae ac fortitudini locus, si nunquam aduersa, nunquam difficilia
oblata fuerint? Demetrium philosophum dicere solitum legimus, ni-
hil eo infelicius, cui nihil unquam euenisset aduersi. Euadunt in bel
lo Tribuni, Ducesq; non in pace, arma ferendo, non comessando.

» Impiger extremos currit mercator ad Indos
» Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Nos in otio & plumis, si Dijs placet, uirtutem assequemur? Quis bonus Agrico-
la, cui non fodiendo, arando, runcando concalluerint manus? Quis
nisi per uigilias multas, multamq; abstinentiam factus est doctior?
Abstinuit uenere, & uino qui pythia cantat.

An existimandum est hominem ad hoc genitum, ut desidia marceat,

uentiletq; flabellum in umbra? Quod nisi ad res, magnas illas quidem, ac laborum, & molestiarum plenas nati essemus, nunquam his animus, tamq; eximia corporis fabrica natura nos instruxisset. Equi laudantur, non qui ad præsepe saginati uix semistadij cursum ferũt, sed qui excursionibus assueti, multa passuũ millia sine sudore indefatigati quotidie pene conficiunt. Quàm differt uenaticus ab aulico cane, quiq; in delitijs habeatur? ille nanq; pernicitate, ac uiribus in campis emicat, atq; aduersus feras audax fertur, hic desidia piger, ac tardus ubi naribus aprum sensit, in fugam uersus ad uenatorem refugit. In surditate uero quid nam est mali inquit Cicero, cuius integrum locum ponam. Erat surdaster Marcus Crassus, sed aliud molestius, quod male audiebat, etiam si, ut mihi uidebatur, iniuria. Epicurei nostri græce fari nesciunt, nec græci latine. Ergo hi in illorum, illi in horum sermone surdi, omnesq; item nos in ijs linguis, quas non intellegimus, quæ sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. At uocem Citharœdi non audiunt. Nec stridorem quidem serræ, cum acuitur, aut grunnitum, cum iugulatur sus, nec cum quiescere uolunt, fremitum murmurantis maris. Et si cantus eos forte delectat, primũ cogitare debent, ante q̃ hi sunt inuenti multos beatos uixisse sapientes. Deinde multo maiorem percipi posse legendis his q̃ audiendis uoluptatem, tũ ut paulo ante cæcos ad aurium traducebamus uoluptatem, sic licet surdos ad oculorũ. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret. Congerantur in unũ omnia ut idem oculis & auribus captus sit, prematur etiã doloribus acerrimus corporis, qui primũ p se ipsi plerunq; conficiunt hominẽ, sin forte lõginquitate producti, uehementius tamen torqueant, quàm ut causa sit, cur ferantur. Quid est tandem Dij boni, quod laboremus? portus enim præsto est, quoniam mors ibidem & unde nihil sentiendi receptaculum.

De orbitate toleranda.

ORBITAS QVOQVE VEL IN Primis grauis uidetur, nam & soli esse nolumus, & cum naturalis etiam sit cupiditas procreandi, quibus tam multa indulseris, ac tantum studij, laborisq; contuleris, quos etiam senectutis tibi baculum promiseris, eorum amissorum desyderium ferre constanter, maioris est operæ. Cum autem et qui liberos nunquam suscepere, & qui susceptos extulere, orbi dicantur, illi

unum sentire solitudinis dolorem, uidentur. Hi uero, quoniam quos carissimos habebāt, eos amisere, tanto grauius uulnus accepere, quod parta, ac retenta diutius illa demum amittere, & difficilius est, & acerbius etiam angit. Quo'circa te ipsum ut consolari possis, respicere præsertim illos oportet, quibuscū longe melius actum esset, si nūquam liberos suscepissent. Non uidisset Priamus tot suas, suorum'q; calamitates, ac funera. Sed fabulas omittamus. Marcus Antoninus is, qui philosophus cognominatus est, nihil tulit in uita grauius, quàm Commodum filium. Augustus filias, sua Carcinomata palàm appellabat, quas tandem cum sustinere non posset, ab oculis remotas relegauerit. Ioannes Rex Aragoniæ pene' Regno pulsus est, ob Caroli filij ambitionem, ac peruersa consilia. Ludouico Galliæ Regi filius, is qui nunc Gallis imperat, tantæ formidini fuit, ut de eo in carcerem coniiciendo consilium ceperit, quo cognito filius sibi fuga consuluerit. Francisci Phoscari Venetorum principis, quem sua ætas iure sapientem credidit, flagitiosus filius felicitatem infecit. quem sæpius tortum ob paricidij suspicionem, tandem in exilium ut eijceret, coactus est. Sed Regias relinquamus. Quæ non dicam urbs, sed pene' uicinia, nō plureis domos liberorum improbitatibus miserabiliter affectas habet? Alius parentes ueneno sustulit. Alius alea patriam rem assumpsit. Hic furtis, aut adulterijs, ille falsis obsignationibus, aut paricidijs (sunt autem infinita flagitiorum genera) non parentes modo, sed omnem cognationem dehonestauerit, ac pluribus modis solicitam habuerit? Optabat ille in quem tam multa Dij immortales contulissent, Augustum dico, cœlebs uixisse, atq; sine natis mori. Quamobrem mala plurima, quibus pressi sunt qui liberos habent, consolari poterunt non habentem, quod se carere illis sentiant. Qui susceptos amisere, si quàm multa sint uitæ hominum mala probe consyderauerint, bene ēt cum illis actum iudicabunt, dolorem'q; temperabunt, nec tam suis incommodis angentur, quàm illorū sorte lætabuntur, & cum inuidentis sit, bonis alienis dolere, hoc se crimine liberabunt, nec tam seipsos amare ostendent, ut liberos non sua illorum gratia, sed proprijs commodis prosecuti uideantur. Atque ut amandi sunt liberi, quod naturale est, sic quod naturale quoque est mori, in hoc, ut cæteris in rebus, naturæ cedendum est. Vt nox diei, sic uitæ mors succedit. Non quicunq; flores uere in ramis nitescunt, ad fructum perueniunt. Vt florum, sic hominum caduca, & fragilis est natura. Serius, aut ocyus ad imam properandum est sedem, ut ait Ouidius. Nihil aut tardum, aut immaturum quod naturale. Sed poterat diu-

tius uiuere. Primum hoc ignoro. Quis ita exploratum hoc habet? Deinde qui ſcis an longior uita ad felicitatem magis quàm ad erumnas, miſeriáq; eſſet illi futura? Quo quis in portum citius applicat, eo celerius uota debet exoluere. Nauigationis quàm ſimillima eſt hominum uita. Nunquam curſus adeo ſecundus fuit, ut non prouentorum arbitrio, uela intendenda eſſent. Sic uitæ noſtræ quota pars eſt, quam ad arbitrium noſtrum uiuamus? Quandiu quis in alto tenetur ſui iuris non eſt. Tunc eſſe liber incipit, cum in portum delatus eſt. Fortunæ, ac miſeriarum mancipium eſt uita. Libertatis initium mors uidetur, poſtquam nulla fortunæ dominatio, nullus laboribus, ac miſerijs locus relinquitur, in uiris præſertim bonis, quos maxima etiam præmia manere in cœlis, & Poëtæ, & Philoſophi, & Theologi uno ſimul ore conſentiunt. Nec nos ij ſumus, qui animos unà cum corporibus interituros putemus, Qui tamen ſi nulli poſt mortem ſunt, idem futurum eſt, quod ante quàm naſceremur erat. Quietis, ſilentij, ac ceſſationis plena omnia, ut ſi mors libertatis initium non ſit, finis prorſus ſit ſeruitutis, ac miſeriarum. At mortuus eſt adoleſcens, nec potuit uitæ muneribus frui. Quæ ſunt iſta quæſo munera? án languere? ægrotare? angi? premi? ſolicitari? nūquam quieſcere? nūquā in tuto cōſiſtere? Infinitas dolēdi, ac timendi cauſas ſentire? ut qui immature mortuus dicitur, non tam bonis ereptus, quàm malis liberatus uideatur. At parentes illum ſuos ſepelire, quàm à parentibus ſepeliri decuit. Ecce ad propria rurſus commoda queſtus tuos reuocas, & naturæ ipſi uis præſcribere, bene cum illo actum eſt, noli beatitudini eius inuidere, qui ſi propterea commoueris, quod non et mori tibi cum eo contigit, lacrimas ſeda, & læto potius animo mortem exſpecta. Equi metæ proximi etiam alacriores feruntur. Poëtæ ultimos actus maiore quadam hilaritate exſequuntur. Et quoniam ultima magis ſpectantur, ad illa ſic te inſtituito, ut uideri poſſis nulla de re in uita magis, quàm de morte cogitaſſe. Non poteſt ad mortem ſuam forti animo accedere, qui alienam tantis lamentationibus proſequatur. Obierunt liberi, cognati, amici, cogitato idem te iter breui quoque ingreſſurum. Dices ereptos eſſe. Nemo ſuum eripit, repetit natura quod ſuum eſt, qui ſi inuitus reddas, non illa inique tecum agere, ſed tu ipſe, qui debitum nolis reddere, iniuſtus uideare. At ſolitudo te excruciat, qui ſcis, an rectius uicturus ſis hoc modo? quàm multas familias peſſundedit frequentia? Quoſdam etiam meliores ſibi adoptaſſe, quàm genuiſſe filios ſatis conſtat. Non poteſt in ſolitudine uiuere qui uirtutes familiares habeat. Et qui multos amat, is à multis

ametur necesse est. Nec te ex aliena fortasse familia instituendus hæres solicitet. Horatius et Virgilius hæredem Augustum scripsere. Attalus Rex populum Romanum. Meliorem neq; hic, neq; illi hæredem instituere potuere. Deniq; qui digniores hæredes, quàm Dij immortales? Atq; ut ad rem ipsam regrediamur, Quod tempus facit, cuius proprium est dolores lenire, faciat sapientia. Ad naturæ necessitatem æquitas accedat animi, quæ onus ipsum faciet leuius, ferendo non modo patienter, sed illud etiam elato animo contemnendo, quandoquidem eodem cuncta spectant, ac stultitia summa sit, ut ait Cicero, frustra confici mœrore, cum intellegas nihil posse profici. Mirum etiam in modum exempla conferent. Aemilianus Scipio ijsdem ferè, quibus patrem triumphantem diebus, funera duorum fratrum spectauit, et quanquam adolescens, tulit tamen æquissime. Scipioni Africano in exilio patientia sic comitata est, ut nuntiata fratris morte, quem alijs difficillimis in malis habuerat, animum retinuerit. Sextus Pompeius Cn. fratris, ac sororis, Augustus generorũ, nepotum, sororis, filiorum mortes constantissimo animo pertulere. M. Antonius in fraterna morte admirabilẽ præsetulit animi magnitudinem, L. Sullã, quominus aduersus hostem rem egregie gereret, mors filij non deterruit. Paulus in ipso penè triumpho duorum filiorum obitum ea constantia tulit, ut bene secum egisse deos immortaleis diceret, quos precatus esset, ut siquid Populo Romano immineret aduersi, in domum suã auerterent, Quod quia præstitissent, gratias illis agere. Iulius Cæsar audita filiæ morte in Britania, die tertia imperatoria ad munera redijt. Bibulus audita morte duorum filiorum, ita seipsum uicit, ut die postero ad solita Reipublicæ officia processerit. M. Aurelius Antoninus quinq; tantum diebus filium luxit, cum interim alios ipse cõsolaretur, atq; ad publica munera redijt. Q. Martius Rex unico filio, & eo quidem magnæ spei amisso, ea magnitudine animi dolorẽ compressit, ut à rogo iuuenis statim curiam petierit, Senatumq; uocauerit. Horatio Puluillo ædem Iouis dedicanti, postemq; tenenti, cum filij mors nuntiaretur, idem uultus mansit, tãtaq; animi firmitas, ut nec manum mouerit, nec faciem reflexerit. C. quoque Cæsar Augustus, idem & Pontifex maximus filiæ mortem pacatissime tulit, quam & pro rostris laudauit, collocato ante se illius corpore, ac tantum uelamento interiecto, ne pontificis oculi polluerentur. Differenti inter familiareis Anaxagoræ de natura rerum, nuntiata dicitur filij mors, atq; ubi paulum modo tacitus substitisset conuersus ad illos, Sciebam, inquit, me genuisse mortalem. Pericles duobus filijs

*in paucissimis diebus orbatus nihilo minus iisdem diebus grauissi-
me concionatus est, candidatusq́; de patrio more caput coronatum ha=
buit. Xenophon rem diuinam non intermisit, cum sacrificanti nuntia
retur filium apud Mantineam occubuisse. Quin ubi acerrime pu-
gnantem cecidisse intellexisset, quam detraxerat capiti coronam re-
posuit, egitq́; Dijs gratias, qui talem sibi filium dedissent, qui pro pa
tria non dubitasset occumbere. Dio in cubiculo cum amicis sedens au=
dito ingenti tumultu, clamoreq́; domesticorũ, ubi sciscitanti responsum
est, è summo culmine prolapsum filiolum interisse, nullo doloris si-
gno dato, iussit illum ad sepulturam à mulieribus ferri, atq; hoc di
cto cœptum continuauit sermonẽ. Rex Antigonus morte Alcionis fi
lij hactenus commotus est, ut diceret aliquãto quàm putasset serius il
lum occidisse. quippe quem propriæ salutis, paternorumq́; præce=
ptorum immemorẽ nosset. Hos igitur nobis proponamus oportet, quo
rum exemplis formati doceamur orbitatem nõ modo sedate, ac trã
quille ferre, sed mortem quoque ipsam omnino contemnere. Quam
ad rem mulierum exempla non minus conferent, atque haud scio
an magis etiam quàm uirorũ, siquidem in ĩbecilliore sexu conspecta
constantia plus etiam mouet. Cornelia post duodecim partus amissos
Tiberium, & Caium cæsos, atq; insepultos uidit. Sed quid hac eius
uoce generosius? nam miseram eam ob talem, tantamq́; iacturã præ
dicantibus matronis respondit, Nunquam me ego felicem non dicã,
quæ Gracchos pepereri. Cornelia D. Drusi filiũ in ipsis penatibus
incerto authore occisum tulit quampacatissime. Rutilia ea, quæ Cot
tam filium in exsilium secuta fuerat, cum reducem amisisset, eam fir
mitatem retinuit, ut post elatum funus, eius lacrimas nemo uiderit.
Liuia quoq; generosissimi filij Drusi posito corpore, finem etiam la-
crimis suis posuit. An non rectius in extinctis filiis, hæ tibi fecisse ui
dentur, quã Artemisia illa in coniuge amisso? quæ diutius uiro super
stes in perpetuo luctu, atq; mœrore uixit, quo etiam confecta conta=
buit. Quæ ut maxime pia fuerit, & supra, quàm dici potest coniugij
memor, omnia tamen corrupit, dolori sese discruciãdam tam summis
se, molliter, effracte, abiecteq́; præbendo. Sed quid te ad clarissimorũ
uirorum, ac nobilium matronarum exempla uocem? cum humiles
mulierculæ, obscuriq́; homunciones, suorum obitus non modo fortissi
mis animis sustinuerint, sed Dijs quoq; gratias egerint, quod matura
illis morte cõsuluissent. Paucis ante annis fœmella Amatriciana, cum
intellexisset filium nimis demisso animo ad supplicium trahi, filio oc*

currens sedare illum lacrimas, atque abijcere metum iussit, cœlũ, ac solem ut respectaret subinde admonens, quod ille cum faceret, an inquit, ignoras fili confestim te in arces illas emi graturum? ac uix momenti dolorem, perpetuam tibi et quietem, et uoluptatem pariturum? Eodem ex oppido Homullus, iuris tamen peritus, causam Romæ cum diceret, de morte filij nuntio accepto, continuauit causam eodem uultu, uoceq;, qua perorata, ad illos, qui aderant conuersus, quæso, inquit, permittite me horam filio, qui diem obijt, indulgere, Ingressusq; prætorij cameram, post horam ad munus redijt. Quid aut huius constantia, aut illius offirmatione maius? Quos imitati, sic quidẽ quibus mori contigit, gratulabimur tanquam aut beatis, aut humanis miseriis penitus uacuis, ut nos ad expectandã mortem, exsilij et carceris huius finem instituamus, quo liberati, aut perpetuam tranquillitatẽ, aut saltem rerum omnium cessationem, & ut bonorum, sic malorũ cunctorum priuationem simus adepturi. Illud uero uehementer angere, ac mœrore conficere animum solet, si naufragio perijt, si hostili gladio cæsus interijt, si diutino morbo correptus inter dolores, ac morborum cruciatus exspirauit. Primum scire quæro cur naufragiũ, cur gladius horreatur? an fortasse quia mortem afferant? hoc illud ẽ. Nã si damnum, si mortem nõ afferant, nequaquã timeantur. Quid igitur stultius, quàm cum mortis solatium inueneris, de illo, quod per se nec damnosum, nec odiosum est, dolere? Deinde quid te uiolentia cruciat, ex qua merces tanta parta sit? perpetua cessatio à laboribus, aut sempiterna tranquillitas. At credo si offenso pede lapidem excusseris, sub quo thesaurus sit absconsus, ex quo inuento diues efficiare, non maledices offensioni, neq; illam ægre feres, quin bene tecum actum dices, etiam si unguem euulseris, si digitum fregeris. Ad sanitatem per ignem, sectionem, et amarissimas potiones peruenitur. Ad uictoriam per pericula, & sanguinem. Messem, ac uindemiam, labor, & sudor plurimus antecedit. Hæc est humanæ uitæ conditio. Quid? quod etiam maximi uiri tum græci, latiniq;, tum barbari permulti mortem sibi consciuere. In Cantabris, atque apud illos populos, qui hodie Buscatini uocantur, montanæ mulierculæ, dum infantulis blandiuntur, dum feliciter illis optant. Nate, inquam, nate mi, transeat te tragula. His uerbis bene precantur, siquidem graue apud eos opprobrium habetur in culcitra mori. Vnum autem consolari exemplum uel solum poterit, quod nunc refero. Acceperat Rex Persarum Arpalum in conuiuio, cui filios epulandos, ut suam

in illum iram euomeret, apposuerat. Inter cœnandum subinde quæ
rebat, an concinna, an opipera conditura esset. Eo satiato, filiorum ca
pitibus in mensam allatis percunctatus est, an comiter ab se fuisset ac
ceptus, respõdit Arpalus uultu quàmaxime tranquillo, omnem apud
Regem cœnam iucundam esse. Viderat filios crudelissime cæsos, in
frusta mutilatos, excoctos, in lancibus appositos, ab se comesos, oráq;
illa, quæ toties se patrem appellassent, quæ ipse toties exosculatus
esset, ante se tam fœde, tam miserabiliter constituta, & tamen
non solum lacrimas tenuit, dolorem supressit, gemitum coërcuit,
sed placido uultu, comiq; sermone conuiuæ personam retinens,
ac gratias agenti similis cœnam laudauit. Subijciam ex eodem
etiam genere alterum. Traiecerat Cambyses iratus simul atq; ebrius
Traëaspæ familiaris sui filium sagitta, atq; aperto illius pectore iusserat
inspici, an cor, quod petierat, fixum esset, cui cum infixam sagittam
renuntiassent, tunc ad patrem, qui adstabat conuersus, ecquid, inquit,
certam tibi habere manum uideor? Ad quæ ille confestim nullo
perturbationis signo dato, ne Apollinem quidem potuisse certius figere
respondit. Vides ut maxime acerbam, ac nefariam filij mortem
dissimulando præterijt? quid præterijt, qui adulando etiam risit. Nã
quod ad morbi longinquitatem, & cruciatus attinet, sicuti præterita
pericula nequicquam metuuntur, ita præteritis nostrorũ cruciatibus
frustra angimur. Quid enim inanius, quàm de amici carcere tristẽ
esse, ubi is se in libertatem uindicauerit? cum gratulationis sit, non
tristitiæ locus. Parta uictoria, nemo duces, nemo milites, ob perpessos
labores, erumnasq; miseratur. Sed publicæ gratulationes, sed honores,
triumphiq; apparantur. Verum nescio quomodo nimis imbecilli,
& leues in hoc sumus, doloriq; assentientes. Moritur è nostris
aliquis repentina morte. Querimur quod non licuerit ultima illum
suis mandata dare, quod non inter fomenta, & medicas manus
decesserit. At alium miseramur, quod diutius malis quassatus,
& tanquam excruciatus doloribus non cesserit naturæ, sed expugnatus
potius morbis conciderit. Illum quod procul à carissimorum
complexu, in longinqua, & ignota tera decubuerit. Contra
hic nos affligit, quod in domo propria ante quàm moreretur tot suorum
lacrimas, ac gemitus uiderit, matrem deos incusantem audierit,
uxorem, quæ illi carissima erat, aspexerit, scindentem capillos, et
pugnis pectus tundentem, & ne mariti mortem uideret, præmori
cupientem, sororem, liberos, necessarios questibus cœlum implen-

tes, omnes deniq; domus angulos, plenos gemitus, lamentationis, planctus, ut hæc ipsa mortem faciant longe amariorem. Diem obijt alius siue filius, siue nepos, siue necessarius, siue notus, in tenera ætate, male habet nos, lacerat, uexatq; animum, quod fructum uitæ non attigerit, quod ante nos destituerit, quàm frui eo potuerimus, quod illam, quam nobis ob egregiam indolem promittebamus, spem frustratus abruperit. Rursus alium miserabiliter prosequimur, quod diutius uiuendo plurima aduersa tulerit, Carissimorum funera uiderit, & ita ad uitæ metam peruenerit, ut interim in ipso cursu omnia referta difficultatibus, periculisq; expertus sit. Deniq; si pauper decessit, in egestate illum uixisse lamentamur, si diues, infelicem dicimus, quod à tanta opulentia abreptus fuerit, milleq; ipsi nobis uias facimus ad questus, atq; mœrores, tanta in animis hominum lenitas, atq; infractio inest.

De tolerandis iniurijs, & contumelijs.

i AM VERO CONVITIA, Iniuriæ, contumeliæ, impotenter dicta aut facta, eadem æquitate toleranda sunt. Quinetiam ridenda nonnunquam. Socrates in Xanthippen tum aliàs, tum cum lotium elueret, etiam dicto iocatus est. Idem pugno cæsus hactenus questus est, ut diceret, iniquius cum hominibus agi, quod nescirent quando galeati domo prodire deberent. Antoninus Pius domum homunctionis ingressus, percunctatusq; unde columellas quasdam porphyreticas sibi comparasset, quid audiuit princeps maximus, & patriæ pater optimus? Cum in domum alienam ueneris, & surdus, & mutus esto. Quod dictum tantum abfuit ut moleste tulerit, ut tanquã præceptum quoddam alijs seruandum tradiderit. Marcus Antoninus, qui Pio successit, ita oblitus dicitur iniuriarum Cassij, qui in Syria rebellauerat, ut & mortem eius grauaretur, & liberos post patris cædem summa humanitate prosequeretur. At filius Commodus fœdissimus & uir & princeps, balneatorem conijci in ardentem fornacem iussit, quod lauaturus balneum tepidius inuenisset. Quid hac impatientia, immo impotentia tetrius? Idem Antoninus huius pater grauissimas tum aliorum, tum Faustinæ uxoris iniurias etiam dissimulauit. Dictator Maximus, qua confirmatione tulit æquatam sibi magistri equitum potestatem? Non succensuit Ac-

cio poëtæ Cæsar, quod ille sibi non assurrexisset. Q. Valerium Catullum etiam in cœnam adhibuit condonata uenia carminum in se scriptorum. Augustus cum multorum maledictis uexaretur, satis habuit respondere, quod in ciuitate libera, & linguas esse liberas oporteret. At quàm imbecille, quàm fracte Fidus Cornelius, qui lacrimas etiam tenere in Senatu nequijt, cum à Corbulone Struthiocamelus depilatus uocaretur. Quanto uirilius Epaminundas, qui nequaquam contumeliose secum actum iudicauit, cum delatum sibi uideret uiarum sternendarum ministerium, quanquam satis sciret esse illud sordidissimum. Alphonsus Rex Neapolitanorum, admirabili dissimulatione præterijt quorundam oblatrationes, ac maledicta. Quin etiam illatas iniurias uindicare cum posset, obliuisci maluit. Adrianus seruum, qui in se armatus irruisset, condonata uenia curari iussit, quod esset furiosus. Cato petenti cuidam ueniam, à quo fuisset in balneo per imprudentiam percussus, Atqui respondit, nunquam tu me, quod meminerim percussisti. Quæ autem contumeliosior esse potest ultio, si ulcisci cupias, quàm iudicare aliquem indignum, de quo ulciscare? Cum improbus quidam Aristidæ os sputo inquinasset, risit ipse hominis improbitatem, ac satis habuit dicere magistratui, qui adstabat, admonendum illum esse, ne post id, simile aliquid faceret. Atque ut à quo Socrate cœpimus, in eo desinamus, quis plura passus est unquam? Quem Comici etiam dicacissime prosciderint? omnia tamen Socrates risit, quem secutus Antisthenes, matrem barbaram obijcienti, & matrem deûm barbaram fuisse, (Idæa enim fuerat) respondit. Sed harum genere laudum Christiani maxime omnium claruere, siue è Martyribus, siue è Confessoribus, siue ex ipsis Apostolis exempla quærantur. Nam ut Christum ad hoc uocemus, nec fas ducimus, cuius tamen unum illud dictum docere mortaleis satis potuit, quàm essent hæc contemnenda, Pater ignosce illis, quid faciant nesciunt. Nec uero sic tolleranda hæc uidentur, ut non aliquando sint etiam uindicanda, ne improbitati ex impunitate addatur audacia, quo tempore illud uidendum est, ne ira, dolore, impotentia'ue superemur. Quænam tanti est animaduersio, aut uindicta ista, per quam deserto officio ad turpia, flagitiosaq; impellare? Tedius Pollio Mancipia murænis obijciebat, quid hoc aliud est, quàm exsuto homine belluam induere?

" Offendimur, inquit Seneca, siquis sermonē nostrum imitatur, siquis
" incessum, siquis uitium aliquod corporis aut linguæ exprimat, qua=

» si notiora illa fiant alio imitante, q̃ nobis facientibus. Senectutem
» qdam inuiti audiunt, et canos, et alia, ad quæ uoto peruenitur. Pauperta
» tis maledictum quosdam perculsit. Quæ sibi obiecit quisq; abscon-
» dit, Itaque materia petulantibus, & per contumeliam urbanis detra
» hitur, si ultro illam & prior occupes. Nemo risum præbuit, qui ex se
» cœpit. Vatinium hominem natum ad risum, et ad odiũ scurram fuis
» se, & uenustum, & dicacem, memoriæ proditum est, in pedes suos
» ipse plurima dicebat, & in fauces concisas. Sic inimicorum, quos
» plures habebat quàm morbos, & in primis Ciceronis urbanitatem
» effugerat. Si hoc ille potuit duritia oris, qui assiduis conuitiis pudere
» dedidicerat, cur is non possit, qui studijs liberalibus, ac sapientiæ cul
» tu ad aliquem profectum peruenerit? Adijce, quod genus ultionis
» est, eripere ei, q facit factæ contumeliæ uoluptatem. Hæc Seneca pru
denter, atque ad rem. Quámobrem ut cætera omnia, quæ putan-
tur mala, sic & hæc, & alia generis eiusdem, aut patienter tole-
randa sunt, aut despicienter etiam contemnenda, quandoquidem
nullum tam acerbum inferri uulnus potest, cui æquus animus salu-
briter non medeatur, nec tam grauis morbus, aut dolor accedere,
quem si non statim sanare, pedetentim tamen progrediendo lenire,
atq; ad sanitatem perducere queat.

h AEC SVNT DOMESTICAE Forti
tudinis munera, cuius præceptis confirmati, ingruen
ti fortunæ reluctemur. Cui licet multiplices sint ar-
tes, ac nocendi rationes, ubiq; tamen armis his tecti
fidenter resistemus, siue patriam, aliaq;, quæ exter-
na dicuntur bona, eripere à nobis conabitur, aut etiam iam eripuit,
siue corpus petierit, pro cuius corrumpendis bonis hostili nobiscum
animo in certamen descenderit, cuius acutissima tela, ac micantis gla
dij aciem, clypeo fortitudinis muniti, sic retundemus, ut quod feriat,
aut non habeat, aut si iam percusserit, non tamen uictrix insultare
ceruicibus nostris queat, sed leuiore uulnere illato, quod in primo
conflictu contingere solet, post acri pugna conserta maioribus uiri-
bus repulsa cedat, defessaq;, ac uicta tandem uertatur in fugam.
Quid? quod animi etiam bona, ne aut externa ui corrumpan-
tur, aut etiam eripiantur, eiusdem fortitudinis armis, ac præsidijs tu
ti prohibebimus. Neque enim torquebimur inuidia, conficiemurq;
liuore, ubi in exigua re nostra, quos minime fortasse deceat, bo-

nis plurimis abundare uiderimus, neque superbia efferemur, ubi omnia nobis secunda, atque è sententia cesserint. Non rapiet nos cupiditas, non pessundabit ambitio, non denique à uia, rectoq; detorquebit auaritia, pestis degenarantium animorum, Vt non alibi siue in prosperis aut aduersis rebus externis, siue in malis corporis perferendis, aut in bonis animi conseruandis, maius homines præsidium, quàm in fortitudine collocatum habeant.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD ALPHONSVM CALABRIAE DVCEM DE PRINCIPE LIBER.

PVBLIVS CORNELIVS Scipio, Dux Alphonse, cui post ex uirtute Africano fuit cognomen, cum sibi aedilitatem petenti, Tribunos plebis uideret obsistere, quod non dum ad petendum legitima aetas esset, Satis, inquit, annorum habeo, si me Quirites habilem facere uolunt. Fretus enim uirtutibus suis, quanquam adolescens, & ante tempus, magistratum tamen petere à populo non dubitauit. Te autem uix dum annos pubertatis egressum, nec id petentem, pater uicarium regni creauit, decreuitq; prouinciam Calabriam, uidelicet non annis, aut aetati haec tribuēs tuae, sed uirtutibus, quarum tanta apud omnes sit exspectatio, ut cunctorum & populorum, & procerum Regni oculos in te unum conuerteris. Et Scipio quidem eum se gessit in aedilitate, ut Quirites postea non poenituerit, tanto fauore ad ferenda suffragia in tribus suas discurrisse. Te autem decet anniti, ut & patris iudicium, & exspectationem de te omnium exsuperes, quod facile quidem praestabis, si tibi ipse non defueris. Nō deeris autem tibi, si recta praecipientibus, si honesta monentibus obtemperaueris. Si & ij, quibus praepositus es, & caeteri omnes, iustitiam, pietatem, liberalitatem, clementiam in te sitas esse intellexerint. Nihil enim ad conciliandos subiectorum animos tam ualet, quàm iustitiae, ac diuini cultus opinio. Prudenter igitur Maro Phlegiam illum suum inducit, iustitiam, religionemq; collaudantem his uerbis.

Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Iustitia enim in quo fuerit, eius imperium aequo omnes animo patiūtur, illiusq; moderationi sese etiam sponte subijciunt, quod de Cyro illo legimus, quem non iustitiae solum, sed omnium etiam regiarum uirtutum exemplum fuisse creditum est. Quantum autem ad popularem comparandam beneuolentiam religionis ualeat opinio, docuit Macedo Alexander, qui etiam superstitionem laudare solitus est, tanquam per eam in plebis animos rectores ipsi illaberentur. Qua uirtute & Cyrus hic, de quo dixi, & Camillus & Africanus, & praestantissimi quiq; uiri excelluerunt, & Auus tuus Alphonsus omnes

ætatis suæ, multorumq; ante seculorum reges superauit, quem sacra stata, ritusq; christianos, ac solennes cærimonias tanto cultu obseruasse certum est, ut ne ab ipsis etiam sacrosanctis Pontificibus in hoc uincæretur.

QVI IMPERARE CVPIVNT, Duo sibi proponere in primis debent. Vnum ut liberales sint, Alterū ut clementes. Princeps enim, qui liberalitatē exercuerit, ex hostibus amicos, ex alienis suos, ex infidis fidos faciet. Peregrinos etiam, & in extremis terris agentes, ad sese amandum alliciet: Clementiā in quo esse senserimus, illum omnes admiramur, colimus, pro Deo habemus: Vtraq; autem princeps deo maxime similis efficitur. Cuius proprium est benefacere omnibus, parcere delinquentibus. Fugienda autem omnino est adulatio. Aures enim adulantibus qui præbeat, is omnino suus esse desinet, ex aliorum assentationibus, quàm ex sua conscientia, seq; suaq; ipse metiens. Ambitionem quoq;, ut quæ multorum, ac magnorum malorum altrix, & parens sit, ab aula tua eiectam exterminabis, de qua idem sentio, quod Thomâs Pontanus gentilis meus uir & doctrina, & multarum rerum usu clarus, quem dicere solitum accepi, Vrbium Regnorumq; pestem esse ambitionem. Recte imperator Romanus Alexander, quendam ex ijs, qui popularem auram tanto studio captabat, ut in ea bonorum fines poneret, palo affigi iussit, excitatoq; mox igni ex materia minime arida, faucibus fumo conclusis extingui, affirmans iure illum fumo perire, qđ fumum & uendere, & emere solitus esset. Princeps qui sese hominem esse meminerit, nunquam superbia efferetur, æquabilitatem sectabitur, & cū oīa maxime è sententia cedere sibi uidebit, tum maxime credet præesse rebus humanis Deū, cui superbia ipsa mirum in modū displiceat. Quæ promittas, & cui etiam promittas uideto. Non modo autem facultatum, ac meritorum, sed etiam temporum, atq; ingeniorum habēda est ratio. In quo & alia multa consyderanda sunt, & illud maxime, quo nihil turpius sit, quàm fidem non seruare, cuius tanta uis est, ut etiam hosti si data sit, seruare tamen eam oporteat. Et cum sit fides ut ab antiquis definitur dictorum, conuentorumue constantia & ueritas, nihil antiquius ueritate ipsa principi esse debere. Declarat id quod à maioribus nostris sapientissime institutum est, ut liber Euangeliorum, quo diuina continetur ueritas, diebus singulis osculandus Principi offeratur, cum in re diuina adest, ut ex eo colendæ ueritatis admonitus, meminerit studiosissimum se eius esse debere.

In primis autem studere oportet, ut qui te adeunt, facilem esse intel

legant. Nihil enim tam alienum est à principe, nec quod aliorum in se odium tantopere concitet, quàm asperitas, & ea, quae morositas dicitur. Contra uero in omni uita maxime laudatur comitas grauitate temperata. Auus tuus hac una re potissimum beneuolentiam hominum sibi conciliabat, quod neminem patiebatur tristem à se abire, illud'q; Titi frequens in ore habebat, Non oportere quenquam à sermone principis tristem discedere.

Qui temperantem te senserit, turpia nunquam petere audebit. O' te fortunatum Marce Cato, inquit Cicero, à quo rem improbam petere nemo audeat. Tũ profecto principatu isto dignus iudicaberis, et boni regis spem pollicebere, cum improbos insectaberis, oderis intemperãtes, reijcies mendaces. Admonitores quoq; uoluptatum, ut pestem pernitiosissimam fugito, sunt enim animi quamuis bene instituti conquinatores. Quibus qui delectetur, impossibile est, illum seruare aliquem uitae modum. Huius erit impudica pueritia. Adolescentia effoeminata, senectus infamis. Habebat Nero Claudius plurimos uoluptatum conquisitores, quem tamen ipse exitum uitae habuit? quem & alij multi, ac ferè omnes ab eo non dissimiles.

Ambigam quid fuerit in Scipione laudabilius, fortitudo'ne in bellis gerendis, an in omni uita continentia. Altera enim bis, aut ter hostẽ superauit, altera seipsum semper, qđ eo fuit admirabilius, quod plurimi inuẽti sunt, et inueniũtur quotidie, q hostem uicerint, rarissimi q sese, praesertim cum uictoria insolentes, intemperatos'q; efficiat.

Qui alijs praeest, omnino uacuus esse debet affectibus. Ira nanq; rectum quod sit cernere minime patitur, odium ad iniqua impellit, Amor iudicium impedit, trahit ad uim inferendam libido, stimulat ad uindictam dolor, inuidia praecipitem agit.

Maxime autem hominis est, & eius praesertim hominis, qui principatum gerat, praesenti animo in aduersis uti, nec aduersanti fortunae succumbere. Ferdinandus pater in initio regni, cum multorum simul procerũ, ac populorum, nonnunquam etiam integrarum prouinciarum ad Ioannem Andegauiensem defectiones nuntiarentur, nunquã mutauit uultum, nedũ ut animo consternaretur. In ipsos defectores nullo unq̃ cõtumelioso dicto usus. Nũtiata rebellione magni cuiusdã uiri, quẽ honoris causa non nomino, tametsi famae suae minime ipse pepercerit, hactenus cõmotus est, ut diceret dolere se, ꝙ talis uir et è tãta familia ortus, se'q;, maioribus'q; suis idignũ fecisset. Caeterũ Christo gratias agere, ꝙ ne minimã qdẽ ipse tanti patrãdi facinoris causam illi praebuisset. Quid illud, non'ne inuicti est, et ex aduersis ẽt ui

reis resumẽtis animi? Accepta Sarnẽsi clade, cum præter pauca admo dũ oppida uniuersum regnũ ab rege desciuisset, cõuenissentq; Ennecus Geuara Comes Arianensis, et Honoratus Fundanus, habẽdi Senatus gratia in extremis, & prope desperatis rebus. Ferdinandus frequenti senatu adeo magnifice de rebus suis locutus est, ut non modo illorum animos confirmauerit, sed uel affirmauerit, breui se hostem pulsurum, traditurumq; liberis suis regnum multo stabilius, quàm sibi fuisset à patre relictum. Illud etiam in aduersis confirmare maxime nos debet, quod ad summa non nisi maximis cum laboribus, & periculis peruenitur. Ad hæc quotus est, qui aut patre, aut præceptore, aut domino ita facili, & leni uti cupiat, ut obiurgari se ab

" illo nunquam uelit? Sapienter igitur dictum est. Quos deus amat,
" corrigit, & castigat. Quapropter tenere hoc oportet, quod rerum humanarum & imbecillitatis nostræ moderator, & rector deus, hoc maxime modo temeritati hominum consulat. Multos enim (quod quotidie etiã uidemus) secunda fortuna præcipites egit, cum quibus quanto melius actum esset, si non plenis semper uelis, sed aduerso interim uento delati essent. Quid? quod non raro uidemus aduersas res magnorum præbuisse causas bonorum. Alphonsus, de quo dixi, & sæpius dicam, nauali prælio superatus, à Genuense capitur, tanquam Regno Neapolitano, quod postea contigit, ex captiuitate potiturus, ac nisi uictus prius, non esset tandem uictor futurus. Adde qđ nescio quo pacto parta, ac retenta cum labore magis nos delectant, carioraq; multo habemus, quàm si aut casu aliquo oblata essent, aut si curam eorum nullam habere nos oporteret.

Secundæ quoq; res sunt tanquam speculum quoddam nostri, quæ ut de magistratu dicere solemus, qualis quisq; sit, apertissime ostendũt. Quamobrem tum maxime seruanda erit continentia, cum quicquid libuerit licuerit. Cohibẽdus erit animus ne efferatur, ne insolescat, ne obliuiscatur suiipsius, atq; ita instituendus, ut se è libertate in seruitutem, è diuitijs in paupertatem, & ex alto, atq; illustri loco in infima, obscuraq; deijci aliquando cogitet. Bellerophontes, ut est in fabulis, cum equo illo alato ferretur, & sublimem teneret aëra, præceps excussus est, quo casu, ut est in uetere uersu, miser, ac mœrens teris errauit alienis, quod euenire sæpissime ijs solet, qui secundis rebus inflati, superbe nimis, & intemperanter agunt. Beatum illum Plato dicit, & Cicero refert, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam, uerasq; opiniones assequi possit. Præclare quidem, sed ut in senectute ualeamus assequi, iacienda sunt fundamenta ab adolescentia, quibus

tia, quibus bene iactis, tanquam in domo bene ædificata, non est uerendum ut corruamus. Optima autem fundamenta sunt adolescentis ad sapientiam assequendam, si cum sapiens id ætatis esse non possit propter teneritatem, atq; inscitiam, qua nec uidere, nec agere res optimas ualet, quod certe potest, eorum, qui habentur sapientes, consuetudine delectetur, quo de genere est illud eiusdem Ciceronis, cum ait, Ita se à patre deductum ad Scæuolam sumpta uirili toga, ut quo ad posset & liceret, à senis latere nunquam discederet. Primũ enĩ est, ut colere sapientes assuescat. Secundum, ut illorum dictis aureis libenter adhibeat. Tertium, ut eorum se quammaxime similem esse uelit, quorum non modo facta, sed etiam dicta imitari contendat. Ex quibus principijs usus, deinde progressionibus, ad quam contendit, sapientiam uictor consequetur.

Delegit pater tuus tum uiros primarios, tum in omni genere laudis probatos homines, quorum consilijs, & admonitionibus formarere, non quod ipse per te tibi non sufficias, sed quod nouellæ solent arbores, ut ijs tanquam adminiculis quibusdam innitare. Hi tibi de rebus grauioribus disserentes audiendi sunt, non minus quàm ipsi philosophi. Quibus enim ad res gerẽdas melioribus uti potes magistris, quàm ijs, qui multa, & magna gesserint? Auus tuus Alphonsus (ne à domesticis recedam exemplis) Antonio poëtæ incredibili quadam uoluptate operam dabat, aliquid ex priscorum annalibus referenti. Quin etiam ueterum ab eo scriptorum lectiones singulis diebus audiebat, ac licet multis, magnisq; interim grauaretur curis, nunquã tamen passus est horam libro dictam à negotijs auferri. Mirum est enim quantum ualeat ad optimam uitæ institutionem assidua, & diligens lectio. Nã si, ut Scipionem dicere de se solitum scribit Crispus, maiorum imagines mirum in modum intuentes, ad uirtutem excitant, quanto magis illorum dicta, factaq; imitatione digna, sæpius animo repetita, & ante oculos posita commouere debeant. Auus nũquam sine libris in expeditionem profectus, tentorium, in quo asseruabantur, iuxta se poni iubebat. Cumq; nullas Fabiorum, Marcellorum, Scipionum, Alexãdrorum, Cæsarum haberet imagines alias, quas intueretur, libros inspiciebat, quibus gesta ab illis continerentur, cuius te nomen referentem, hoc eius exẽplum, ut alia multa, imitari maxime oportet, ut enim Auo turpe non esset uinci à Nepote in literis, sic Nepotem te gloriæ eius deesse turpe sit, & dedecorosum. Neq; illis assentiendum est, qui literas accusant, qui si propterea contemnendas ducunt, quod discendæ nõ sint, tanquam non necessariæ,

nescio quid sit, quod ipsi discendum putent. Quid est enim per Christum tam necessarium quàm multa scire, atq; ea tum in cognitione naturæ, & rerum occultarum, tum in memoria rerum præteritarũ, & clarorum uirorum exemplis posita? nisi si quid honestum, quid turpe, quid bonum, quid malum, quid expetendum, contra quid fugiendum, quid ægrotantibus iucundum, quid ualentibus noxium sit, scire ipsi non putent necessarium, qua uero ratione lautius conuiuium paretur, scire solum putent esse necessarium. Sin fortasse quod sint indignæ homine, ij falluntur omnino, &, quod dici solet, tota errant uia. Quid enim homine dignius, quàm inter cæteros excellẽtem esse? Excellere autem doctrina præditos, uel ex eo iudicari potest, quod in maximis gerendis rebus, consilijs'q; capiendis, primum semper locum ij tenent, qui docti habentur, Neq; enim pueros statim grãmaticis esse tradendos, à qbus erudiãtur, consentirent oẽs, si literæ indignæ illis futuræ essent postquam uiri persuasissent. Sed sunt qdã, q ut ignorantiam suam, de qua etiam gloriari audent, defendant, ipsi de literis, literatis'q; hominibus male sentiant, malo otio, & langori dediti. Licet autem non omnes, qui inter doctos numerantur, nota careãt, uitium tamen non ad literas, sed ad ipsorum ingenia referendum, quanquam literæ ipsæ propter celebritatem conspectius illud efficiant. Sed & hoc necesse est ut & ipsi fateantur. Ex ijs etiam, quos idiotas uulgus appellat, quiq; literas nesciant, plurimos esse teterrimorum uitiorum maculis respersos, inquinatos'q;, qui ut alijs careant, illo certe non carent, quod indocti ignorãtes'q; sunt, quo quid aut esse contemptius, aut homine indignius potest? Vrbe perterrita, & quid consilij caperet incerta metu Catilinæ, coniuratorumq; aliorum, plebis, patrumq; communi consensu maturatum est ad consulatum demandandum M. Tul. Ciceroni, quanquam nouo homini, et inquilino, primarijs ciuitatis uiris præteritis, uidelicet non Arpinũ, aut maiorum imagines, tantam ei exspectationem comparauerãt, sed insignes literarum tituli, & adducta è Rhetorum scholis in forum, Senatumq; eloquentia.

Mortuo Nicolao quinto Pontifice Maximo, quod de Marino Tomacello, qui per id tempus Romæ agebat, audiui, cum ei successisset Calistus, timeretur'q; ne à Iacobo Picinino bellum moueretur, atque ad eum accessisset magnus quidam uir, nouo tamen quod immineret bello perterritus, non esse, inquit, quod Picininum uereretur. Habere enim ecclesiam Christi tria millia & amplius literatorum hominum, quorum consilijs, sapientiaq; omnes omnium simul Euro-

pæ ducum conatus facile reprimi, atque contundi possent.

Sed non sit mihi longius nunc cum his certamen. Neq; enim literæ patrocinio meo indigent, apud te præsertim, locus hic tantum attingendus fuit, non explicandæ laudes earum, in quibus connumerandis finem facio, ne illas laudans uidear de meis studiis aliquid prædicare. Illud tamen nullo modo præterierim, quod uicto, captóq; Antonio Caldora, Auus tuus cum exercitu in Pelignos profectus, cum peruenisset in locum, unde Sulmo poterat despici, percuntatus, An ea, ut ferretur, Ouidij esset patria, & qui aderant affirmassent, urbem salutauit, gratiasq; genio loci egit, in quo tantus olim poëta genitus esset, de cuius laudibus cum non pauca disseruisset, tandem famæ eius magnitudine commotus, Ego inquit huic regioni, quæ non parua regni Neapolitani, nec contemnenda pars est, libenter cesserim, si temporibus meis datum esset hunc poëtam ut haberent, quem mortuum pluris ipse faciam, quàm omnis Aprutij dominatum. Et quoniam non semper agendis negotijs occupati esse possumus, & à libris secedendũ est aliquando, faciendæq; sunt intermissiones, ac quærenda tum animi, tum corporis laxamenta, uidere oportet, ut cessatio omnis careat ignauia, ne cum relaxari quærimus, desidiosi effœminatiq; efficiamur, eritq; otium, ut sine negotio sic absque segnitia, Nam ut agrũ quamuis uberi sit solo, prudens tamen agricola cessare patitur, qui tamen si diutius cesset, sentibus fruticibusq; obsitus squalet, sic ubi animum otio torpere nimio patiemur, efficiactur ut iure illa in nos dicantur. pluma Sardanapali, Epicuri de grege porcum, & siqua dici, aut fingi possunt indigniora opprobria. In hac cessatione dandus erit locus aliquis iocis, facetijsq;, quibus animus recreetur. Quodq; ait Laberius, facundum comitem in uia pro uehiculo esse ad istam, quam dico, cessationẽ transferẽdum. Adhibendi sunt etiam musici, qui tum cantu, tum chordis oblectent animum, & curas permulceant. dandum quoq; aliquid Histrionibus. Auus tuus meridianis horis, arcu se cum iuuenibus exercebat, Augustus pila & folliculo. Venatio quoq; & aucupium, corpus, animumq; maxime reficiunt. Pater tuus istud ætatis equis operam dabat. Cyrus apud Astyagem auum puer equũ agere, & conclusas horto feras iaculo ferire doctus, postquam adoleuit, aut aprũ aut leonem in syluis petebat. Itaq; non iniuria apud Maronem præcipue laudi datur Pico, quod esset equũm domitor, de bellatorq; ferarum.

Omnium autem primum studere oportet, ut ab ijs potissimum amere, quibus corporis, ac rerum familiariũ curam permiseris, quod faciens

uiues securior, & amor iste cum inter familiares altius egerit radices, latius postea euagatus, non modo inter populares, subiectosq;, sed externos quoq; diffundetur. Quẽ eni qsq; amat, eũ si fieri possit, uiuere ꝑpetuo expetit, nulliq; minus exercitu opus est, q̃q̃ haud scio an ulli maiores sint copiæ q̃ ei, q plurimũ ametur. Iure igitur uideri potest dictum, quod Thomas Pontanus libenter usurpabat, Amorem nunquam fecisse stipendium. Illud etiam eiusdem est non minus prudens. Amorem inermum quidem incedere, dormire tamen loricatum. Ad conseruandum autem, & magis indies augendum familiariũ, & eorum, quos intimos habeas, amorẽ, illud maxime ualet, ut amari se abs te intellegant. Vetus enim est, & prudens, Si uis amari, ama. Quod ex eo potissimum iudicabunt, si secundis rebus suis senserint te lætari, dolere plurimum aduersis. Deuinciet autem illorũ animos, ac in primis fidos faciet liberalitas gratitudini coniuncta, quæ in principibus modum non potest excedere, quanquam nec semper, nec cum omnibus eadem sit lex tenenda, ne dũ assuescunt quotidie accipere, si retrahere aliquando manum necessitas coëgerit, aut honesta ratio suaserit, mutent animum, & tanquam iniuriam aliquam acceperint, quærant quo'nam modo ualeant ulcisci. Multum etiam conferet humanitas, qua uirtute cum excelleas, necesse est, non modo ut ab intimis tuis amere multum, sed à cæteris omnibus. Cyrus hic, quem imitari te maxime cupio, qua tempestate ob inopiam liberalitate uti minime poterat, beneuolentiam suorum humanitate conabatur assequi. Quippe quibus etiã in faciundo opere adiutor adesset, ac laborũ socius. Nam postquam regno Assyriæ potitus est, nullum in eos liberalitatis genus exercere prætermisit. Cum non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum contulisset diuitiarum, suos esse thesauros duceret. Quanquam non modo familiares, & amicos, sed è subiectis unũquẽq; adeo lætaretur copia rerum abundare, ut boni regis proprium officium, quin & opus esse diceret, etiam ciuitates beatas efficere.

Non tam autem studendum est, ut liberalis habeare, atq; humanus, quàm cauendum ab ijs uitijs, quæ his uirtutibus dicuntur contraria. Non sentient te auidum alieni, neq; inhiantem ijs, quæ ipsi in delitijs, & cara admodum habeant. Dominum enim cupidum necesse est rapacem fieri, iure, iniuriáq; uim inferentem, ut cupito potiatur. Hinc proscriptiones, exsilia, cruciatus, cædes, hinc etiam postea contigit, uere illud dici,

" Ad generum cereris sine cæde & uulnere pauci

Descendunt reges & sicca morte tyranni.

Ad hæc quid magis alienum à regibus, aut ipsorum securitati minus conducens, quàm quod cum ipsi præbere se cæteris debeant humanitatis exemplum, difficiles & superbos agant? Inhumanitas enim mater est odij, ut superbia crudelitatis, malus utraq; & uitæ, & principatus custos. Me puero Angelotus Cardinalis, quod asperiorem se, et nimis etiam tenacem erga suos præberet, à famulo, quem cubiculi curam habere iusserat, iugulatus est. Quid Tyrannis eueniet, quando ij, qui sacrosancti habentur, hunc exitum uitæ non euadunt? quẽ cum semper timeant, quibus eos necesse est curis angi, & tanquam adhibitis tormentis cruciari noctesq;, diesq;? Tradunt Massanissam, cuius olim in Africa late patens fuit imperium, cum ne filijs quidem fideret, corporis custodiam commisisse canibus, quos multos, & feroces alebat. Quàm hic securus uixerit, ex hoc uno plane iudicari potest, quod canibus, quàm filijs plus fidei haberet. Quo ut non securiores, sic non minus infelices uixerunt Pheræus Alexander, & Syracusanus Dionysius, quorum alter ad Theben uxorem, quam perdite etiam amabat, cum introire uellet, barbarum quendam, & eum notis compunctum threicijs, ut Cicero refert, stricto gladio iubebat anteire, præmittebatq; de stipatoribus suis, qui muliebres arculas perscrutarentur, & nequod in uestimentis telum occultaretur exquirerent. Alter uero cum duas haberet uxores, Aristomaden & Dorida, neutrius unquam complexum petijsse dicitur, nisi uestibus prius excussis. In cubiculũ quoq;, quod lata cinxerat fossa, ligneo põte se se recipiebat. Quin etiã filias, à quibus ante tondebatur, ubi adultas uidit, ueritus cultrũ illis committere, candente carbone capillum sibi aduri faciebat.

Vetus etiam sententia est, nec authoritate carens, nec euentu, alienam uirtutem Regibus semper esse formidolosam. Quibus si tanta esset cura uirtutis honestandæ, quantis præmijs minus bonos interdum prosequuntur, profecto regum res quietius haberent, nec misceri eas cerneremus, aut regna ipsa pulsis iustis dominis ad ignotos nõ raro trãsferri. Quamobrem quoniam regni Neapolitani & ampli, & opulenti successio ad te pertinet, hortor, ac moneo, uti paterna, auitaq; imitatus uestigia, eum te à puero instituas, ut probatissimos quosq; et uirtute præditos complecti assuescas. Est autem uirtutis ea natura, ut in quo sit, latere diu non possit. Sedebat aliquando Antonius Panhormita de lectione fessus in uestibulo Pliniani sui, quæ uilla est haud

procul Neapoli in litore Resinati. Cumq; inter eos, qui aderant, esset de uirtute quæstio, dixissetq; Antonius splendidissimum eius lumen esse, præteriens uillicus, nescio quàm inquit, uirtus ista, quam dicis, splendeat Antoni, Sed certe scio me diutius illius contemplandæ desyderio captum intueri eam nunquam potuisse, Ad quæ surridens Antonius. Tu quidem bone uir de asello, quem per imprudentiam amissum nondum inuenisti, dicere bellissime poteras. Sed dic quæso, quid putes esse in orbe splendidissimum? Solem, inquit ille. Atqui solem cæci non uident, non uident respondit, quod ij sint oculis capti. Multo ergo spendidior est uirtus, quam etiam cæci apertissime uideant.

Prima igitur spes, quam polliceri de te populis debes (quod quidem facis) illa sit, ut delectari te præstantissimorum hominum consuetudine intellegant, quod cernentes sperabunt futurum te eum, in quo sint reposita uirtutibus præmia, quam tui exspectationem magis magisq; indies & concitabis, & augebis, siquo maiorem quis uirtutis opinionem præbuerit, hoc illum in honore maiore haberi abs te cognouerint. Quorum hominum etsi exiguus est numerus (uirtus enim, ut cætera bona, rara est) Idem tamen circa uirtutem contingit, quod circa bonarum artium quãq; uidemus solere contingere. Vt enim si aut Poëticæ, aut physicæ sit honor propositus, magnus erit illorum numerus, qui clarere in eis studeant, eodem modo plurimi ut uirtutem assequantur, contendent, si præmia quoq;, quæ uirtuti debentur, unà se consecuturos sperauerint. Laurentius Valla, cum ab eo quæsisset Nicolaus Quintus Pontifex maximus, cur senex iam & in latinis literis consumatus, tanto studio græcas disceret, Vt duplicẽ, inquit, abs te Pontifex mercedem accipiam.

Et quoniam fortuna principum in edito, et prælustri sita est loco, præbetq; sese spectandam omnibus, studendum est, ut dicta, factaq; tua omnia eiusmodi sint, quæ non modo laudem tibi, atq; authoritatem pariant, sed & familiares, & populares ipsos ad uirtutem excitent. Ad quam nulla eos res magis excitabit, quàm spectata ipsis uirtus tua, & mores quamprobatissimi. Prudentissime igitur Claudianus, componitur orbis Regis ad exemplar. Quid illud, Non'ne prouerbij locum tenet? Dominus qualis sit familiam ostendere.

Maxime autem opinionem, tum subiectorum, tum cæterorum hominum conciliabit ea, quæ nunc à quibusdam etiam non indoctis uiris, quamuis parum proprie maiestas uocatur. Sed non sit mihi de uerbo controuersia, uulgus in hoc sequar, in quo ueniam mihi dari

à te postulo. Est autem ea principum propria, comparaturq́; arte, et diligentia multa, habetq; ortum à natura. Primum igitur oportet teipsum ut cognoscas, intellegasq́; te gerere principis personam, quod intellegens in omnibus tum dictis, tum factis grauitatem seruabis, atq; constantiam. Cumq́; omnis tum consultatio, tum actio sit de consilijs capiendis, aut de rebus publicis aut priuatis, in capiendis consilijs oportet multa audire, plurima circunspicere, causas singulorũ, quæ dicuntur, exquirere, non statim assentiri, nec semper etiam palàm improbare oculis, nutuq́; multa declarare, multa etiam pẽsitantem animo, uultu præteferre, sententias aliorum ita examinare, ut mentes dicentium uideare uelle introspicere, quod ipse sentias, aut non statim, aut solum paucis aperire, in dicendo cautum, & breuem esse, pro rerum tamen qualitate, parce reprehendere, rarenter, & non nisi maxima ex causa obiurgare, Laudare cum grauitate, iracundiam cohibere, tanquã maiestatis inimicam, in nullo ita efferri, ut, quod aiunt, lineam transeas. Ex his igitur, atq; alijs, quæ natura, tempus, res & ars docuerit, de quibus nulla certa præcepta tradi possent, nascetur admiratio quædam, sine qua maiestas esse nullo modo potest.

Publicæ uero res (uoco autem publicas, quæ ad quietem populorum, & regni moderationẽ pertineant) arte alia tractandæ sunt. Vrbiũ legatis conspectum tuum adeuntibus, mansuetum te, & facilem præbeas, mandata referentes eo uultu audies, ut fiduciam eis ad dicendum des, Cum uero dimittentur, ita eos dimittes, ut qui honesta, & iusta facile abs te impetrari posse intellegant. Nec his contentus, honoribus quoq;, & donis, quæ grata illis esse, foreq; cognoueris, honestabis, atq; afficies. Quæ uero aut minus honesta, aut non satis æqua petierint, ea non semper, nec palàm, nec tristiore uultu, aut grauioribus uerbis deneganda sunt, sed potius ostendendum est, non ideo ea te non concedere, quod nolis, sed quod illis inutilia iudices, quodq́; ea ratione ipsorum rebus melius consulatur. Vbi aũt de iure agitur, nullũ à te ꝑsonarũ discrimen habeatur, sed ipsarũ legum personã induas, quæ eædẽ semꝑ sunt oĩbus, populos etiã oportet tum literis, tũ nuntijs pro rebus, temporibusq́; sæpius ut horteris, moneas, excites, nec semper exspectabis, dum rogent quid, sed ultro, & non rogatus beneficium conferes. præmia quoque proponenda sunt ijs artibus, quas celebriores in ciuitate senseris. Præsens, cum te erga ciues geres, ut necessitatibus suis patremfamilias, iuridicundo prætorem, ciuilibus simultatibus, dissensionibusq́ue compositorem adesse sentiant, gaudentem suis secundis, ac florentibus rebus, dolentem

aduersis, ac totis uiribus pericula uimq; propulsantem, demumq; et absentem, & præsentem eam te rerum suarum habere curam intellegant, ut tanquam dominum uereantur, colant ut patronum. In iudicijs autem seuerum, in responsis grauem & circunspectum sentiant, gratum in sermone, acrem in sententijs, minime tamen contentiosum. Sint uerba ut sine supercilio, sic non absq; grauitate, & penso. In facinorosos autem, & eos, quos pœnis afficiendos leges sanxerint, sic animaduertas, ut non hominem, sed crimen insectari, ac punire uideare. His atq; similibus amor conciliabitur, & reuerentia, fideles, & diuturni Maiestatis comites; quanquam poëtæ ex honore, & reuerentia natam eam uelint.

De priuatis quoq; aliquid præcipiendum est, si enim omnia persequi uelim, uereor ne modũ excedat præceptio. Ad hæc non pauca sunt, quæ ut hic probantur, sic alibi improbanda sunt. Mutantur enim multa pro locis, rebus, temporibus, quorum quidem natura ipsa erit optima magistra, & ipsarum tum rerum, tum temporum, atq; ingeniorum obseruatio, ex qua ars constat. Priuata igitur, cum aut extrinsecus erga eos, qui priuati sint, aut erga teipsum sint considerranda, quem te gerere erga alios debeas, Lex hæc erit, ut peregrinos humaniter excipias, attentus audias, liberaliter tractes, in omnibus facilem te eis & benignum præbeas, Studeas etiam ante quàm te adeant, quoad poteris nosse, quod sit suum ipsorum ingenium, quibus cum uixerint, quas artes fuerint secuti, quas etiam sequantur opiniones, factiones'ue; tristes'ne sint, an hilares, suaues in sermone an duriores, quæ afferant mandata, quid impetrare cupiant, publice ueniant an priuatim, mores quoq; nationum, & studia sunt diligenter noscenda. His enim cognitis facile intelleges quid agere teipsum oporteat, Adhibitos in cœnam laute accipies, inter discumbendum alloquere familiariter, multum delectari te illorum sermone ostendes, multa etiam ab ipsis de moribus nationum, de situ locorum, de ijs, quæ inter peregrinandum memoratu digna uiderint, audierint'ue, doceri studeas. Inuitandi sunt etiam ex ijs, qui aderint, de rebus tum iocosis, tum grauibus ut aliquid dicant, quod tum admirationem, tum uoluptatem pariat. Cũ uero in eum sermonem tecum uenerint, ut impetrare aliquid abs te contendant, tum oportet ut liberalitatem, munificentiamq; præteferas, & ubi aut dignitas tua, aut ea, quæ ab illis petentur, exigent, religionem, iustitiam, continentiam, mansuetudinem. Cum autem dimittendi sunt, blandis uerbis, & comi sermone alloquere, nec contentus ijs, quibus eos donaueris, multa quoq; &

ipse pollicebere, & per alios offeres.

E' subiectis autem, quorum tibi aut ingenium, aut fides, aut multa rerum experientia cognita fuerit, præficies magistratibus, prosequere salarijs, alium belli rebus, alium pacis designabis, bonis consilio, & iustitiæ cultoribus, urbium, aut prouinciarum curam demandabis, probatæ fidei, et ingenij minime uarij præficies arcibus, administrãdis pecunijs, thesaurisq; conseruandis, quos frugi, diligentes, industrios abstinentes scieris, In hos seuerum, in illos facilem, pro causis, ingenijs, temporibus, locisq; te exhibebis, sciens summum ius, summã interdum iniuriam esse, non raro etiam magis ex æquo, & bono, quàm iure agendum. Quædam etiã magis ignoscenda esse, quàm punienda, nonnulla etiam prætereunda tanquam ignores, aut in aliud tempus differenda.

Optime etiam haberet, si unumquẽq; è subiectis domini cognoscerẽt, Nam ut bonis locus, & gratia apud illos esset, sic malis, improbisq; paratum supplicium, quod quoniam tum naturæ humanæ imbecillitas non patitur, tum fortunæ inconstantia prohibet, cum præter opinionem plura contingant, præstandum est, ut si non omnes, plurimos tamen cognoscas, sciasq;, quod nullus mercator in capiendis, soluendisq; nummis ignorat, quanti quisq; sit expendendus. Summa etiam cura attendes, ut quos iuri dicẽdo præfecturus es, auaritia, cæterisq; malis libidinibus animum liberum, atq; inuictum gerant. Vim à quoq; ita prohibeas, ut nullius rei acriorem te, quàm legum, ac libertatis defensorem ostendas, nihilq; nisi quod iustum, & honestum sit ab ullo exigas.

Cum familiaribus quoq; neglegendum non est, qualis ipse futurus sis. Nam ut est apud Iuuenalem.

-Lingua mali pars pessima serui est.

Infamia enim, ut Nicolaus Maria Buzutus eques Neapolitanus dicere solet, domesticum malum est, quæ in domus penetralibus nata, ubi paulum modo adoleuerit, furtim se domo surripiens orbem peruagetur. Quàmobrem danda est opera, ut familiares, quiq; aulici hodie uocantur, optime de te sibi persuadeant, quod his moribus, artibusq; facillime assequeris, si facilem, comem, benignum, liberalem, erga eos te præbueris, facile condonantem peccata, ac recte facta in maius etiã extollentem. Si unusquisq; partes suas pro ministerio, opera, ingenioq; suo ualere apud te intellexerit. Si ex ijs, quæ ipse sponte tua in ipsos conferes, sibi polliceantur te, & non rogatum maiora indies in se collaturum, & à rogato quæ petent facillime exoraturos.

Ludouici Pontani grauissimi uiri, & sua ætate iurisconsultorũ principis nobilis sententia est, neminem posse in literis clarum euadere, nisi qui plurima legerit, audierit, memoriæ mandauerit. Quam si subtilius intueri uelimus, intellegemus regem etiam bonum esse nequaquam posse, nisi sæpe & multum legat, multos multa referentes audiat, lecta, atq; audita memoriæ mandet, quod etiam Homerus cõprobare uidetur, qui Vlyssem, quem sapientem effingere uolebat, ab ipso statim operis initio his laudibus tanquam circunscripserit,

" Qui mores hominum multorum uidit, et urbes.

Quamobrem si amari à familiaribus, quod unum præ omnibus studes, uis, si futuri boni regis exspectationem concitare, quod solum à Dijs immortalibus optas, id de te in primis præsta, ut non uni ex omnibus addictus uiuas, quod maxime alienum est à Principe, sed teipsum omnibus tanquam per uices partire palàm faciens, unum te esse, ad quem referri omnia & uelis, & debeant. Vt enim male actũ esset cum genere humano, si uni se Deus, aut paucis admodum præberet exorandum, Eodem modo male cum principum, Regumq; familiaribus, si in tanta multitudine uni, aut paucis admodum locus, fidesq; sit. Nullus enim familiaribus maior est dolor, quàm ubi cum principe suo ueluti ꝑ interpretẽ agendũ sit. Oportet enim qui amari à suis, et minime peccare in rep. uelit, plurimis oculis, plurimisq; auribus ut utatur. Iacobus Caldora dux ætatis suæ clarissimus dicere solebat, eo die multum se pecuniæ cõparasse, quo multos audisset, cum multum audire, maximos thesauros esse duceret. Vultus etiam bonus & læta, ut dicitur, frons incredibile est quantum adiuuent. Catum nanq; est illud, dextera corpus pasci, animum uultu.

Totius autem maiestatis fundamentum est, si tecum ita quidẽ uiuas, ut minime à te ipse dissentias, in omnibusq; tum dictis tum factis fidẽ ut teneas, atq; constantiã, quodq; in alijs reprehẽdendũ iudices, seuerus in te iudex prius correxeris, animumq; prauis cupidinibus minime obnoxiũ gesseris. Si quẽadmodũ potestate, et ĩperio, sic iustitia, pietate, constantia, moderatione, præcedere alios contenderis. Si ut fraudulẽti, et ꝑfidi nomen abhominabere, ita nec semper, nec oĩbus tantam fidẽ adhibebis, aut in dicendo, aut in consulẽdo, aut in alijs, quæ plurima in uita mortalium dubia, & incerta contingunt, ut non existimes posse aliquando eos decipi, errare, labi, cum ueritas plurima habeat diuerticula, et, ut Narcissus Theologus acutissimus uir dicere solet, in latebris habitet. Patientia quoque æstus, algoris, inediæ, non modo commendatur in Principibus, sed tanquam neces-

saria desyderatur. Cibo etiam, & potu ut cæteris corporis uoluptati bus maxime temperandum. Quid enim magis contra maiestatem, q̄ qui alijs imperet, eum uino, intemperantiæq; seruire? quod monstro simile est. Si enim, ut est apud Nasonem,

» Non bene conueniunt, nec in una sede morantur
Maiestas & amor, - Quanto minus ebrietas & temulentia, quæ sordidis etiam hominibus maximo uitio datur. Somnus quoque immoderatus, & non concessæ uiris delitiæ, omnino fugiendæ, Eneruat enim somnus, delitiæ effœminant. Principem nanq; in umbra, & plumis, ut aiunt, assidue agentem, multa uitia necesse est circunsistant, cum uoluptatum titillantiū nutrix sit culcitra, cui morbo multum adijciunt secreta cubiculorum conclauia. Quãmobrem recte ab
» Horatio dictum est. Otium & reges prius & beatas perdidit
» urbes.

Non parum etiam in gestu positum est. Sit igitur incessus non mollis, non concitatus, non dissolutus, medium inter hæc tenendum. Absit ab omni corporis motu rusticitas, & petulantia, manuum complosio, & brachiorum concitata motio, omnino inepta. Quid uultus illa contortio, quàm uitiosa? quid risus profusio, & cachini pene singultantes quàm turpes? quid capitis cum ceruice quassatio, quàm uulgaris? & pene dixerim equis hinnientibus, quàm hominibus magis conueniens.

In oculis quoq; non paruam natura posuit motuum animi declarationem. Quãmobrem ab eorum motionibus omnis erit abijcienda leuitas, atq; impudentia, & cum nulla corporis pars uacare debeat cõtinentia, oculos maxime oportet Principem habere continẽtes, nihil fœdum, uarium, crudele, inuidum, uanum, in illorum appareat motu, atq; obtutu, nihil in superalijs, nihil in fronte.

Vestitus quoq; & totius corporis ornatus aptus, et decens multum conferet & ad retinendam, & ad augendam, quam dico maiestatem, quem et si mutari oporteat, pro locis, negotijs, causis, ætatibus, temporibus, non enim idem est senum, qui & iuuenum, idem belli, qui, & pacis, idem aduersis, qui & secundis rebus, idem in iudicijs, qui etiam in spectaculis, danda tamen est opera, ut nos & ubique, & semper ij simus, quos esse conuenerit. neu inter triumphantes pullati, in funerum uero pompis sericati, diuersicoloresq; incedamus. Vtinam autem non eo impudentiæ peruentum esset, ut inter mercatorem, & patricium nullum sit in uestitu, cæteroq; ornatu discrimen. Sed hæc tanta licentia reprehendi potest, coërceri non

potest, quanquam mutari uestes sic quotidie uideamus, ut quas quarto ante mense in delitijs habebamus, nunc repudiemus, & tanquam ueteramenta abijciamus. Quodq; tolerari uix potest, nullum fere uestimenti genus probatur, quod è Gallijs non fuerit adductum, in quibus leuia pleraq; in pretio sunt, tametsi nostri persæpe homines modum illis, & quasi formulam quandam præscribāt. Vt non omnis color, nec omne pannorum, aut sericorum genus, Sic non omnis uestitus & ornatus Principem decet, cum uestimenta quædam gregariorum tantum sint, aut remigum, eodemq; modo colorū, alij sint puerorum, alij senum, seruorum alij, alij ingenuorum. Inter has igitur tantas uarietates, ac diuersitates eligere oportet quid maxime conueniat. Quod siquando in dubium cadet, tunc illa ratio tenenda erit, ut ea minus probes, quæ ad dignitatem hominis, principisq; maiestatem minus facere iudicabis. Calceum enim rostratum, & reiectum, ab occipitio ante oculos capillum, quis dubitet non modo principi, sed ne pudenti quidem adolescentulo non conuenire? quā quam remittere aliquid de maiestate aliquando permissum sit, quod licet interdum permittatur, memores tamen esse oportet illius, quod à Nasone dictum præcepti loco habendum est.

Fine coli modico forma uirilis amat.

Quò enim pertineat muliebris, & in adolescente, et in sene cultus, nimiaq; in comendo diligentia, omnes intellegunt. Sit igitur cultus, q dignitatem augeat, non formam uenustet, licet forma ipsa de cultu plurimum capiat adiumenti, ac nonnunquam etiam quæ insunt à natura uitia, cultus accessione aut minuantur, aut contegantur. Sed quis probet contortos in annulum capillos, & ad humeros usq; deiectos? quis non horreat barbā ad pectus promissam, & prominentes in collo, aut brachijs setas? quanquam hæc quarundam nationum propria sunt. È cultu enim uenustatem quærere mulierum est, horrorem autem barbarorum, nobis uero & uirilis, & italica disciplina tenenda est, non quod ab alijs gentibus, siqua digna apud eas uidebuntur, accipienda non sint, quæ quidem quotidie accipimus, sed ut sciamus nullam esse nationem, quæ tanto studio, quanto italia homines grauitati inseruiat. Qualis autem ornatus maxime deceat, aut in excolendo quæ sit meta, difficile dictu est, cum nihil sit hodie in his perpetuū, nec quod præceptis aut regulis cōprehendi satis queat, nisi forte illud perpetuum sit, ut medium teneamus, quod ego, et si in priuatis quibusq; uiris probem, tamen quoniam in principe augustius qddam esse et debet, et exigimus, uereor ne mediū ipsum parū sit.

Hanc

Hanc conseruandæ, augendæq; maiestatis partem, Dux Alphonse, quam adhuc persequor, uideo totam fuisse ab antiquis philosophis prætermissam, nullus enim quod exstet, aut ipse sciam aliquid de hoc præcepit. Nam quæ à Cicerone & prudenter, & distincte de decoro dicuntur multa, ea tum priuatorum, tum magistratuum, qui à priuatis ad certum tempus geruntur, personas respiciunt, non regum, quã quam multa illinc transferri ad hæc possunt. Quam partem si diligentius persequi uelim (non enim ignoro, quàm late tractatus hic pateat) necesse esset auocari me ab his negotijs, quibus deesse nec ipse possum, nec à patre permittitur tuo. Quod si illud, quod scriptoribus dari solet, otium mihi concessum esset, nihil, quod ad hanc præceptionem pertineret, prætermisissem, nec quæ nũc attigi, breuiter perstrinxissem, sed diuisa in species, ac parteis suas non in una coarctassem epistola, sed uoluminibus pluribus explicassem. Dixissem nanq; qualem conueniret esse in conuiuijs Principem, qualem in ludis, qualem in cærimonijs, qualem in iure dicundo. Nec tacitus præterijssem, qualem eius regiam esse oporteret, aut quibus instructam ornamentis, apparatibusq;, & cum fama maxime constet maiestas. Nam neglegendum à principibus non est, quid exteræ quoq; nationes de se sentiant, hanc etiam partem copiosius essem exsecutus, quod, ut dixi, occupationes meæ non patiuntur, et epistola finem quærit, cui tamen hoc etiam accedet, ut qualem esse principis orationem deceat, breuiter explicem.

Cum igitur duo tantum sint, quibus ab animantibus cæteris magna cum excellentia differamus, animus, & oratio, Sitq; oratio index eorum, quæ animo aut conceperimus, aut sentiamus, omni arte studendum est, talis ut oratio sit, quæ nihil obscœnum, stultum, temerariũ, inuidum, superbum, leue, cupidum, libidinosum, immite, animo, cogitationibusq; inesse indicet tuis, sed quæ præseferat in serijs rebus grauitatem, in iocosis leporem, urbanitatemq;, in dubijs circunspectionem, ueritatem in iudicijs, & seueritatem, In aduersis ac tristibus fortitudinem, in lætis, prosperisq; mansuetudinem, facilitatem, humanitatem.

Sint uerba rebus conuenientia, quibus etiam accedat uultus, & totius etiã corporis motus aptus, ac decens. Cauere autem oportet ne uerba ipsa sint plebeia aut peregrina, aut militaria. Plebeia nanq; sordida sunt, & ridicula, peregrina licet interdum nouitate ipsa placeant, tamen non sine dicentis audiuntur reprehensione. In militaribus uero inest temerarium nescio quid, atq; inconditum.

Ipsa tamen oratio sit minime concitata, aut truncata, lenem esse cupio, & fluentem, quæq; simplicitatem quandam indicet, & quod uelit paucis, apte tamen colligat, quanquam nonnunquam res ipsa exigit, ut impetum faciat oratio, & tanquam manum conserat, ac nunc feriat, nunc minetur. Sed quoniam non sine quibusdam iræ stimulis, & concitatione animi uehementiore fieri hoc potest, quandocunq; contingat, ut in dicendo reprehensorem, obiurgatorem'ue agere necesse sit, quoad fieri possit, obiurgatio ira uacet, quæ ubi est, maiestas nullo modo retineri potest.

Vocem nobis ipsa natura nascentibus dedit, cui tamen ex arte non parum accedit adiumenti, maxime autem probatur clara, & suauis, nec languens, nec canora, quam tamen nunc demittere, nunc tollere, proq; affectibus animi, aut inflectere, aut mutare oportebit, ut non solum rebus uerba, sed uox quoq; utrisq; conueniat.

hAEC AD TE Scripsi Dux Alphonse breuius, quàm tantæ rei præceptio exigit, nec me fallit, q̄ latus hic campus sit, & ad disserendum, & ad præcipiēdum. Sed non fuit propositi mei, regem ut instituerem. Quāmobrē leges hæc tu quidem non eo consilio à me scripta, ut aliquid doceare, sed ut hæc legens, teipsum, eaq;, quæ cum summa omnium laude agis, recognoscas, teq; indies magis ad gloriam excites. Scias autem qui agendum id cuiquam præcipiat, quod ille agat, eum nō præcipiētis, sed laudantis potius personam induere. Quod ego hac epistola feci, quem si librum appellare malueris, non repugnabo authoritati tuæ, quemq; si sensero tibi non displicere (nam ut laudari postulē nimis impudenter ingenio suo blandientis esset) breui sequentur alij, quos futuros arbitror non inutiles.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD ACTIVM SYNCERVM DE LIBERALITATE LIBER.

SCRIBENTEM ME DE Liberalitate Syncere Acti, noua quædam, sed nec indigna fortasse, liberalitatis ipsius beneficentiæq; subijt cōsyderatio, ut in primo uirtutum harum loco, & quodam quasi suggestu, bonarum artium magistros merito constituendos cēseam, propter beneficiorum tum magnitudinem, tum etiam utilitatem. E`qua enim uel opera, uel pecunia; maiora, quàm ex optima animorum informatione, aut etiam utiliora, quàm ex illis recte institutis proueniunt beneficia? Aut quod externis è rebus collatum bonum cum bonis animi conferendum? Neq; enī spectati mores, laudabiles item actiones, nisi à bene constitutis proficiscuntur animis. Tot itaq; ac tantæ informantium curæ, atq; ad excolendos animos instituētium labores, suis in primis honoribus, ac præmijs uidentur merito prosequendi. Detur igitur mihi bona cum legentium uenia, pro suscepto præceptionis huius labore, Vt cum de institutentium laudibus hæc & sentiam, & prædicem, Ne existimer meam in laudem, studiorumq; commendationem tanquam præfatum fuisse, apud te præsertim, uel amicum præcipuum, uel studiorum eorundem tum sectatorem, tum socium. Cum etiam patrem tuum Nicolaum Nazarium mirifice amauerim: Massiliam uero matrem propter morum sanctitatem, educationisq; tuæ singulare, supráq; maternam affectionem studium fuerim etiam ueneratus, uenererq; memoriā. Sed de præfatione hac mea, deq; uitæ institutoribus, uirtutumq;, ac disciplinarum magistris satis sit pauca hæc disseruisse, præsertim sine spe, sine pretio, absq; ambitione scribentem. Omnino enim meus hic præcipiendi labor & fuit semper, & futurus est ēt apud Reges gratuitus. Neq; enim ignoras perinde ut consiliorum non raro meorū socius, sæpe etiā laborū particeps, è maximis, ac difficillimis nō semel à me confectis, ac nauatis rebus, præter laudē, recteq; agēdi cōsciētiā, nihil me aliud reportasse, sola conscientia, teq; ipso teste, gloriaq; cōtentū. Quibus in rebus quāta nō idustria modo, uerū mode

ratio etiam apparuerit mea, sit Italiæ ipsius, sit Galliarum, Hispaniæq; iudicium, atque perpensio. Te uero mi Syncere, hæc ipsa de liberalitate à me præcepta & tradita, ratione sua metientem satis scio propter generis ingeniiq; tui nobilitatē non nisi indignanter laturū, ubi in mentem tuam uenerit, Regulos quosdam, rerumq; publicarū administratores, tantum à uia curriculoq; liberalitatis deflexisse, ut rapinæ soli intendant, inhientq; popularium suorum diuitiis, direptionibusq; ministrorū. Quæ quidem res nequaquam tamen à scribendo me deterruit. Siquidem leges ipsæ, recteq; uiuendi formulæ non iis traduntur, qui ipsi & sibi, & aliis lex sunt, uerum illis potius, qui ab iniusto, inhonestoq; sunt continendi, atque ad honestatem inuitandi, retinendamq; inter ciues æquitatem, atq; modestiā. Tametsi (quos æquus etiam amauit Iupiter, quosq; Mantuanus ille tuus, non minus quàm meus, paucos esse uult) ii & legibus, & institutis, & bonarum actionum præceptionibus gaudent, seseq; adiungere illis student.

ERVM EGESTATEM, & ipsam humani generis societatem, cuius retinendæ plura sunt uincula, homo ipse plurimum, et dando subleuat, & inuicem liberaliter agendo conseruat. Quod si mercatura quanquam pretio seruiens, quia multa tamen undiq; apportat, iure à plerisq; laudatur, quanto laudabilior iudicanda est dandi benignitas? cum gratuita sit, ac solam benefaciendi gratiam spectet. Cui quod libero homine maxime digna esset, liberalitati nomen maiores nostri fecere, & qui ea uterentur, liberales, quod ij potissimum libere agerent, uocauere, cum pecuniæ seruire auaros putarent.

Liberalitatis nomen

In eroganda pecunia liberalitatem uersari.

Cum autem artibus etiam singulis materia proposita sit, in qua unaquæq; uersetur, suumq; artifex ex ea opus instituat, atq; institutum informet, uidendum est qua in re liberalitas uersetur, & quæ sit ei proposita materia, quid etiam qui eam exerceat agendo consequatur. Itaq; ut fortitudini pericula, temperantiæ dolores, ac uoluptates, sic liberalitati materies quasi quædam pecunia subiecta est, in qua utenda, erogandaq; qui sponte, gratuitoq; uersatur, illud iure assequitur, ut liberalis uiri nomen adipiscatur cum summo etiam tum ciuium, tum peregrinorum testimonio, ac Reip. in qua uersetur, utilitate. Quin etiam liberaliter agendo id efficit, ut & à singulis & ab uniuersa multitudine mirum in modum ametur, et publice, priuatimq; carus habeatur. Ne autem nomen ipsum pecuniæ, quod à pecu maiores nostri deduxere, quem fortasse turbet, quod principi Peripateticorum Aristoteli, ac Romani iuris consultis placet, pecuniæ ipsius uoce, accipienda cuncta dicimus, quæ numo censeantur.

Pecuniæ nomen unde

Liberalitatem, uirtutem esse.

Ipsam uero liberalitatem inter uirtutes collocandam esse, docere hoc satis potest, quod cum pecunijs & bene, & male uti possimus, laudantur, ij qui bene utuntur, improbantur qui male; cumq; in pretio sint honesta, uituperentur turpia, honesti ipsius ea uis, ac natura est, ut seiungi à uirtute nequeat. Ad hæc cum in agendis rebus peccari soleat ubi modus, mensuraq; minime adhibeatur, idq; in usu etiam

pecuniarum eueniat, medium necesse est aliquod in ijs utendis, conferendis'q; constitutum sit, quod qui teneat, modū quoq;, mensuram'q; retineat. His enim abiectis recte quidem rationi, quæ uirtutum ipsarum & dux, & comes est, locus nullus relictus esse potest. Quibus è rebus plane efficitur, ut liberalitas uirtus sit, tum quia mediocritas est, tum quia ab honesti ui, natura'q; minime recedit. Nam mediocritatem eam esse extrema etiam ipsa declarant, Siquidem liberalis ipse, cuius proprie liberalitas est, dandis, utendis'q; pecunijs ita est affectus, ut quod inter parum, nimium'q; collocatur, mediū semper retineat. Neq; enim aut in exsuperantiam dando prolabitur, aut in angustum deficiendo contrahitur. Quod si extrema sunt uitia, medius profecto habitus mediocritas, & quia mediocritas, ut uirtus etiam sit necesse est.

Liberalem in mediocritate uersari.

Quoniam autem duobus tantum modis à mediocritate receditur, extrema'q; ipsa sibi aduersa sunt, altero quidem modo peccatur, parum omnino dando, nimium'q; contrahēdo, quo uitio qui sit affectus auarus dicitur, altero uero nimium dando, parum certe capiendo, quod prodigi esse proprium uolunt. Quo efficitur, ut cum liberalis in mediocritate uersetur, modum, mensuram'q; in utroq; retineat. contra auarus, quiq; ab eo longe alius est, prodigus, in neutro sibi temperet. Atq; uti fortitudo fiduciam cohibet, metum relaxat, temperantia dolores sedat, uoluptates compescit, sic liberalitas dandi studiū, contrahendi'q; cupiditatem moderatur.

Pecuniam esse de genere bonorum utilium.

Pecuniam uero ipsam inter externa bona numerari cum uideam, quorum alia quidem honesta dicantur, ut magistratus, honores, sacerdotia, alia uero utilia, ut fundi, gregesq;, è posteriori hoc genere pecuniam esse uolumus, quippe cum ad usum & quidem rectum, honestum'q; comparari debeat, qui comparandis diuitijs statutus est finis, quibus tamen quosdam tam anxie inhiantes uideo, ut sola diuitiarum possessione contenti, quibus aut defossis aut in arca sepositis incubant, aut ampliandis ita student, ut nulli parcant turpitudini, nō tam illiberales, auari'q;, quàm iniurij, nefarij'q; uideri debeant. Nā etsi ubi quid impotenter, improbe'q; factum est, quin etiam ubi quid impure dicitur, ut illiberaliter dictum, factum'q; criminamur, adeo

illiberalitas odio est, tamen quod hi aliena eripiant, duplici apparent ratione iniusti, Nam & iniuria afficiunt quos minime decet, dum sua illis aut insolenter auferunt, aut dolo subtrahunt, & perperam parto sic parcunt, ut nec sibi ipsis commodi sint, nec quibus maxime prodesse debeant, illud communicēt, nec publice, priuatim'ue beneficium ullum conferant.

Pecuniam usus gratia comparari.

R ectam autem, honestam'q; diuitiarum, tum possessionem tum usum, res maxime faciunt duæ, erogandi ratio, et comparandi regula, quas qui teneant, facile illi quidem alienis abstineant, neq; profundent sua. Quod si Aristoteli philosophiæ magistro assentiri uolumus usus ipse pecuniarum, in ijs ipsis dandis, atque accipiendis perspicitur. siquidem acquirendi cura, ratio'q; conseruandi, eò spectat, ut possideas potius quàm ut utare, quod etiam Horatio placere intellego, cum ait nullum argento colorem esse teris abdito, nisi usu illud temperatore splendeat. Quoniam autem nomen ipsum liberalitatis unde ductum sit, & quàm ea conferat hominum generi, abunde docuimus, ostendimus'q; & quod uirtus est, & quod mediocritas quædam in dandis capiendis'q; pecuniis, Ad hæc cum quid ipso pecuniæ nomine intellegi oporteat, quod'q; de illo genere bonorum sit, quæ ad uitæ usum pertineant diximus, Quin etiam quod comparandis diuitijs usus ipse finis constitutus sit, placet de auaritia statim dicere, ut ex oris eius fœdo, ac deformi aspectu, tanto honestior, ac dignior liberalitatis ipsius appareat forma.

De auaritia & auaris.

A uaritia de nimio auendi affectu cum sit dicta, satis quidem præ se fert, quanto habendi, ac possidendi ardore deflagret. Ipsum autem possidendi studiū in quo sit uehementius, is tam capiendi cupiditate, atq; ēt amplius teneatur oportet, quàm ab erogandi, atq; impertiendi uoluntate detorquet. Quo fit ut hic ipse auarus habendi, ac possidendi cupiditate plus nimio rapiatur, & quàm dici potest abhorreat à dandi benignitate, conferendis'q; è pecunia beneficijs. Hanc possidendi auiditatem si auarus non magis à pecunia possidetur, quàm ipse pecuniam possidet, maiorem, atque acriorem efficere mor

bi ſolent, & corporis imbecillitas, & ipſa in primis ſenectus. Ex quo efficitur, ut auaritia inſanabilis morbus ſit. Senes enim pleriq; omnes tenaces cum ſint, uidetur cum ætate ſimul auaritia creſcere. Ad hæc etiam naturalis eſt habendi cupiditas, unde auaros longe plures quàm largos inuenias. Ad hunc naturæ inſtinctum anni continue ipſi afferunt aliquid, efficiuntq; ut ſæpenumero quos adoleſcentes, ac iuuenes uideris profuſiores, eos ingraueſcente ætate adſtrictiores factos itellegas. Sed quãuis auari omnes maxime cupidi ſint, teneãturq; ingenij auiditate, ſintq; ad rem intentiores, ac ſupra quã oportet, ac decet pecuniæ inuigilent, cui etiam ſeruire uideantur, ſunt tamen aliquot eorum ſpecies, neque enim per auaritiam uno tantum modo peccatur. Quamobrem ſi de ſingulis pauca quædam dixerimus, uideri non debet ab inſtituto noſtro alienum. Illud autem de auaris recte dictũ conſtat, eos nec ſibi cõmodos eſſe, nec alijs. Quibus tametſi comparandis, conſeruãdisq; pecunijs nimiũ ineſt ſtudiũ, dãdi autem uoluntas minima, non æque tamen habendam ad rem idem conſilium eſt omnibus. Sunt enim qui rebus ſuis parcentes ſummo etiam ſtudio rei familiari conſeruandæ intenti, & quàm poteſt minimum de ſuo impendentes ab alienis contineant, bonitate quadam naturæ ita uicti, ut re ſua contenti, nihil turpe, nihil contra leges, contraq; humanitatem habendi gratia faciant. Hos nominare parcos conſueuimus, Eamq; animi inſtitutionem maiores noſtri dixere parſimoniam, quæ in priuatis quibusdam, tenuiq; in re conſtitutis, ac laborantibus multitudine liberorum, humanisq; neceſſitatibus circumuentis, laudari merito poteſt. In Regibus uero, ac principibus, & ijs ciuibus, quorum res eſt opulentior, atq; authoritas maior, quomodo laudari poſſit tam minuta diligentia, quæ panis etiam micas colligat, nequaquam uideo. Sergium Galbam, qui Domitio ſucceſſit Auguſto, quanquam alieni non appetentem, iure tamen ætas illa plurimum carpſit, quod ſuæ quidem pecuniæ parcus cum eſſet, publicæ etiam auarus foret, neque enim aut ſecula illa, dignitasq; ſenatoria, aut opulentum Galbæ patrimonium eam parcendi, ac conſeruandi diligentiã, nec aurea ſella tantam è publico auaritiam patiebatur. Didij Iuliani maximi, & potentiſſimi uiri ſordem quis ferat? qui Porcellum, Leporemue dono ad ſe miſſum in triduanas partiretur cœnas. Sæpe etiam cum nulla religio, aut abſtinendi cauſa ſubeſſet, leguminibus, oleribusq; ſolis contentus cœnaret. Quo ut non minus ſordidus, ſic fortaſſe magis accuſandus Pertinax Au-

Parci

Parsimonia

gustus qui inter priuatum, & Imperatorẽ nihil interesse putauerit, dimidiatas lactucas, carduos etiã dimidiatos apponere conuiuis soli tus, ac siquando ad amicos de cœna mitteret, binas tantum offulas, aut paucula poma, Atque ubi opipere magis egisse uideri uellet, gal linaceos lumbos mitteret. Quid enim principe indignius, quàm ut qui tam late imperet, animum tam angustum etiam in uilissimis re bus habeat? Nec uero quis putet accusari à nobis, tum alios quos dam, tum Fabritium illum, quod magna parsimonia usus dicatur, quem tantum abest ut accusemus, ut summis etiam laudibus prose- quendum ducamus, non solum quod aurum singulari quadam ani= mi magnitudine contempserit, sed quod cum uideret maiore se rerũ inopia circunseptum, licet è principibus ciuitatis, licet belli Dux, ma luerit tamen in paupertate illa sua parcendo uiuere, remq́; metien- do familiarem ab honesto non recedere, quàm per facinus aliquod abundare. Hocq́; Fabritij factum si recte reputetur, si tempora consy derentur ad probitatem, ad iustitiam, ad animi magnitudinem, singu laremq́; integritatem, non ad auaritiam referendum iudicabitur. Quippe cum non tam parcus, quàm paruo contentus, & rerum cæ terarum contemptor præter quàm laudis, recteq́; factorum mihi qui dem fuisse Fabritius uideatur. Quo consilio, institutoq́; siquis uitam agat, ne sit qui non illum mea sententia uel mirifice commendet, mo do tamen nedum uindicare ab auaritia eum studet, & animum su- spicit pulcherrimis liberalitatis laudibus detrahat. Et huiusmodi q̃ dem homines probari merito plurimum solent, at liberales homi- num beneuolentiam nec ciuium solum, uerum etiam peregrinorum longe maximã sibi uindicant, q̃d rari, q̃d commodi, quod eorũ beni gnitas late pateat. Aristides ille cognomento iustus, cum esset à Cal lia locupletissimo ciue interrogatus, cur ab se nollet accipere, respon- dit, paupertate se quàm Calliam diuitijs multis laudari æquius esse, plureis enim inueniri, qui diuitias suas turpem ad usum conferant, quàm qui paupertatem generose ferrent. desineret igitur pauperta- tem obiectare sibi, quæ nisi quibus inuitis accessisset, indecora non es set. Hoc exemplo admonemur quosdam altitudine quadam ani- mi despectis diuitijs, non ut parcos modo, paruoq́; contentos uiuere, atque à re aliena propter egregiam animi institutionem continen- tes, sed oblatas etiam pecunias recusare, quod eo est admirabilius, quo rarius. Decreuit diuus Franciscus in summa etiam rerum in- opia uiuere, nihil habuit præter solum, & quidem sordidum uesti-

tum. nihil omnino possedit, nõ recusabat tamen ab alijs si offerretur, quantum diei unius uictui, eidemq́; rusticano satis esset, sin minus offerretur, petebat ipse. Nam ut alijs conferret, quomodo præstare id posset, qui nihil omnino haberet? Quo'circa tanta eum homines admiratione prosecuti sunt, ut post mortem inter diuos retulerint, eiq; aras, ac templa statuerint, sacerdotesq́; decreuerint. Parcum igitur hunc, an potius humanarum necessitatum, ac naturæ ipsius uictorẽ nominabimus? Sed redeamus ad auaritiam.

Complura esse auarorum genera.

Eorum, de quibus dixi, ferè similes sunt, adstricti quidam, et tenaces, & aridi, atque attenuati, quos tamen pro amplianda re familiari ne minimum quidem ab honesto recessisse cerneres, ubique probitatis, ac iustitiæ memores, sed in utendis pecunijs nimis effractos, ac minutos, atque etiam concisos, et, ut ita dixerim, exsangues, quorum exoleta semper uestis, mensa tenuissima, & sordida, supellex exilis, eaque carie exesa, aut siquid forte in domo splendidiusculum fuerit, ab usu ipso sepositum, demum domestica omnes sumptus perquam tenues, atq; emendicati, & minutissimarum rerum importuna diligentia & cura, quos, ut dixi, nemo improbet, quod alienis contineant honesti gratia, cæterum è dandi, atque conferendi usu laus exsistit, probatumq́; illud testimonium tum ciuium, tum peregrinorum. Et hi quidem ab inferenda iniuria tantum abstinent, cum liberales etiam beneficia conferant. Quod quanto pulchrius sit, quis non uidet? ad hæc nihil dare, nihil alteri de suo conferre, nihil publice, priuatim'ue impertiri, omnino abiecti, ac degenerantis est animi. Hos etiam seipsos accusantes uideas apud Comicos, quod seq́;, geniumq́; suum comparcendo defraudent. Sunt etiam qui cum nihil ipsi cuiquam de suo conferant, nihil ex alieno rapiant, non tamen contineant honesti gratia, ut hi, de quibus modo dixi, Quin hoc se quidem excusare solent, ne si dando rem minuant, ad turpia, facinorosaq́; impellantur. Verum illud magis timent, ne si ab alienis non contineant, non possint tueri sua, dum alios in se prouocant, diffidunt autem ipsi sibi, atque ab inferenda iniuria manum cohibent, ne ipsis rursus inferatur. In quibus nihil uideo, quod laudari iure possit, siquidem ob metum, non sponte continent. Hi, ut dictum est, partim tenaces, adstrictiq́;, partim aridi, attenuatiq́;

cum sint, ipso nomine præ se ferunt de suis fortunis aut nihil, aut quamminimum conferre, cum sua omnia tam arcte, atque adstricte teneant, atque ex arido quidem nullus manet succus, nihilq; prorsus effluat, ipsiq; ut attenuati, atq; abiecti de minima, ac uilissima re, nimis anxie soliciti sint, quorũ qui clamores sunt, ubi quid è mensa decidit, ubi quid è penu minus parce promptum, atque administratum est. Eorum quàm ridicula uita sit, quàm etiã misera, Euclio ille Plautinus docet, qui aquam plorat, cum lauat, effundere, qui unguium præsegmina à tonstrina domum referat. Audiebam puer de maioribus natu, Martinum Pontificem maximũ clanculum cereos solitum extinguere, qui in diuersis Basilicæ locis succensi à ministris essent, nocturni luminis gratia. Ferunt Angelotum Sacerdotem Cardinalẽ, particulam hordei singulis ab equis clàm subducere ipsis è præsepibus consuesse, secreto quodam aditu ad stabulum à se facto, donec à magistro stabuli pro fure deprehensus in tenebris uapulauit. Idem Martinus ut oleo parceret instituisse fertur, ut crudi familiaribus pisces à dispensatore in sportula traderentur, quos antea coctos præberi mos esset, Vnde hodie quoq; decantatur familiaris cuiusdam eius uersiculus.

» Vnusquisq; suam digitis contrectat arengam.

Sequitur deterrimum auaritiæ genus, quod partiri plures in species, atque, ut Cicero uocat, formas possumus, neque enim auari omnes pari, atque eodem modo, sed alij magis, alij minus, eius squalore illuuie, ac fœditate contaminantur, atque inquinati sunt. Quo de genere sunt lænones, aleatores, item qui fœnerant, qui piraticam exercent, qui latrocinia, sicas, quiq; sordidis, ac turpibus quæstibus dediti sunt, qui etiam lucri gratia flagitiosa sectantur, seq; probris obiectant. His addendi, qui pro quæstu etiam tenui maxima quæq; pericula adeunt, quiq; summa cum perfidia, et infamia in quos benefici esse deberent, in illos uim, aut fraudem exercent. Quorum quidem omnium ea institutio est, idq; consilium, ut dum quærant, dum in domum inferant, nihil sordidum, ac turpe defugiant, nec pro exiguo quidem lucello ab infamia iter detorqueant, sed cupiditate habẽdi, cõparandarumq; diuitiarũ, ac rei ampliandæ ardore nimio incensi, præcipitesq;, cuncta undiq; corradunt, non parcunt illiberalibus, non abstinent sordidis, quippe qbus nullus amicitiæ, nullus religionis, nullus honesti, nullus deniq; famæ cultus, aut respectus est, lucro, qualecunq; id sit, cuncta post ha=

bentes. Itaq; & unde, atq; à quibus minime licet, & supra quàm opus est, & quàm decet, quacunq; ratione capiunt. quid capiunt? tolerabilius hoc esset, furantur, depeculantur, compilant, intercipiunt, auferunt, extorquent, dolo, ui, fraude, malis artibus, omniq; impuritatis, ac flagitij genere. Siquidem horum ipsorum sunt compilationes, furta, latrocinia, uiolētiæ, rapinæ, falsæ obsignationes, iniqua iudicia, fraudes, fœnerationes, mercenaria paricidia, uenena, quibus effectum est, ut auaritia & habeatur, & sit uitiorum omnium caput, & fomes, quippe cum ad omne flagitij genus uiam aperiat. Quæstus autem cum alij sint turpes, ut qui è fœnore, alij sordidi, atq; illiberales, ut qui è macello, cauponaq;, alij infames, ut qui è furtis, atq; grassationibus quanquam ubi infamia, illic etiam turpitudo, horum nulli ab hoc genere hominum repudiantur. ac tametsi alios alij quæstus libentius sequuntur, tamen omnes omnia utilitate, proprijsq; commodis, ac lucro etiam quantulocunq; metiuntur. Nec uero tyrannos, ac direptores urbium, euersoresq;, nec templorum, sacrorumq; spoliatores inter auaros numerauerim. Quippe cum inter impotenteis, iniustos, impios, deorumq; contemptores numerari potius debeant, quanquam de euertendis, aut diripiendis urbibus aliud nonnunquam consilium haberi solet, quàm bonorum diripiēdorum, ut euertendæ Carthaginis. Annibal ob innatam crudelitatem, summamq; iniustitiam magis, quàm per auaritiam, quanquam fuit auarissimus, multa fœde, immaniterq; commisit, cuius exemplū nostro tempore secutus uidetur Burgundiorum Dux Carolus, qui humanum sanguinem sitire uisus est. Dionysius ob animi impotentiam magis quàm cupiditatem ne à Dijs quidem manus continuit. Brenni factum Dij immortales maxime impium iudicauere. Nesciam in auarorum'ne numero an miserorum potius collocare debeam Plautinum illum Euclionem, de quo dixi, cuius quanquam est ficta persona, tamen haud multum abest à uera, cum ipse haud longe dissimilem Euclionis nouerim, qui ut nominetur dignus non est. Angelus Raus iurisconsultus Neapolitanus, nudatis uertebris lignea pala grauiter se ab ancilla uerberari iussit, graui pœna ni obtemperasset ancillæ proposita, at quam ob causam? quia delatam ad se à cliente pecuniam, quod argentea non esset, repudiauerit, pro qua mutanda cum à se clientem acerbius obiurgatum dimisisset, ille indigne id ferens statim cum aduersario pactus liti cessit, neq; ad aduocatum redijt. Quid hoc homine dicas abiectius? quem cur auarum

potius, quàm seruum nominem, causam nullam uideo. Atq; hæc nũc quidem de auaritia dicta sint. De qua postquam disseruimus, ostendimusq; auaros supra quàm consentaneum, ac decens esset pecuniæ deditos esse, cum ea, quæ inuicẽ sibi aduersa sunt, si iusta constituta sint, manifestiora cernantur, placet de prodigis statim dicere, ut hinc auaritiæ, illinc profusionis facie inspecta, liberalitatis forma tanto nobilior, atq; honestior uisentibus appareat. Siquidem cognitis extremis ijsq; planè animaduersis medium ipsum multo illustrius apparere necesse est.

Auarus'ne an prodigus magis recedat à medio.

Cum igitur dictum sit prodigi, qui est auaro contrarius proprium esse præter modum, ac sine ullo delectu pecunijs uti; parumq; omnino aut capere, aut quærere. Siquidem prodigus in utendis non comparandis exsuperantior est pecuniis, quærendum uidetur eorũ uter sit deterior, longius'q; à medio, hoc est ab ipsa liberalitate recedat. Quod tamen perfacile iudicatu est, prodigus enim multis prodest, quibus de suo confert, etiam larga manu, cum auarus ne sibi quidem ipsi sit commodus. Ad hæc prodigus libenter quidem dat, quod est tum liberalis, dum tamen recte id fiat, tum generosi, & magni animi, qui est in auaro pusillus, & sordidus. Præterea cum auaritia indies crescat, prodigus ipse tum ætate procedente, tum quod necesse est, egenum tandem fieri, sæpenumero compositiores mores induit, atque à quo recesserat medio, paulatim ad illud regreditur, quodq; de profusione eius multum demant anni, reuocatur ad sanitatem, cum auaritia insanabilis morbus sit. Quibus è rebus satis liquet auaros non modo longe profusis esse deteriores, uerum morbo etiam insanabili affectos, quo superati ad sanitatem, idest medium nunquam perueniant.

De liberalitate, uiroq; liberali.

Prodigere, à quo uerbo prodigus ducitur, immoderatum sanè usum pecuniarum indicat, quodq; pecuniæ ipsæ in rebus plurimis, ac præsertim ueneris, tum etiã in conuiuijs, ac luxu prodigi soleant, hinc fit, ut prodigi etiam dicantur qui luxu diffluentes nimio, incontinentissimi sunt. Quinetiam quod rem familiarem, ac paternum cen-

Prodigi

sum immoderate utendo, & ,ut ille inquit, abliguriendo dissipant, habentur etiam flagitiosissimi. Quippe cum seipsos per luxum, atq; intemperantiam perdant. Quid est enim aliud potando, scortando, luxuriando, profluenter effundendo patrimonium absumere, quàm seipsum perdere? Qua de re nobile exstat Valerij Martialis in Cinnam quendam epigramma.

» Dixerat Astrologus periturum te cito Cinna,
» Nec puto mentitus dixerat ille tibi.
» Nam dum tu metuis nequid post fata relinquas,
» Hausisti patrias luxuriosus opes.
» Bis quartum decies non toto tabuit anno.
» Dic mihi non est hoc Cinna perire cito?

Atqui non est solum perire, sed quod uel flagitiosissimum est, seipsum per luxum, atq; incontinentiam perdere. Ad hæc nihil omnino quærere, nihil sibi comparare, nihil in domum propriam inferre, curá'q; omnem rei familiaris abijcere, desipientis, aut potius dementis uidetur esse hominis. Iure igitur huiusmodi homines flagitiosissimi habentur, præsertim cum exhausta re familiari ad rapinas plerũq; conuertantur. Nanq; ut habeant quod dent, honesti lineam transgressi, rapacissimi'q; effecti, promiscue auferunt per summum etiam dedecus, atq; infamiam. Quin ut profundẽdi cupiditatem exsatiẽt, si satiari posset, ita nihil omnino pensi habent, ut etiam in hostis, hoc est auari castra transeant, cuius est undecunq; sine ulla recti, atq; honesti cura, non solum capere, uerum etiam auferre. Quámobrem cum prodigi etiam dicantur qui per luxum, atq; incontinentiam diffluunt, uidetur, ut Aristoteli etiam placet, hoc ipsum nomen non satis proprium eius esse, quem auaro opponimus. Sed ne profusus quidem hic proprie dicetur, quando profusionis nomen latius patet, quod tamen nos haud impediet, dum res ipsa intellegatur, quo minus nũc profusum, nunc prodigum, aut profluentem dicamus, uitium autem ipsum tum profusionem, tum prodigentiã, aut prodigalitatem, quãdo hoc etiã nomen à doctis qbusdã receptũ est, uocemus. Qui si Ciceronẽ seq uolumus, ut uitiũ ipsum effusionẽ, sic uitio hoc affectũ effusum uocabimus. Huius igitur prodigi, atq; effusi quẽ auarum contra statuimus, proprium est modum, mensuram'q; absq; ullo delectu in utendis pecunijs transgredi. de'q; re quærenda minime studiosum, ac solicitum esse, & hic quidem deficiendo, ut illic exsuperando uehementer peccat. Nec uero unum est prodigorum genus, cum alij nullo delectu adhibito,

ctu adhibito, & dent & capiant, recti, honesti'q; in utroq; obliti. Alij autem in utendis, uel potius abutendis pecunijs nimij, cæterum qui de quæstu, commodis'q; proprijs nullam omnino curam suscipiant, donec exhaustis opibus egere se intellegant, quo tempore erratum à se intellegentes, paulatim'q; ad rem quærendam attentiores facti, cura, diligentia'q; adhibita in uiam redeunt. sunt qui pœnitentia ducti, ad auaritiam turpius dilabantur, atq; omni ratione locupletari studeant, dandi consuetudine penitus omissa, uel potius repudiata. Horum nulli certum habent nomen, indifferenter tamen tũ discinctos, tum dissolutos, quin etiam superfluentes uocatos ab antiquis inuenio. Qui uero in ipso cursu ante rem exhaustam effundendi moderantur impetum, persæpe, ut dictum est, regredi ad medium solent, dum adhibito iudicio, atq; intra gyrum rationis coërciti, in eos tantum, qui meriti sint, liberalitatem exercent, neq; præter rectum atq; honestum commodis suis student. Inueniuntur etiam qui illinc effusione, hinc auaritia pariter laborent. Nam sua de re admodum soliciti, ne minimum quid in quenquam de proprio conferunt, cæterum ad uim, rapinas'q; conuersi, alijs auferunt, quod alijs largiantur. Atq; hæc ferè sunt prodigorum genera. Aristoteles putat tyrannos, ac reges, prodigos minime dicendos, quod tam multa possideant, ut dandis, atq; utendis illis uix abijcere modum ualeant. Quod quidem, ut ipse putat, non est facile satis, tamen ipsi scimus Alphonsum Neapolitanorum Regem licet plurimis & populis, & nationibus imperaret, ac pace, otio'q; per multo frueretur, faciendis tamen ingentissimis sumptibus, edendis magnificentissimis ludis, spectaculis'q;, & omnis generis rerum effusionibus eò processisse, ut conflato ingenti ære alieno cum satisfacere creditoribus nequiret, tandẽ decoxerit. ac dolore, ira'q; permotus, regij census ministros plerosq; multæ nomine, penè bonis omnibus spoliauerit. Domitium Neronem Augustum sumptus immoderatissimi, quò redegerint, cui est ignotum? Quo'circa opulentissimi etiam reges, dum profundunt sua, dũ nullam facultatum rationem habent, ipsi quoq; eò deuenire quanquam minus sæpe, aliquãdo tamen solent, ut exinanito ærario rei familiaris angustijs pressi, atq; ad rapinas conuersi, ad tyrannidẽ dilabantur, cuius rei maximum exemplum Nero, de quo paulo ante dixi, præbuit. Lucius Commodus Antonini Augusti filius, erga alios quãquam parcissimus, luxuriæ tamen immoderatissimus sumptibus, se'q;, ærarium'q; ita exhausit, ut deficiente pecunia, quo itinerarium æs exigeret, in Africam se ad constituendam prouinciam transmis-

surum finxerit. Alphonsus Rex, ut magnam auri summam à sacerdotibus exigeret, traiecturum se cum exercitu in Graeciam aduersus Turcas solenni uoto, facta etiam re diuina publicae professus est. Vides quò Imperatoris optimi, atq; opulentissimi filium, quò regem praestantissimum effusio compulerit? Turpissimũ est omnino fallere, in Regibus uero longe turpius, praesertim quaestus gratia. Idem hic Alphonsus quanquam esset, ut ostendi, profusior, huiusmodi tamen homines cisternae rimosae persimiles dicebat, quas ut nullus impleret imber, sic hos nulli, quamuis magni prouentus, rerumq; compendia exsatiarent, fieriq; propterea, ut haud multo post dissipando exhausti egerent. In quibus illa uehementer sunt reprehendenda, quod in homines indignos, in ministros foedissimarum uoluptatum, in adulatores, in mimos, in contaminatissimos quosq; sua congerant, ab honestis, ac probis uiris manum subtrahentes, eos autem diuitijs honestantes, qui diuitijs minime digni iudicentur. Quocirca familiaritates flagitiosorum hominum sibi adiungunt, quibus etiam sese totos dedunt, uoluptatibus capti, atq; assentationibus deliniti. Varius Augustus, q Heliogabalus dictus est, quemq; ut omnium effusissimum, sic etiã inquinatissimum iure possumus dicere, libidinum suarum ministros in senatum legit, sine ulla aetatis ratione, quasi parũ esset honores ipsos, ac magistratus uendere, at quam ob causam? ut haberet unde anserum iecinoribus canes, Phasianis, ac psittacis leones pasceret, ut in lucernis balsamum ad lumen nocturnum intingeret. Cuius fuit illa uox impurissima, & supra quàm dici potest, detestabilis. Nam cum è familiaribus quidam ei diceret quid malum, non'ne paupertatẽ exhorrescis? Atqui inquit. Quid melius, quàm ut ipse mihi haeres sim, meaeq; uxori? Eiusmodi igitur homines ni in ipso cursu habenas contineant, breui in praeceps delati, multisq; simul uitijs obruti, pessum eant necesse est, posse autem eos ad medium referri, illud docet, quod donis afficere, quo ipsi delectantur cum sit liberalitatis, ad hanc tenendam praeter delectum, mensuramq; eis nihil deest. Auia nostra materna probatissima foemina referre nobis pueris in admonitionibus solebat, exemplum post magnopere diuulgatum. Locupletem mulierem, unicum cum haberet filium, eumq; patre orbatũ, ita illum à teneris educasse annis usq; ad adolescentiae florem ut ipsa indulgente amplum patrimonium turpissimis artibus ante uicesimum annum absumptum, ac dissipatum ab illo fuerit. Adolescentem cum egere coepisset, assuesse rapere, furari, iusiurandum uendere. Captum autem à praetore cum ad supplicium duceretur, impe-

trasse ut sibi matrem sine teste alloqui in uia liceret, quæ ubi aurem filio admouisset, tum illum mordicus matris nasum apprehensum auulsisse dentibus, atq; in humum exspuisse exclamantem. Sit hoc ciues pretium maternæ educationis. Discant igitur matres aliæ liberos suos bonis artibus educare. Nõ prætor, inquit, sed mater me mea duxit ad suspendium. Videbimur fortasse hac in parte longiores, dũ qui, & quales prodigi sint, non tantum ostendere, sed quæ publice, priuatimq; mala ex profusionibus eueniant, exemplis quoq; ante oculos ponere uolumus. Quãmobrem ad liberales, qui medium inter utrosq; tenent, transeamus.

De liberalis uiri officio, deq; delectu habendo.

Erit igitur liberalis uiri proprium in pecunijs adipiscendis, ijsdemq; dandis, & conferendis, cum delectu modum adhibere. In quibus etiam erogandis ut prodesse quamplurimis studebit, sic in comparandis nocere nemini, nec à recto honestoq; recedere. Itaq; et capiet ipse quidem, & emolumenta quæret, fortunasq; suas non negleget, nec per incuriam perire patietur. Idem quoq; libenter admodum de suo tribuet, atq; hæc omnia cum delectu, atq; mensura. Erit autem ita commodus alijs, ut iustitiam, prudentiamq; retineat, sine quibus liberalitas nulla est. Quæret igitur & capiet, et rẽ familiarem tuebitur, ut habeat unde det. Quid enim dementius, quàm quod libenter, atq; honeste facias, non id curare ut diutius, & erga plurimos possis facere? Quo circa et rei familiaris commodis operã dabit. Qua in re qui effusi, sunt peccant, dum sua hinc per neglegentiã, illinc per effusionem perdunt, & in danda pecuniæ, rebusq; familiaribus opera honestatem sequetur, quam auari plerunq;, aut cæca cupiditate non uident aut præcipites calcant. Idem conferendis etiam muneribus promptus, ac pronus erit, à quibus auari non modo abstinent, sed metu ne ipsis desit, minutissimus etiam sumptibus faciendis animo deficiunt. Eum quoq; in munerando delectum habebit, ut à recta ratione non declinet, à qua prodigi quamlongissime aberrant, Nã & quos minime oportet, & largiore, quàm oportet manu persæpe donis afficiunt, ut aut paruam, aut nullam, interdum etiam parum rectam, tum eorum, quibus donant, tum suã ipsorum qui donant, rationem habeant. Etenim, ut dixi, liberalitatis fons exsiccandus non est, & honestas ipsa ubique amplectenda. Cumq; donandi ratio eò spectet, ut quibus possis & sæpe, & multum prosis, non est

in alios ita sinus excutiendus, ut tui ipsius immemor uideare, quanquam ita quidem immemor esse non debes, ut non aliorum in primis recordere, & ita quidem recordere, ut appareat alienis te commodis plurimum incumbere, teq; ac tua sic colere, ut habeas unde subministrare, ac prodesse alijs queas, atque hoc ipsum habere, eò spectet, ut dones, muneres, prosis quamplurimis. Qua è re illud efficitur, ut liberalis primum suapte quodammodo natura, deinde ipso habitu ad conferenda commoda, ad prosequendos benemeritos, ad erogandam pecuniam in eos, qui prosecutione, atque erogatione digni sunt, institutus, et confirmatus sit, qua tamẽ decet rei suæ familiaris ratione habita. Nam etsi dare, quàm accipere, & conferre alijs quàm sibi comparare liberalis proprium magis est, ne tamẽ fons ipse liberalitatis exarescat, hinc summo studio prospiciendum est, illinc non minore cura pensitandum potius id sibi conuenire ut alijs prosit, quàm ut commodis suis studeat. Etenim alij qui dat, non qui sibi accipit liberalis dicitur. Iure igitur plurimũ laudatus est Agesilaus, qui cum ipse minime egere uellet, amicis quammaxime prodesse curaret. Cæsar quoq; ubiq; præsetulit partas bello diuitias non uoluptatis, ac delitiarum gratia, sed quæ uirorum fortium præmia essent, apud se conseruari. Qualis igitur liberalis sit, quàm etiam ciuibus, propinquis, atq; amicis utilis, ac generi hominum pro facultatibus suis commodus, ex ijs, quæ dicta sunt, facile apparet. Quoniã autem res ipsa nulla re apertius, quàm definitione monstratur, liberalitas ipsa finienda uidetur, eaq; ut arbitror, in danda pecunia mediocritas quædam est, quæ quoniam sine delectu esse nequit (neque enim retineri medium ipsum sine recta ratione potest, è qua delectus manat) eiusmodi quidẽ esse delectus ipse debet, ut & quid des, & quantum etiam des, & cui, & quando, atq; etiam quomodo, & quam ob causam diligenter consyderes, in quibus omnibus cum rectam secutus rationem fueris, illud etiam uidebis ne à fine ipso, q liberalitati propositus esse debet, turpiter deflectas. Nanq; gratuitum esse illum uolumus, nullumq; inde pretium præter rectam benefaciẽdi conscientiam exspectari. Dare enim ut post uberius accipias, an est aliud quàm fœnerare? aut propterea quidẽ dare, ut eum, cui das, ad uoluntatem tuam large agendo traducas, quod eius est, qui ad utilitatem ac uoluptatem suam omnia referat.

De habendo

De habendo delectu cui dandum sit.

In habendo igitur delectu, quo undiq; sibi liberalitas constet (nam nec satis est finem gratuitum esse) uidere etiam, atque etiam oportet cui das, in quo ne peccetur, & tua, & illius persona consyderanda est, qua nisi consyderata, teneri recta ratio nequeat, deinde quæ sint illius merita, quæ exspectatio, quod sequatur uitæ genus, quibus delectetur, quæ etiam ætas. Item si ciuis, peregrinus, hospes, familiaris, propinquus, uetus, an nouus amicus, & talia quædam, quæ personæ ipsi uidentur adiuncta, quæq; nulla sunt ratione negligenda. Marcus Aurelius ad paternum patrimonium cum sorore diuidendum à matre uocatus uniuersum sorori concessit, auitis tantum bonis contentus, non ignorauit uirum se, illam uero, & mulierem, & sororem esse. Quid mirum cum in imperio constitutus nihil magis aut timuerit, aut deprecatus sit, quàm auaritiæ infamiam, quam ut deterrimum malum, & imperij labem detestatus semper fuerit. Scipio is, cui postea Numantino fuit cognomen, integram Fabio fratri hæreditatem concessit. Agesilaus quæ ex Agidis bonis delata ad se essent, cum intellegeret cognatos suos inopia pressos, cuncta ex æquo cum illis diuidere maluit, licet iure, ac ciuium iudicio ad se tantum peruenissent. Nos ipsi tametsi tenues homunciones, licet inter tantos uiros qui numeremur indigni, prædiorum, fortunarumq; auitarum, totiusq; paternæ rei usum, atque possessionem sorori nostræ permisimus, contenti bonis ijs, quæ Neapoli, atq; in Campania labore, industriaq; nostra comperassemus. Aelius Adrianus notum sibi olim in militia, cum scabie laborantem animaduertisset in uia, corpusq; ipsum parieti atterentem, quod seruum, à quo curaretur, nullum haberet, statim & seruis illum donauit, & ad uictum necessaria ministrari iussit. Vides ut et se & illum iusta consyderauerit. Idem cũ intellegeret quosdam, qui Romæ docuissent, propter ingrauescentẽ ætatem muneri amplius satisfacere non posse, ætatis, ac diuturnæ professionis ratione habita, eos diuitijs, honoribusq; honestauit, ac uacare uitæ reliquum iussit, fœminis etiam plurimis, unde familiam honeste alerent, salaria constituit. nescias liberaliusne, an magis consyderate. Antoninus cognomento Pius, quos prouincijs præfecisset, eos & locupletauit, & ornamentis consularibus donauit, rhetoribus, ac philosophis non solum salaria, uerumetiam honores, ac prouincias decreuit. Huius quantum in delectu studium fuerit, illud declarat, quod nonnullis, quos otio abuti cerneret, salaria è publico præberi

ex his liquet Pontanum fuisse nomine Neapolitanum

uetuerit, dicens nihil esse iniquius, quàm in eos rem publicam benefi cam esse, qui nihil ipsi in rem publicam conferrent laboris, ac beneficij. Alexander Seuerus, non modo literatorum genus omne, uerum aruspices, architectos, & in quocunq; ingenij aliquid elucesce ret, stipendijs prosecutus est. Amicos autem, et quos bene de se meritos intellegeret etiam ad petendum inuitabat. Quid est, quod nihil pe tis? an me tibi uis fieri debitorem? pete, ne sit quod priuatus de me que rare. Non solum autem deligebat aduersum quos liberalis esset, sed etiam prouocabat quos liberalitate sua dignos putasset. Probus Augustus eum se erga tribunos, centuriones, milites gessit, ut in pluri mis uictorijs, præter tela, et arma nihil sibi è præda retineret, quam inter milites partiebatur. Quid enim turpius, quàm imperatorem ipsum in partiẽda præda sociũ se militum suorũ facere? Cui præter gloriã nihil aliud è bello reportãdũ uideatur. Gelatius Maria Dux Mediolanensiũ, quo tempore nebulonẽ quendã et pecunia, et uestibus etiam sericis prosecutus esset, petenti mihi ut è duobus libellis Friderici Siculi gesta continentibus, qui in Ticinensi bibliotheca seruabantur, alterum daret, aut saltem exscribendum permitteret, utrunq; negauit. Quid inter hoc, & quæ ante posui exempla intersit, nemo est qui non uideat. Sed qui uitia sua quàmaxime nota esse cuperet, quomodo aliorum egregie facta celebrari pateretur?

Peccari autem hac in parte duplici modo solet, uno, si nec dãtis nec ac cipientis ratio habeatur, altero, si in improbos, & minime dignos be nignitas exerceatur. Quocirca sapientissime ab Alexandro Seuero dictum est. Malum pupillum esse Imperatorem, qui ex uisceribus prouincialium, homines nec necessarios, nec reip. utiles pasceret. Hæc igitur prima lex in exercenda liberalitate teneatur, ut proborum, improborumq; delectus habeatur, neque enim aliter recta ratio teneri potest.

De habendo delectu quid dandum sit.

Secundo loco quid detur, consyderandum est. cuius rei quem aut meliorem, aut maiorem magistrum adhibere in consiliũ possumus, quàm eundem hunc Alexandrum, qui honesto loco natos, & magistratibus, atq; honoribus functos, quos inopia rei familiaris laborare intellegebat, dum tamen neq; per luxũ patrimonia absumpsissent, neq; inopiam simularent, alios alijs commodis, agris, seruis, armentis, ut quẽ egere intellexisset, iuuabat. Quin ẽt magnificas domos à se ex

tructas, integris, atq; incorruptis uiris amicitia secum iūctis donabat, ut non modo qd daret, sed qbus ēt daret, exacte adeo pensitare uisus sit, ut Histrionibus, atq; in scœna se exercentibus, nihil aureū, aut argenteū, qn perraro numos dederit. Nō commendamus Opilium Macrinum, qui in tribuenda annona cum esset largissimus, auri tamen parcissimus foret. Illud reprehendi iure nequit, quod auri, atq; annonæ delectum haberet. Quo circa tum principes urbis, tum ipsi Augusti hanc rationem secuti, militi donatiuum, populo congiarium dabant. Aurelianus Augustus tunicas uiritim per populum distribuit, lineas etiam uesters. Quinetiam cum frumentum, oleum, & porcina congiarij nomine dari tantum consuesset, uinum etiam dandum decreuit. Cimon Atheniensis amoueri ex agris suis septa atq; macerras iussit, quo poma, frugesq́; ijs, qui egerent, ciuibus ac peregrinis, legere liberior facultas esset, Quinetiam siquem natu grandiorem, qui secum congrederetur, sordide ob paupertatem indutum cerneret, nouis statim uestibus donabat. Alexāder Philippi filius in Asiam profecturus non ante nauem ascendit, quàm rebus amicorum egregie pensitatis, ut enim cuiq; commodius uisum est, alij uillam alij prædia, quibusdam portoria, aut annuos è domibus prouentus dono dedit. Sentis ut exactissime, quid cuiq; daret, et hic, et illi dimensi sunt. Quo circa diligenter uidendum est, ut quæ dono dantur & dante, & accipiente digna sint, Neque enim aut grāmatico cataphractus equus, aut militi argento intectus Homerus conuenit, Neq; qui dat ignorare seipsum debet.

De habendo delectu quantum sit dandum.

Consequens etiam est uidere quantum & te dare, & illum, cui das, accipere satis sit, in neutro enim peccandum est. Alexander cum animaduertisset Macedonem quendam defecto uiribus mulo humeris aurum ferre, ac iam iam sub onere deficere. Atqui, inquit, ut bono sis animo, ad tuum te tabernaculum onus istud ferre scias. hoc non multum fortasse Alexandro, at mulioni multo nimium fuit. illud pensitate, quod Mazei, qui inter Darij purpuratos amplissimæ dignitatis erat, filio, ad eam, quam habebat satrapiam, alteram adiecit. Marci Antonij triumuiri filius, munerum magnitudine Philotā quendam adeo terruisse legitur, ut ille capere reformidaret. Eius pater tetrarchias, ac regna priuatis quibusdam contulit. Quis hoc laudare iure possit? præsertim cum Reges, ac tetrarchas, regnis, fortu-

nisq; omnibus spoliauerit, ut non minus iniuste, quàm sine delectu fecisse uideatur. Alphonsus, de quo multa saepe dicimus, in mare prolapsus è nauicula beneficio remigis liberatus est. Huic meriti gratia, quotannis dum uiueret duodecim uncias pendendas ex aerario statuit. Satis hoc remigi, parum tamen regi, tale praesertim ob meritũ, cum nullam ei praesentem pecuniam numerari tum iussisset, ac saepenumero etiam ob leuissimas causas alijs, atq; alijs magnam pendi iperasset. Igitur ut mensura retineatur, sine qua actiones nostrae rectae esse nequeunt, quanta & dantem, et accipientem summa deceat, exacte pẽsitandum est, praestat tamen de linea aliquantulum excedere.

In exercenda liberalitate tempus quoq; obseruandum esse.

Cum autem sine tempore fiat nihil, tempus quoq; uti caeteris in rebus, sic hac in re seruandum est, qua ratione & munera ipsa gratiora sunt, & uoluntas dandi maior quodammodo propensiorq; uidetur, cum maiore etiam accipientis utilitate. Pomponius Atticus fugientem è patria Ciceronẽ sestertijs ducentis & quadraginta millibus donauit. Cedẽti Italia Bruto sestertia centum millia muneri misit. In Epeiro agenti sestertia trecenta numerari absens iussit, familiares quosdã Marci Antonij ex urbe profugientes, quibus rebus egere intellegebat, sponte iuuit. Nam in P. Volumnium tam multa contulit, ut plura proficisci à parente non potuerint. Antoninus Pius cum fame plures Italiae urbes laborarent, frumento comportando ex urbe subuenit. Non minore cura Adrianus cum intellexisset populos quosdam pestilentia affligi, Tempus ipsum haec omnia maiora, gratioraq; reddidit. Quin etiam à principibus ciuitatum, & à regibus seruari illud solet, ut solennibus quibusdam, festisq; diebus liberalitatem publicae exerceant, adeo temporibus obseruandis decorum quoddã magis emicat.

Prae se ferendam esse in dando hilaritatem.

In dãdo quoq; uidẽdũ est ne quid in uultu, gestu, uerbis, appareat, quod liberalitatẽ ipsam perinde ac labes aliqua inficiat, quod iure in hospite illo Calabro ridet Horatius, cum porcis ait, ꝙ ille pepercisset, edẽdũ relinqui. Vnum illud Alexãdri exemplũ docere nos abũde potest, quid in uultu ipso dantis, quid etiam in uerbis positum sit, ut magis, magisq; gratificetur. Offerenti militi caput ab se truncati in pugna hostis, apud nostros inquit aureũ poculũ huiusmodi uirtuti so

let esse præmiũ, quod te capere oportet, renidensq; statim subdidit, de
more quidem uacuũ, ast Alexander meri plenũ illud tibi propinat.
dubitem gratius'ne hoc militi, an poculũ ipsum fuerit. Quo'circa
uidendum est, ne qui accipit, tristem te, aut uerbis minus gratis uten
tem animaduertat. Ex ijs enim liberalitas ipsa gratiam, aut omnẽ,
aut magna certe ex parte amittit.

Liberalem alienis necessitatibus commoueri debere.

Quanquã autẽ illa et prima, et maxima dandi causa esse debet, ut pro=
sis, ut beneficias, & qdẽ gratuito, ad hãc tamẽ causam et aliæ q̃dã
adiũgẽdæ sunt, quæ te hominẽ esse, ac rerũ humanarũ memorẽ decla
rẽt, alienisq; necessitatibus cõmoueri, et graues hominũ casus misera
ri. M. Aurelius Antoninus, labẽtibus uetustate oppidis auxiliũ tulit,
tributa, uectigaliaq; ubi necessitas cogeret, remisit. Alexãder Seuerus
cõpluribus oppidis, quæ terræmotu corruissent, ĩstaurãdis ædificijs tũ
publicis tũ priuatis, pecuniã è uectigalibus subministrari iussit. Quã
honestiorẽ seq causam potuere, q̃ ut ĩ publica iactura, publice benefa
cerẽt ciuibus? Liberalitati ac gloriæ Alphõsi Regis plurimũ detraxit,
ꝙ aliquot in Sãnio oppidis terræmotu collapsis pene ad oppidanorũ
ĩternitionẽ, ijs q reliq erãt, remissionẽ tributorũ petẽtibus, ita respõ
derit, an q uita excesserant, cũcta secũ sua detulissent, soluerẽt igitur
tot bonorũ hæredes relicti. Quãto præstantius Alexãder Macedo, q
plurimos ære alieno circũuentos liberauit, ingẽti summa creditori
bus exoluta. Veniamus ad priuatos ciues. Cimon Atheniensis quos
in foro inuenisset indigna egestate pressos ijs statim de pecunijs, quas
ad manũ haberet, subueniebat. Anicetus Cyreneus captum ab Egi=
netis Platonem pecunia sua redemit, ac liberum cum honesto comi
tatu remisit in patriam. Et piæ & honestæ causæ, quæq; summam
præseferrent humanitatem. Quo'circa maxime accusandi uidentur,
qui in prosequendis Histrionibus, & donandis scurris multi sunt;
qui non solum in eo peccant, quod quibus minime conuenit, & su
pra quàm decet, largos sese exhibent, sed quod cum leui, et parum
honesta causa moueantur, leues se et parum consyderatos ostendunt.
Quo in genere horum temporum reguli maxime peccant, atque eo
magis, quod in ornandis bonis, ac de se benemeritis mirifice parcũt.
Non tamen ij sumus, qui nihil Histrionibus, ijsq;, qui artes tractant
ludicras, conferendum pro tempore ducamus, quandoquidem & his
interdum delectari non dedecet, sed ita quidem conferendum, ne bo

nis, ac benemeritis fiat iniuria, alliciantur'q; alij ad id uitæ genus infame, dum turpissimas artes in pretio esse intellegunt. Sigismundus Augustus Burram Hispanum celebrem scurram, quodam in conuiuio argento onerauit adeo, ut sub pondere iam deficeret, an cui mirũ uideri debet, si Burra mercede tanta adductus è iurisconsulto ad scurrã transierit? Nihil est autem homine dignius, quàm hominum calamitatibus moueri, ac succurrere, neq; aliud, in quo uberiorem sibi gratiam compares beneficiendi ratio, atq; uoluntas. nam hominũ necessitates ridere, illis'q; cum possis, minime succurrere, qd est aliud, quàm hominem exsuere, ac ferarum induere immanitatem?

Quo'circa factum Seleuci Regis ut impium, immane, ferum, quis est qui non abominetur? Hic Demetrio à se capto, quanquam socero, petenti tamen Tyrum, Sidonem'q;, in quibus agere uitam posset, cum ipse ab indo mari ad Syriæ litora cuncta teneret, dare omnino recusauit, adeo'q; inops animi, & supra quàm dici potest à misericordia alienus fuit, ut maximo regi ingẽtibus fortunæ malis prostrato, socero deniq; intra latissimos regni sui fines uix angustum hospitium concesserit. At contra quis non pium Antigoni factum, & memoratu dignum, summis etiam laudibus efferat? qui Alcyoneum filium, Pyrrhi ad se caput deferentem, baculo percussum à se reiecerit, ut barbarum, ut pollutum inclamans, quod'q; aspectu ipso fœdari nollet, chlamydẽ ante oculos obduxit, miserabilem'q; Pyrrhi, quanquam hostis mortem multis lacrimis prosecutus est. Antigoni etiam, cui, ac Demetrij, de quo dictum est, patris miseriarum inter lacrimandum recordatus. Ne quis autem pietatem hãc fictam putaret, Helenum Pyrrhi filiũ multa humanitate complexus in Epeirum remisit. hæ igitur causæ ut honestæ, ut piæ, ut perhumanæ quoties ad utẽdã liberalitatem mouere uidebuntur, mirum est quantam commendationem pariant. Populo Neapolitano magis, magisq; acceptum fecit Alphonsum, ꝙ in uirgines, quæ deo initiarentur, liberalis esset, pecunia templis oblata, quã uirginibus dotis nomine dari mos esset.

Liberalem à dando non dimoueri propter ingratitudinem.

Quoniam autem eius, qui dat, propositũ illud esse conuenit, ut nihil inde præter ipsam beneficiendi conscientiam, relaturũ se aut speret, aut curet, tametsi par est ut qui accipit, si potest, referat, sin minus, habeat quã potest gratiã, tamen liberalis ipse quod ad habendam, aut referendã gratiã pertinet, si minus sibi responderi uiderit, tacitus etiã, ac neglegens, hoc ipsum ita præteribit, ac si sua nõ intersit, et quãuis

ingrate secum actum uiderit, non propterea ab honesto proposito deterrebitur, nec molestum id sibi esse ostendet, ut qui non eo consilio benigne, ac liberaliter egerit. Magis autem dolebit, quosdã ita male institutos esse, ut beneficiorũ immemores esse malint, q̃ gratiã habendo sese gratos præstare, illosq; in quorũ manu est beneficere, gratitudine sua excitare ad beneficia cõferẽda. Elato eni inopi, atq; ingrato uix aliud in ciuitate aut intolerabilius, aut nocentius inuenias.

Liberalitatis finem gratuitum esse debere.

Omnis quæ in ciuẽ peregrinum'ue fit pecuniæ, ac fortunarum erogatio turpis est, quæ aliũ, quàm gratuitũ finem respexerit, nec solũ turpis, uerũ etiã periculosa. docent hoc Philippi Regis auara magis q̃ liberalia dona, quibus paulatim græcarum urbium libertatem emit. Vnde nõ temere dictũ illud manauit in populos. Philippi auro Græciam subuersam esse. Sed de largitione post illorum certe non minus turpe propositum, qui id agunt, ut aut impurissimas uoluptates, aut parum honestas cupiditates assequantur, unde fit, ut in lænones turpissimũ genus hominum, plurima congerant. Nam eo consilio dare, ut plura inde referas, hoc quis non uideat, non ad liberalitatẽ sed ad fœnus pertinere? Explicatis igitur quæ ad delectum pertinere uisa sunt, consequens est ut liberalitatẽ ipsam partiamur, quo pspectiora sint, magisq; exposita, quæ ad usum ipsum liberalitatis pertinere intellegantur.

Diuisio liberalitatis.

Liberlitas igitur cum erga alios sit, ea aut publice, aut priuatim, aut promiscue in multos exercebitur. Si publice, aut erga uniuersam ciuitatem, prouinciam'ue, aut erga tribus aliquam, quæ pars est ciuitatis. huius exemplum est. Cimon Atheniensis diebus singulis domi mensam iubebat parari, in qua quicunq; Laciadas esset, discumberet, uolebat enim tribulibus suis domum semper patere. Illius egregium præbuit exemplum Pomponius Atticus, qui publicam Atheniensium inopiam suis opibus sæpe subleuauit. Hoc liberalitatis genere duobus uti modis possumus, aut numerando, ut cum Alexander plurimos, qui ære alieno pressi erant, ingenti summa pro ijs soluta liberauit, aut quæ debentur remittendo debitoribus, quod fecit Adrianus, qui aurum coronariũ Italiæ remisit, prouincijs minuit, multos etiam populos tributis leuauit. Non minus etiam liberaliter Iulianus Augustus plurimis ciuitatibus debita longa diuturnitate

contracta condonauit. Quin etiam sua illis uectigalia restituit. Vtinam sint qui nosse hæc nunc uelint, nedum ut sequi curent. Promiscue in multos, ut cum Adrianus ingentem summam, quæ à priuatis debitoribus fisco debebatur, in urbe, Italia, prouinciisq; remisit, syngraphis etiam in foro D. Traiani patris incensis, ne unquam ea summa posset repeti, priuatim erga singulos, siue ciues, siue peregrinos, siue hospites, unde hospitalitas dicta. Est autem non modo priuatorum ciuium, uerum etiam urbium ipsarum summa laus, priuatas domos patere peregre uenie͂tibus. Quo in genere laudis L. Lucullus in primis claruit, tum erga alios, tum erga græcos summa hospitalitate usus, ut Luculli domus græcorum Romam uenientium, quasi portus quidã esset. Quo genere liberalitatis qui utuntur, quantopere laudandi sint, illud docet, quod maiores nostri hospitij iura sancta esse uoluere. Ac reputanti mihi quanta sint hospitalitatis merita, uidentur nunquam satis digne laudari posse Christiani, qui publicas domos constituere, in qbus e bonis, quæ dijs oblata sunt, cuiusq; modi genus hominum paupertate, aut ægritudine laborãtiũ, pascitur, curatur, uestitur. Neapoli in hospitali D. Mariæ domo, quæ amplissima est, expostitias puellas uno te͂pore noningentas educari uidi, quod quanquã abũde mirandũ, illud multo admirabilius, maioribusq; laudibus prosequendũ, quod easde͂ pudicæ, liberaliterq; institutas, qui domui præsunt, honestis uiris bona cum dote collocant. Dij boni qui Florentiæ, qui Senis, qui Romæ, sed maxime Senis concursus, aut potius profugiũ est, ad hospitale͂ eiusde͂ Mariæ domum, languentiũ hominũ, quod in curandis ægrotis studiũ, quæ pietas in omneis, qui egeant tum ciues, tum peregrinos. Hæc ideo retulimus, ut quantopere laudanda sit hospitalitas, his exemplis manifestius pateat. Maiores nostri, quod ad splendore͂ tum urbium, tum priuatorũ ciuium iudicarent hoc non parũ pertinere, in ædificandis domibus, illud in primis uidebant, ut hospitibus patere possent. Quocirca in hac parte Alphonsi Regis liberalitas & splendor mirũ in modũ uidetur extollendus. Siquidem tum oratoribus populorũ aut Regum, tum claris uiris ad se publico, aut priuato nomine uenientibus, & ædeis exornari iubebat, et uictum quãdiu apud se essent lautissimũ ministrari. Quin e͂t nisi egregie à se donatos abire nequaq̃ passus est.

De liberalitate in deos, in ægrotos, in destitutos.

De toto autem eo genere erogationis, quæ in Deos pietatem præsefert, illud principe loco dicendum uidetur, finem quidem esse optimum, nõ

tamen ut superstitio laudanda sit. Multi etiam in subueniendis pauperibus, ac mendicantibus, quae erogatio graece est ἐλεημοσύνη, peccant, dum populi auras inde aucupantur, facinorosasq; cogitationes suas, ac peruersa consilia, stipe in egenos conferenda occultare uolũt. Itaq; quae laus esse potest, ad fictam aut inanem ostentationem referre actiones suas? Nonnulli erogatione hac in Deos ipsos utuntur, pecuniam, agros, fortunas uniuersas, omnemq; rem familiarem templis offerentes, quibus illud uidendum est, ne dum erga deos pij uideri uolunt, iniusti efficiantur auferentes hominibus, quae dijs offerunt. Hoc quid est aliud quàm deos ipsos auaros & iniustos existimare? Nec uero pauci inueniuntur, qui ut sacerdotes opipare pascant, familiaribus suis alimenta subducunt. Quo circa etiam, atq; etiam uidendũ est, ne dũ erga deos pie, erga sacerdotes liberaliter agere uideri uolumus, aduersus coniunctos iniustitia utamur. In primis autem deo, hominibusq; acceptum liberalitatis genus exercent, qui aduersus inopes, & humana ope destitutas mulieres liberaliter agunt. Quid enĩ aut Deo potest esse acceptius, quàm imbecillum sexum adiuuare? aut gratioris, utiliorisq; in ciuitate exempli, q̃ prohibere, ne quod unũ, ac praecipuum mulieris bonum est pudicitia, egestate expugnata diripiatur? Quo circa Romanus atq; Atheniensis populus dici uix potest, quàm grate, q̃ liberaliter fecerit, q̃ in publicam honestatem consuluerit, cum alter Scipionis, alter Aristidis filiabus dotes è publico contulerit. Vrsus Comes Nolanus singulis annis, q̃bus Nolae praefuit, satis bonam pecuniam puellis collocandis decreuerat, unde & uiuus maxime carus Nolanis fuit, & mortuus ab omnibus desyderatur. Proxima est, quae in eos, qui morbo simul, et inopia laborant, confertur liberalitas. Quod enim beneficium maius q̃ homini salutem pecunia sua procurare? quod illinc satis patet, quod & Romani templa Saluti constituere, & graeci Ioui Soteri sacra publica faciebant. Quin etiam T. Quintium Flaminium, quod ab eo Graeciae libertas restituta esset, Sotera in carminibus, in sacrificijs, in pompis testabantur. Puer ipse patria ob auitas simultates, ciuilemq; dissensionem excedens Neapolim cum uenissem, graui morbo correptus, ita quidem à Iulio Forte Massanensi, qui Alphonsi Regis censui, rationibusq; praepositus erat, adiutus, ac subleuatus sum, ut quod uiuimus, quod haec scribimus, maxima ex parte ad illum referamus. Adolescentes quoq;, quorũ angustiores sunt res, & in quibus ingenij uis, & indoles aliqua ad uirtutem praelucet, pecunijs sustentare, uel in primis commendandum uidetur. Quid enim uel priuatim beneficentius fieri potest,

Nota q Pontanus non fuit natione Neapolitanus sed s polentinus

quàm uadentem ad uirtutes uiatico suo iuuare? aut publicæ utilius, quàm sua pecunia, suaq; opera id præstare, ne naturæ bona, hominũ ope destituta pereant? Alphonsus adolescentulos quosdam cum intellexisset ob parentum inopiam, quibus cœperant disciplinis continuare operam non posse, eos in Galliam ulteriorem Parisios misit, pecunia statuta, quæ illis suo ex ærario suppeditaretur. Patrum, auorũq; memoria clari quidam uiri, alij Perusiæ, alij Paduæ prædia ab se empta, gymnasijs dedicauerunt, è quorum fortunis paupertas adolescentium sustentaretur, qui philosophiæ, aut ciuilis iuris cognitioni operam darent. Num aut beneficentius aut utilius excogitari liberalitatis genus potuit? Hoc autem quid est aliud, quàm dare operam, ut multi semper sint, qui rerum ciuilium, ac naturæ perscrutationi uacent? quàm nolle pati ob ignorantiam rerum cognitione dignarum caligare res publicas? Sed his explicatis ad ea, quæ restant, profiscamur.

Liberalis officium esse præuenire.

Liberalis autem proprium cum sit dare, idq; & rogatus, & non rogatus faciat, quis dubitet, longe esse gratius præuenire muneribus, quãdo & uoluntarium magis uidetur, excelsioriq; ab ingenio proficisci, & qui accipit, quod ex improuiso accipit, dantis uoluntatem, ac munus ipsum longe pluris fiat, quodq; tanti se haberi putet, ut etiam si nihil petat, donis se tamen honestari sentiat, hoc quoq; plurimum addit gratiæ. Cum autem alij naturali quodam pudore affecti extrema quæq; parati sint sustinere, prius quàm aliquid petere, alij ingenuitate quadam naturæ adducti, & palàm & maiore quadam animi fiducia petant, non debet id cõmittere liberalis, ut aut illorum expectet preces, aut dũ hos satiat, in alios minus uti liberalitate queat. Neq; enim liberalis est in unum, aut in quampaucissimos omnia congerere, nec iusti, quæ multorum sunt commoda, in paucos ea conferre.

Quæ ratio importune petentium habenda sit.

Quæ autẽ tum importune petentiũ, tum idignorũ hominũ ratio haberi debeat, prudẽtia monstrabit. Nã improbe petentibus qs dubitet dãdũ nõ esse? Donatellus Florẽtinus statuarius egregius, homuncio non inurbanus, cũ importune mendicanti stipẽ obtulisset, et ille Dijs acceptã diceret, tũc ipse, nõ dijs inquit, sed tuæ importunitati, ne me efflagitando occideres. Crassus ille diues usus est præceptore Alexãdro, à quo

ut nihil ille unquam petiјt, ſic nihil ipſe Alexandro unquam dono dedit. De quo quidem fertur. Semel in itinere pileum cum popoſciſſet, ex itinere reuerſum, ſtatim Craſſo reddidiſſe. Incommoda ſane ac ſine ulla benignitate familiaritas. Alphonſus Rex quam nouam induiſſet ueſtem ſtatim è familiaribus cuipiam deſtinabat, eamq; haud multo poſt tradendam curabat. Quo circa uerum nobis liberalitatis exemplum Adrianus præbuiſſe uidetur, qui amicos & quidem non petentes locupletauerit, & petentibus minime negauerit. Vbiq; tamen ſuus habendus eſt delectus.

Liberalis uiri officium eſſe donare quamſæpiſſime.

Cum igitur liberalis ſit, etiam ſi poſſit prodeſſe omnibus, quis non intellegit non ſemel, aut raro, ſed quamſæpiſſime dare illum debere? Neq; enim uirtutum ipſarum actiones, ut paucæ, ac perquam raræ finiuntur, quas quidem plurimas eſſe neceſſe ſit, ut habitum conſtituant. Ergo ſi plurimis donaturus eſt, ut ſæpiſſime donet neceſſe eſt. Quæ res illud efficit cum & ſæpe, & multis liberalis ipſe commodus ſit, ut quammaxime carus, acceptusq; ſit omnibus, cum præſertim de illius commodis etiã qui nihil accepere, bene ſibi promittant. Trahit autem adeo amorem ad ſe omnium liberalitas, ut in extremis terris conſtitutos, de quibus liberalitatis fama ſit, tametſi de commodis eius, nihil nobis ſperemus, tamen beneuolentia, laudibusq; proſequamur, contra tenaces odio, & obtrectatione. Eminebant uitia quædam in Nicolao Quinto Pontifice maximo. Item in Alphonſo Rege, claros tamen atq; amabiles faciebat dandi ſtudium. Mahometum, qui nunc Turcis ac Græcis imperat, quanquam rebus geſtis maxime inclytum, tamen propter ſingularem auaritiam, quis eſt, qui non improbet? At patrem eius Amorathum liberalitas, ſplendorq; etiam apud hoſtes commendauit. Plurimos autem è cuiuſque modi hominum genere donis afficere, quanquam eſt regum, ac ſiqui regibus ſunt pares, eorumq; benignitas quã latiſſime pateat, unde magis, magisq; illuſtris habetur, tamen qui pro & facultatibus ſuis, quæ abunde ſuppetant, & quàm peteſt non minus ſæpe quàm libenter dat, an eſt cur hic ut cuibus ſuis percommodus, ut liberalitatis meritis clarus, non ſit etiam ſuis laudibus exornandus? Quibus tamen minores facultates ſunt, hi reſpicere in primis debent, ut ipſorum liberalitas quo rarior, minusq; plena eſt, eo exactior ab ipſis delectus habeatur eorũ, in quos

pecunias conferũt. Nã qui plurimum habent q̃d dent, iis fortasse concedendum fuerit, siquid dum non multum, tamen in delectu peccent, minus autem opulentis in hoc peccare non facile permittitur. Veneram ipse aliquando Narniam, diuerteramq; ad meritoriam tabernã cum familiaribus, qui mecum iter faciebant. Tubicen non malus discumbentibus nobis atrium ingressus est. Inualuit enim mos, ut cũ peregrinus quispiam, qui dignitatem præseferat aliquam, oppidum ingreditur, tubicines, postquam tuba eum salutauerint, donari se expectent. Ingredientem igitur tubicinem carleno donaui, atq; ut taceret iussi. causam requirenti cauponi, respondi me cum erga tubicinem liberalis esse nequaquam possem, si caneret, eo carleno redemisse, ne illiberalis dicerer, & qui cantum non possem, silentium eo argento mercatus essem.

Dona ipsa gratis uerbis exornanda esse.

Ad eum autem delectum, quem pluresis in partes secuimus, quo dantis uoluntas manifestior appareat, ipsaq; erogatio gratior habeatur, illud etiam adiungendum est, ut læta fronte, ut uerbis pro loco, tempore, ac persona, quammaxime accommodatis, quæ animi libentiam quandam declarent, & demus, & dedisse uideamur. Alexander Seuerus ubi quem de re publica benemeritum prosecuturus esset, ante illi gratias agebat, & suo & rei publicæ nomine, quod ita quidẽ rem publicam gessisset, ut bene de ea meritus iudicaretur. Alexandro Macedoni legimus affuisse quandam in conferendis muneribus alacritatem, quæ sola gratificari animum eius abunde posset. Iulius Cæsar, locupletiorem se factum dicebat, quoties fortem, & benemeritum quem donaret. Anicetus Cyreneus cum remissam sibi à Platone, qua eum redemerat, pecuniam sensisset, ea repudiata, profecto, inquit, peccatum à me uideri potest, quod maiore summa in Platonem exercenda liberalitas nostra fuit. Quis non intellegat hoc dicto, liberalitatem illam, quanquam magna quidem fuit, tamen altero tanto factam esse maiorem? Tyrannus fuit Phalaris, & quidem crudelitate nobilitatus, uerba tamen eius ex ea epistola, quam ad medicum scripsisse legitur, quis unquam digne laudauerit?

Epistola Phalaridis ad medicum.

Nesciã Polyclete utrũ ne aliquis medicinæ uim, an morũ in te fidẽ potius admiretur. Medendi enim uis ægritudinem, quæ tyrãnum conficiebat, superauit,

ciebat superauit, mores autem, præmia, quæ tyrannorum cædis causa sunt. His è rebus iustitia cum progrederetur tua, eum qui duplici periculo premebatur, letalis morbi impetu, & inimicorum præmijs liberauit. Soli nanq; tibi in manu fuit præstare, si morbo fuissem confectus, ubi nihil ex arte remedij adhibuisses, tyrannum uti sustulisse uiderere. Sin minime periissem, tamen cum prompte cuncta abs te tradita utpote ad salutem acciperem corrupisse. Potuisti itaq; uideri etiam corrupisse ad consequendos eiusmodi honores. Maluisti tamen quàm iniustum pretium, gloriam iustam sequi. An fortasse occasio ipsa, quæ ægrotantem in tua me potestate constituerat, tyrannicidij, & quidem pij locum sortita non est? Quo'circa cum penes te esset, quo me uti uelles, neque ipse habeam quam dignam tanta uirtute gratiam referam. Sic ipse quidem sentio, dignam te deo, qui artem constituit, scientiā adeptum esse. Ac nihilo minus cum ipsis medicinæ, ac fidei præmijs ad te misi, quæ animi gratitudinem testarentur mei, puro ex auro phialas quatuor. Crateres argenteos nostratis haud quaquā magisterij duos, poculorum item thericliorum paria decem, puellas quoq; intactas uiginti, cum his etiam atticorum argenteorum quinquaginta millia. Quin etiam scripsi Teucro à dispensatione, tibi ut penderet salarij quantum capiunt, tum nauium præfecti, tum satellitum, cæterorumq́; ordinum principes, exiguam profecto retributionem maximo pro beneficio, uerum in quo gratitudo ipsa manca est, illud suppleuerit, confiteri me, beneficio q̄ sit affectus, huic quā parem gratiam referat nullam esse.

Quæ seruanda, quæ etiam uitanda sint in dando.

Quo'circa munera ipsa nonnunquam honestanda uerbis sunt, & dantis animus quàm potest erga eum, qui accipit, declarandus. Quod fieri quidem potest pluribus modis. Nā & munera ipsa quanquam magna, tamen si ad dantis uoluntatem si ad accipientis merita referantur, exigua quidem esse dicet, contra ubi minora illa fuerint, non munera ipsa, sed eius, qui dat, egregiam uoluntatem, optimumq́; in accipientem animum consyderandum, atq; alia munera, alio in tempore, & plura & maiora exspectanda. Laudat apud Maronem pastor pocula illa quanquam fagina, tamen quod cælatum & quidem diuini Alcimedontis opus esset. Omnis tamen abesse debet iactantia, quippe quæ maxima liberalitatis labes est, neq; aliquo modo committendum, ut obligandi, ac deuinciendi gratia aut dare, aut dedisse

uideare. Quin id potius præteferes, ut tu te quidẽ habiturus ei gratiam sis, quod munera abs te accipiat, nec pecuniam te magni facere, sed quod plurimi ducas illius te amicum fore, quod'q; intellegant homines, quæ tua sint, ea quoq; communia amicorum esse. Abijciendum etiam in dando superalium, retinenda'q; facilitas est, & frontis hilaritas illa quidem aperta, atq;, ut dici solet, serena.

Interdum secretò quoq; dandum esse.

Quid quod nec ubiq; palàm, atq; in publico dandum est? quædam etiã per alium potius nonnunquam munera ipsa sic mittenda, ut qui ea mittat ignoretur, seruandum'q; in quibusdam & erga quosdam tritum illud Christianorũ prouerbium ignorare sinistram debere, qđ dextera ipsa dederit, quæ quidem seruasse Cosmum Florentinum, cuius liberalitas late erga multos diffusa est, accepimus.

Liberalem debere aliorum inopiam sciscitari, ut illis subueniat.

Quin etiam liberalis uiri cura eò progredi debet, uti amicorum, familiarium, ciuium necessitates, ac uiuendi difficultatem, rei'q; familiaris inquirat angustias, quibus inuentis, nunc frumento, nunc pãnis, nunc pecunia, rebus'q; alijs eos iuuabit. Antonius Marci Antonij pater, pressum necessitate amicum, nummis cum non posset, argento pocillo iuuit. cuius liberalitas quo uideri maior possit, etiã clàm uxore, quæ cum furti seruos argueret, non puduit Antonium quãquã uirum ac patremfamiliæ furtum à se factum dicere, ac petere ab uxore ueniam. Borsius Estẽsis, qui Ferrariã peregrini diuertissent renuntiari ad se uolebat, demandata ministris quibusdã eius rei cura, ut qui, ac quales essent, diligenter sciscitarentur, ne qui erga notos abunde liberalis esset, erga ignotos & peregrinos parum benignus haberetur, ad quẽ multarũ Italiæ urbium exsules sic profugiebãt, ut ab eo nemo repelleretur. Philippus Maria Mediolanẽsis, non solũ aduersus hospites, ac peregre uenienets multa liberalitate usus dicitur, sed quẽ fortẽ, et clarũ uirũ in Italiæ urbibus, aut finitimis in regionibus agere itellexerat, munera ad eũ mittebat et se, et illo digna.

Liberalitatẽ maxime exercẽdã erga illos esse, q ea digni uideãtur.

Quãuis autem late erga plurimos liberalium benignitas diffundenda sit, ac nullum fere genus hominum, dum id ferant facultates, à se

reijciat, illorũ tñ ratio in primis habẽda est, quorũ fides, integritas, fortitudo cognita est, et in qbus praeclara ingenij uis elucet, qd enim praeclarius, quàm clarũ se ac nobilẽ, claris & honestis uiris donandis agere? Quid magis secundũ uirtutem, quàm erga eos, qui praecipua aliqua uirtute praediti sunt, exercere liberalitatem? Quàm egregie Caesar, cum diceret bello à se partas diuitias, quae fortium uirorũ praemia essent, seruari. Ptolemaeus Rex Alexandrinus doctissimos quosq; ad se uocatos, salarijs, donisq; prosecutus est. Duxit secum Alexander Macedo, non unum, aut paucos quosdam, sed quasi cohortes doctissimorum hominum. Antoninus Pius non donis modo, ac pecunijs literatos ornauit, sed prouincijs praefecit, honoribusq; quammaximis honestauit. Abũdauit eruditis uiris Nicolai Quinti Pontificis maximi, & Alphonsi Regis aula. hic ad ordinariam in Antonium Panhormitam benignitatem, illud addidit, ut mille eum aureis ob scriptum de dictis, & factis suis librum donauerit. Poggium Florentinum quingentis, ob conuersum è graeco in latinum Xenophontis librum, qui Cyri Paedia inscribitur. Dionysius Syracusanus Heliconem Cyzicenum talento donauit, quod solis deliquium praedixisset. Lysander ob pauculos uersiculos Antilochi poëtae pileum argento impleuit. Ferdinandus Rex grandem pecuniae summam quotannis ex aerario pendendam statuit Rhetoribus, Medicis, Philosophis, Theologis, qui publice Neapoli docerent, egregiũ sanè factum, ac perpetua commendatione dignum, ingenia prosequi, uirtutes ornare, & ad excolendos animos excitare iuuentutem.

Liberalitatem aliquando etiam erga indignos exercendam esse.

Recte quidem atq; è media philosophia Horatius ait, dignis paratam esse debere benignitatem, tamen nescio quomodo interdum debet plus apud liberalẽ posse dandi ratio, quàm accipientis indignitas. Quòcirca etiam aduersus latrones, piratas, & flagitiosos quosdam nonũq̃ liberaliter fortasse agendum uideatur, quo eorũ improbitas minuatur. Alexander regiũ esse affirmabat, à quibus male audias, in eos & saepe, & multum conferre, quod ab Alphonso Rege factitatum scimus, offulam enim obijciendã esse censebat oblatrãtibus canibus. Itaq; superior Proteae cuidam dicaci homini, cui iure plurimum succensuerat, non modo ueniam petenti dedit, sed quinq; etiã talenta numerari confestim iussit, quae essent reconciliati in eum animi pignus.

Etiam erga hostes liberaliter agendum esse.

Cum hostibus quoq; liberaliter agendum esse maximorum tum Regum, tum Ducum exempla docent. An tibi uideatur indignum, aduersum quos fortitudine, & firmitate animi utare in periculis adeūdis, in prælijs faciendis, in eos quoq; ubi res tulerit, liberalitate uti? et q neq; uincare à periculis, neq; à mortis metu, uinci patiere à prædæ cupiditate, bonisq; diripiēdis? Cæsar Labieno q̄q̄ transfugæ, pecunias tamē et sarcinas deferēdas curauit. Scipio Hispanos captiuos sine pretio dimisit. Quin et Masinissæ nepotem magnificentissime donatum. Quo genere liberalitatis & ipse Scipio ab Antiocho Rege affectus est, filio absq; pretio remisso. Ptolemæus Rex fugato Demetrio, quos prælio ceperat, Demetrij amicos unà cum eius supellectile statim remisit, missis qui dicerent, de imperio & gloria magnis uiris certandum esse. fecit idem Pyrrhus in captiuis populo Romano reddendis. Ea tamen animi magnitudine, uinci se minime passus est Demetrius. Nam classe Ptolemæi superata, eorum, qui ceciderant, corpora magnifice sepeliri, captiuos autem omnes liberos abire iussit. In primis mihi clara & nobilis uisa est Philippi Mariæ Mediolanensis liberalitas, & animi altitudo, qui captum nauali pugna Alphonsum cum duobus fratribus altero etiam Rege, multis item regulis, non modo liberos esse uoluit, uerum nullum liberalitatis, comitatis, mansuetudinis genus in eos prætermisit. Quid enim pulchrius, quàm quos armis uiceris, eos liberalitate, ac beneficentia deuincare?

Erga benemeritos liberalitatem officiosius exercendam esse.

Quod si nullis in se collatis ante beneficijs, liberalis tamen officio suo utitur, quanto & officiosior, & liberalior esse in eos, à quibus prouocatus est, beneficijs, ac meritis debet? cum hic etiam de animi gratitudine agatur, quæ quantis efferenda sit laudibus, docere unum illud satis potest, quod ingratitudinem omnes mirum in modum detestantur. Quid enim iniustius quàm non respondere beneficijs, aut improbioris exempli, quàm per ingratitudinem deterrere alios ab officio, ac beneficentia? Decet igitur liberalē quoties præuentum se gratia, ac beneficijs intellexerit, id præstare, ut ad gratitudinem, liberalitatem quoq; adiungat, eamq; in remunerando tenere rationem, ut acceptorum beneficiorum non solum memor, et gratus appareat, uerum etiam is esse, qui cum præuenire alios liberalitate consueuerit, turpissimum

vit, turpissimum ducat praeuentum uinci, Quodq; non uinci parum sit, id aget, ut uictum à se eum, qui prouocarit, quanquam omnes intellegant, tamen ipse adhuc dubitet, satis'ne à se factum grate, ac liberaliter fuerit. Scipio ob fidelem, fortemq; Masinissae in populum Romanum operam, quoniam parum uideretur Regnum ei patrium restituisse, opulentissimam partem Regni Siphacis adiecit. Alphonsus Rex Ioannem Vigintimillium, ob egregie nauatam in bello operam multis donauit oppidis, ut non solum grate, uerum admodum etiam liberaliter cum illo egisse ab omnibus iudicaretur. Artaxerxis liberalitas, summaq; gratitudo, exemplo esse potest, quàm omnis gratitudo munifica esse debeat, cui de siti laboranti Caunius quidam cum aquae utriculum obtulisset, eum ille ita extulit, ut ex obscuro, atque inopi clarum, atq; opulentum fecerit. Neapolitanorum Rex Ladislaus puer Regno exsutus à Caietanis sustentatus est, collata ex publico pecunia. Is parta uictoria Caietanos etiam obscurissimos sic extulit, ut non temere, quanquam perurbane, dictum fuerit ab Asinario quodam Asello suo. Poteras, inquit, meus Aselle beatus esse, si Caietae natus esses, nam aut ipse Praetor esses, aut arcis praefectus.

Erga benemeritorum liberos, ac superstites liberalitate utendum esse.

Quoniam autem turpissimum est pati gratitudinem extingui atq; interire, id etiam praestandum est, ut gratitudo, liberalitasq; manere uideatur etiam illos, qui benemeritorum amicorum superstites sunt. Alexander Macedo, militum, qui cecidissent, liberos, paterna capere stipendia uoluit. Atheniensis populus Lysimacho Aristidis filio argenti centum minas, totidemq; consiti agri iugera, post patris mortem dedit, adiectis etiã quatuor drachmis, quae de publico diebus singulis pẽderentur. Non solum autem hoc liberalitatis, ac gratitudinis genere prosequendos esse mortuos, uerum etiam funerum, sepulchrorumq; honoribus, ac titulis, multa docent, non quod mortui ijs indigeant, sed quod hoc maxime modo & gratitudo testanda sit, & alij ad benemerendum inuitandi. Alexander Macedo, decies mille talenta in Ephestionis funus contulit. Toto hoc genere gratitudinis erga mortuos honorandos Graeci, Romaniq; maxime celebres fuere, condendis sepulchris, ponendis statuis, inscribendis titulis, quibus illorum uirtus testata esset posteris. Quin etiam ludos, & spectacula in eorum honorem maximis sumptibus singulari splendore edidere, quarum rerũ tum graecorum scriptorũ, tum etiam nostrorum pleni sunt libri.

In iis etiam liberaliter agendum, quæ nihil ad liberalem pertineant.

Platæenses publici boni gratia, cum pugna illa nobilis aduersum Persas pararetur, fines suos, in quibus Eleusinæ Cereris templum esset, Atheniensibus concessere, cum in agro Attico Apollinis Delphici oraculo moniti essent, uti manum cum hoste consererent. Quod factum adeo omnium laudibus celebratum est, ut Alexander multis post annis, cum putaret ad se pertinere, gratiā referre Platæensibus, illorum oppidum sua pecunia mœnibus cinxerit, atq; in ludis olympicis per præconem edixerit, eam se tunc gratiam referre Platæensibus, quod bello Persico, agros Atheniēsibus adiecerint, paratissimisq; ad mortem animis corpora sua pro communi Græciæ salute obtulerint. Memoriæ quoq; proditum est, Senatum, populumq; Ro. aduersum Acarnanes liberalitate non mediocri usum in referenda gratia, post multa etiam secula, quod illi Aeneam authorem & urbis, & generis, extorrem patria, profugumq; ad Acarnaniæ oras diuertentem cum classe, portubus, hospitioq; benigne accepissent. Itaq; donati ob eam sunt causam Acarnanes, Leucade, & Anactorio, quæ oppida Romanus exercitus Corinthijs ademisset, addito etiam decreto, ut Acarnanes, Echinadibus æquata cum Aetolis potestate communiter imperarent. Quæ res plane monet liberalis uiri propriū esse, etiam, quæ nihil ad ipsum attineant liberaliter à se ubi res tulerit, prosequenda esse. Quid enim præstantius quàm quod ubicunque terrarum fiat cum uirtute aliqua, putare id ad suam etiam gratiā spectare, ut qui uideatur honestandarū uirtutum patrocinium suscepisse.

Erga deos præcipue liberaliter agendum esse.

Quid si erga homines, hominumq; actiones illas quidem rectas, atq; honestas ita institutum esse oportet, qua pietate, gratitudineq; liberalis uir erga deos affectus erit, re publica præsertim bene atq; è sententia gesta. Agesilaus rebus feliciter gestis biennio supra centum talenta, quasi decimam quandam Delphis Apollini consecrauit. Populus Romanus uictorias suas, q̃ omnes dijs immortalibus adscriberet, declarant tot templa Romæ illis posita, dedicataq;, tot ludi à COSS. uoti tot supplicationes decretæ, tot sacra in capitolio priuatim ac publice facta. Quod si rectoribus urbium propter iustam administrationem, parentibus propter procreationem, educationemq;, amicis pro-

pter beneuolentiam, & coniunctionem, nemo bonus non maxime gratus esse studet, quales erga deos immortaleis esse debemus, quorum munera tam late pateant erga genus humanum. Quanquam autem illi quidem opis nostræ minime indigent, tamen haud scio an eo magis pietatem, gratitudinemq; erga eos nostram dictis, factisq; omnibus testari debeamus. Non indiget uiuentium gratitudine Virgilius. Silius tamen Italicus sepulchrum eius quotidie penè inuisebat, atq; adornabat muneribus. Quis autem, qui modo aliquid è philosophia degustauerit, non se Aristotelis manibus gratiã habere quã maximam intellegat, qua tamen ille nulla indiget. Quamobrem maximum mihi gratitudinis genus uidetur, eo magis gratum se erga deos ostendere, quo minus illi gratia nostra indigent.

Exempla quædam gratitudinis.

Accusatus est Cato Porcius, quod qui domi consenuerãt serui, eos ut senectute confectos, ac parum iam utileis uenaleis faceret. Iure quidem accusatus, ac si utilitate sublata, nihil humanitatis tribuendũ iudicaret hominibus. Nam quãquam serui, tamen quod homines, quod nobiscũ plureis annos uictitarint, quod operas suas in nos, liberosq;, remq; nostrã familiarem diuturnius contulerint, humanitate, liberalitate, gratitudine complectendi sunt. Nuper Ferdinãdus rex, equum, quo egregie usus aduersus insidiãtes fuerat, freno liberauit, uacuũq; labore omni esse uoluit, stabulario cuidã data pascendi eius cura? Cui non est etiam abunde nota Alexandri gratia in equum illum suum, in cuius honorẽ urbem ædificauerit de nomine eius dictam. Quibus equabus Cimon Atheniensis tertium uicerat in olympico certamine, ijs sepulchrum statuendum propè suum monumentum curauit. Populus Atheniensis publica alimenta ad extremum uitæ diem mulis decreuit, quorum laboriosis operis in Hecatompedo ædificando usus esset, qui tametsi ob annositatem libertate donati, uacuiq; incederent, tamen ne ipsi quoq; minus grati aut officiosi uiderentur, duces sese præbebant et exhortatores itineris, ac laboris iumẽtis alijs ad onera conuectanda. Et nos erga deos ĩgrati erimus quorũ beneficia tam late pateant? ut ab eis tanquam perenni fonte, bona cũcta perpetuo quodam cursu profluant, ut si recte dictum est, ut quidem esse constat, Dei metum, sapientiæ principium esse, recte etiam dicatur, pietatem erga deum ac gratitudinem humanæ felicitatis initium esse.

Aegre ferendum esse à liberali, ubi munera sua sperni senserit.

Non solum autem gratitudo erga eos, qui bene meriti sunt, propensaq; dandi uoluntas liberalem decet, Verum siquid à se omissum intellexerit in conferendis commodis, si liberalitatem suam, suaq; dona repudiata cognouerit, ægerrime feret. Nam si dandi studio tenetur, iustus, profecto dolor illum capiet ubi quid à se, quod officij esse sui senserit, omissum intelleget. Ad hæc si mirificam è benignitate uoluptatem capit, iure dolore etiam graui afficietur, ac si ereptam sibi uideat fruendæ uoluptatis causam, ubi muneribus suis aditum nullũ esse cognouerit. Memoriæ proditum est Pyrrhum Regem Epirotarũ Aesopi mortem permoleste tulisse, & quamuis cum illo bene actum diceret, mirifice tamen cruciari, seq; improbum dicere, quod dum prosequi illum differt, gratiam uiuenti non retulerat, creditam quidem pecuniam post mortem creditoris hæredibus solui honeste licere, at gratiam, cui ea debetur, nisi uiuenti uir honestus & gratus retulerit, iure plurimum offendi ipsum debere. Subiratus est Alexander Phocioni Atheniensi, quod munera ab se missa repudiasset, ac si inter amicos habiturus non esset. Quo'circa danda est opera, nequid, quod ad officium suum spectare senserit, liberalis uir omittat. Quin illud ab eo præstandũ est, ut qđ libenter facit, fecisse etiam dili gẽter uideatur.

Videndum esse ne priuata liberalitas publicæ obsit.

Illud etiam uidere liberalẽ oportet, ne liberalitate sua reipublicæ obsit, neque enim committendum est, ut dum unius aut paucorum utilitati consulitur, in publicam peccetur utilitatem. Induxit Domitius Nero Augustus aliquando animum, ut omni genere uectigalis prorsus adempto, pulcherrimo hoc munere mortalium genus donaret, quam Neronis uoluntatem, seu potius impetum Senatores, quod non liberalitatem, sed imperij dissolutionem dicerent continuere, prius tamen animi eius magnitudine multum laudata, quæ quo' tandẽ recaderit, omnes norunt. Nõ caruit publica Campanorum accusatione Ferdinandus Rex, quod dum priuato studet ciui, Capuæ uinarium uectigal instituerit. Absit igitur etiam longius à uiro liberali eiusmodi consilium, ut ob priuati ciuis utilitatem despiciat publicam.

Dandũ etiã liberalius esse ubi munera aliquando dilata fuerint.

Quoniam autem, ut dici solet, liberalitas non semper habet ad manum quod det, studendum est, ut siquid distulerimus, cum sese facultas ob-

tulerit & uberius, & alacrius id præstemus, atq; ubi quippiam pro miserimus ita memores uidebimur, ut cum faciendorum promissorum occasio se se præbuerit, multo lætiores ad soluenda promissa, quàm qui bus promissum est ad accipienda uideamur.

Turpe esse in quibusdam liberalem uirum à plebe superari.

Illud etiam uidendum ne quibus in rebus uulgus se largum, ac diffluentem exhibet, in eo se contractiores, ac minus uolētes liberales uiri præbeant. Octauius Augustus ut strenam ab infimis accipere dedignatus non est, sic in ea mittenda largus admodum ac liber fuit. Aelius Adrianus saturnalitia, ac sigillaritia, etiā inopinātibus mittere solitus est, quæ ipse libenter accepit, ut ijs magis, ac magis ad par reddēdum inuitaretur. Laudatus est Ferdinandus Rex, quod populis quibusdam strenam remisisset, antiquis principibus inueterato quodam iure quotannis pendi solitam. Idem tamen magnopere accusatus, quod eiusdem conferendæ familiaribus suis morem maiorum non seruauerit.

Liberale factum regum Alexandrinorum.

Fuit non minus nobile, quàm liberale Alexandrinorum Regum institutum, ut qui capitis damnati essent pridie, q̄ securi percuterentur, eis munuscula quædam mitterentur regis nomine, quibus uidelicet erga carceris custodes, aut à quibus beneficij quid in carcere accepissent, gratos sese ostenderent.

In testando uidendum esse liberali quid se dignum sit.

Nec uero supremum uitæ tempus prætereundum est liberali, ne, quod Cicero ait, tanquā ab inerti poëta ultimus actus neglectus uideatur. Quo'circa in scribendis tabulis, non solum iustitiam sequetur, uerum etiam liberalitatem. Antoninus Pius testamento liberalitatem suam plurimis legatis manifestissimam fecit. Iulius Cæsar singulis ciuibus drachmas quinq; & septuaginta tradendas cauit, non solum enim priuatim inter paucos, sed publicæ inter omneis benignitatem suam relinquere testatam uoluit. Quo tempore etiam gratitudinis ratio habenda est, uidendum'q; ne mors ipsa aduersum deos homines'ue ingratitudinis conuincat. Ac tametsi in ipso testandi genere leges, instituta'q; municipalia, quibus obtēperandum est, plurimum ua

lent, ad liberalitatem tamen, ac gratitudinem exercendam, cui uis prudenti, modo id uelit, locus ultimo etiam uitae tempore relinquitur.

Liberalitatem neque fictam, neque callidam esse debere, sed gratuitam.

Quoniam autem in ciuitate uiuenti, uitaq; communi famae cum primis studendum est, plurimum'q; opinioni hominum dádum illud in utenda liberalitate, commodis'q; conferendis in primis, praeferẽdum est, ut erogatio ipsa tum simplex appareat, tum gratuita, ac nullo modo callida, non captet, non mercetur, non emat, non sit ficta ut aliud manu gerat, aliud animo. Quo'circa iure maximo laudatus est Pomponius Atticus, cuius liberalitas rebus ipsis iudicari potuit quàm esset simplex. Quippe qui non florentibus seipsum uenditauerit, sed afflictis opera, pecuniaq; sua semper succurrerit, qui Seruiliam Bruti matrẽ post filij mortem non minus coluerit, quàm illo florente, qui Fuluiae Marci Antonij uxori pluribus modis, ac litibus uexatae sic affuerit, ut nullum ea sine Attico uadimonium praestiterit, quin ipse sponsor rerum omnium fuerit, necessariam'q; pecuniam non tantum sine foenore, sed sine ulla stipulatione crediderit, ut qui iudicaret maximum, atq; honestissimum quaestum esse memorem se, ac gratum à ciuibus, atq; ab amicis cognosci, eumq; sese gereret, qui non fortunae amicus, sed hominum consueuisset esse.

Quae potissimum cauenda sint uiro liberali.

Non solum autem simplex esse debet erogatio, sed in omni uitae genere liberalis uir ita se instituet, ut omnem prorsus fugiat auaritiae suspicionem. Nequis autem de turpi quaestu, infami lucro, illicitis emolumentis solum me putet loqui, consyderet quae à praestantissimis, & clarissimis principibus cauta, diligenter'q; euitata referam. Adrianus Augustus damnatorum bona, non in priuatum fiscum, sed in aerarium publicum referri iussit. Antoninus Pius ab omni lucri genere abstinuit, quo prouinciales offendi possent, quadruplatores amouit. Siqui repetundarum damnati essent, eorum liberis, bona restitui iussit, dum tamen quae parentes male accepissent, ipsi prouinciali bus redderent. Aurelius Antoninus, delationes, quibus fiscus augeretur, audire contempsit. Exhausto ob bellum Marcomannicum aerario, quod nollet prouinciales extraordinario tributo grauari, auctione

augustalium ornamentorum, in foro D. Adriani facta etiam pocula cristallina, quæq; in delitijs habebat, uendidit. Exstat Aureliani Augusti epistola, cuius particulam inserere placuit, ut intellegant qui imperant, ex oratione tanti principis, quàm procul omnẽ à se auaritiæ suspicionem relegare debeant. Heraclemonem, inquit, occidi passus sum. neque enim mihi fidem seruasset, qui patriæ non pepercit. Diuitem hominem negare non possum, sed eius bona liberis reddidi, nequis pecuniæ causa locupletem hominem occidi passum criminaretur. Hos quis nunc laudare satis digne posset? cum præsertim uideat principes nostrorum temporum, nihil prius, aut potius curare quàm quomodo subiectorum pecunias extorqueant, & perinde, ac parũ sit illas extorquere, eiusmodi etiam mercaturas exercent, quæ priuatos & obscuros homines, in quibus aliquid inest ingenui animi, exercere perpudeat, quid quod magistratus, honores, dignitates, sacerdotia uenditant, adeoq; faciendo quæstui habeant cuncta promiscua, ut nullus famæ respectus, nullus dei metus eorum insit animus, lucrum apud eos possit omnia.

De ratione accipiendi.

Venio nunc ad alteram illam partem, quæ capiẽdi regulam continet. nam liberalis, ut initio dictum est, capere etiam debet, quod ni fecerit, breui fons ipse liberalitatis arescat necesse est. Abstinebit itaq; à quocũq; ifami quæstu, turpi emolumento, fœneratitio reddittu, parũ licito compendio, ab omni deniq; inhonesta, atq; illiberali commodorum adeptione. Ex ijs enim, quæ turpiter parta sunt, quæq; ex inhonestis commodis proueniunt, quomodo proficisci dandi pulchritudo possit, non uideo, cum deceat in primis mundas manus donantem habere, quas fœdari ex illiberali prouentu necesse sit. Non puduit principem orbis terarũ Vespasianum ex urina uectigalia colligere. Quid fœdius? Pertinax Augustus non aliter, q̃ priuatus ac sordidus ciuis mercaturas exercuit. Quid indignius? e Neapolitanis regibus quidam hoc exemplum secuti prouinciales ad inopiam redegere, erepta illis mercaturæ facultate, quid iniustius? Quid quod sordidi etiã quæstus nedũ turpes declinandi. Video purpuratos quosdam, oblata munuscula, petasunculos, altilia, poma, uenalia exponere, lucrũq; ex ijs quærere, qbus familiares, amicosq; pascere par esset. nesciam iniustius, an sordidius cõparatũ hoc sit. Ex alea, lupanariq; decreto etiã publico tributa exiguntur, quid impurius? tametsi perditissimorum

hominum, ac mulierum damno exiguntur. Quamobrē nedum tur pes, sed etiam sordidi quæstus fugiendi sunt. Quid quod ut minuta quædam perinde, ac maiora dona, grato animo accipienda sunt Artaxerxis exemplo, quē traditum est, nullum, quamuis exiguum munus, non læta fronte accepisse. Quippe qui haustam è profluēti aquā, iunctis offerentem manibus, aurea phiala, & denarijs mille prosecutus fuerit, sic quædam quamuis legitime oblata renuenda statim sunt. Antoninus Pius, cum institutus à quibusdam hæres testamento esset, ubi cognouit liberos illis suos esse, repudiauit hæreditates. Quædam etiam licet absq; ulla capi reprehensione possint, nonnunquā tamen recusanda uidentur, quod Atheniensis fecit Cimon, qui Persam hominem, quod patrocinio uti suo uellet, pateras duas offerentem, alteram aureorum plenam, argenteorum alteram, ea acerbitate ab se reiecit, ut diceret mercenarium se non esse, quin si sua uti uellet amicitia, quæ secum detulisset, domum referret munera. Intellexit uir liberalissimus, quid liberalem deceret. Ergo quæ capiēda sint, quæ etiam repudianda, uir liberalis uidebit, nequa parte sibiipsi desit.

Quinetiam ut quæ oblata sunt munuscula ita sibi grata esse significabit, ut plurimi ea facere uideatur, sic in lucris commodis, ac prouentibus omnibus animum, uultumq́;, quàm potest moderabitur, ne gestire quæstibus uideatur, sed ob id solum eos sibi gratos esse, ut habeat unde sumministrare alijs queat.

Beneficiorum exprobrationem liberali uiro indignam esse.

Quanquam autem liberalem, ac beneficum uirum mutuare beneficiū ipsum minime decet, aut gratiam inde reposcere, tamen si casus, aut ratio aliquando postulet, etiam atq; etiam uidere debet, nequo modo exprobrare illud intellegatur. Quod qd est aliud, quàm pulcherrimam liberalitatis speciem fœdare uelle? Quocirca uerecunde & parce, nec ut qui repetat, sed ut qui benigne agi secum mutuo cupiat. Quo in genere peccasse uehementer Marcum Crassum diuitem illum constat. Qui tametsi pecunias suas multis sine ullo fœnore mutuas daret, adeo tamen acerbe, atq; incommode exigere sit eas solitus, ut longe melius consultum ijs, qui mutuati erant, fuisset, si fœnori accepissent. Quod si aut minime reposcere, aut uerecunde & parce petere liberalitas ipsa præcipit, qua eum abstinentia esse conuenit? qua integritate? nequa parte à uiri boni, & honesti ciuis recedat officio? Atheniensis Cimon ab omni genere largitionis, publicæq; expi-

lationis sic abstinuit, ut reipublicæ munera caste, incorrupteq; obierit. Qua animi integritate in gerendis magistratibus, & in omni uitæ genere fuisse Catonem Porcium credendum est, qui ex hostili præda nihil ad se præter cibum, & potum peruenisse gloriaretur, qui ministros etiam suos ab omni præda, uiolationeq; continuerit? Pescennius Niger ea moderatione, tum seipsum, tum milites rexit, ut in decretis sibi prouincijs, miles non operam, non oleum, ne lignum quidem à prouinciali extorserit, ipse nihil unquam à militibus acceperit. Paulus uicto, captoq; Macedoniæ rege, cum plurimum argenti, atq; auri è præda coactum esse intellegeret, ne aspicere quidem uoluit, dato quæstoribus negotio, ut in ærarium referrent. Horum integritatē, continentiamq; sibi proponere ante oculos, qui ad liberalitatem instituit uult, debet. Hos admirari, ut qui alijs prodesse pecunia, commodisq; suis studet, publice, priuatimq; continens, atq; incorruptus appareat. Qualis igitur liberalis sit, & quod eius propositum, atq; institutum esse debeat, hactenus dictum sit.

De largitione, & corruptela.

Licet autem, quod Cicero ait, raro illud detur ut possis liberalitatem, atq; benignitatem de ambitu, atq; largitione seiungere, tentandum tamen est, ut quàm fieri potest secernamus. Contingit autem difficile id esse, non quod ingenio, & ratione non facile secernantur, sed qđ ij, qui pecunijs sic utuntur, consilia sua cælant, ac dum benigni uideri uolunt, id agunt, ut omnem dandi rationem ad opes, clientelas, potentiamq; suam referant, propriamq; in utilitatem conuertant. Differunt itaq; liberales, ac largitiosi. Primum quod largitio uix unquam gratuita est. Quærit enim conciliare sibi animos hominum, suasq; clientelas, opes facultates ampliores ratione hac in ciuitate facere. Dum enim permulta largiendo ciues sibi reddit obnoxios, eorum præsidijs ad honores, ad magistratus etiam perpetuos, nonnunquam ad tyrannidem aspirat. deinde quod rarissimi inuenti sunt, quos publici honores, popularesq; clientelæ non mouerint. Quo fit ut difficile sit ab ambitu benignitatem seiūgere. Nam dum liberalitatis uiam ingressi uidentur, ubi longius progressi sunt, ad populi fauores, ac suffragia diuertunt. Appareatq; tum demum non dare eos, sed uendere. Et huiusmodi quidem homines factiosi plerunq; euadunt, quos ad occupandam publicam libertatem tantum intentos esse, res tandem ipsa declarat, & Atheniensium, Romanorumq; hi-

storiæ docent. Ad hæc non tam bonis, & honestis ciuibus, quod audacibus, seq; ipsos uendentibus largi sunt, & quæ in bonos atq; honestos benigne agunt, eò spectant, ut minus aduersos illos inceptis suis habeant. Quò circa iure corruptela dicta est à maioribus, quæ ut malos ad se trahit, sic bonos detorquere à recto quærit. Quid quod etiam quæ publica sunt improbe, nefarieq; largiuntur, raroq; largitiosus quispiam inuentus est, quin idem rapax, & uiolentus fuerit. Nulla unquam in ciuitatibus aduersus liberalitatem scripta lex est. At ambitus, ac repetundarũ leges largitiosos præcipue coërcent, eæq; in bene constitutis urbibus maxime omnium incorruptæ manent. Quin etiam, ubi opus est, summa cum seueritate uindicantur. Quid quod liberales palàm agunt? ipsamq; animi libertatem præseferunt, ac bonitatem cum liberalitate coniungunt. At largitiosi consilia sua cælant, suntq; maxime omnium callidi, & bonitate aut ficta utuntur, aut uim per iniustitiam afferunt. Nanq; ubi fraude nequeunt, ui iniuriaq; grassantur, cumq; illi rectam conscientiam in conferendis sequantur commodis, hi dum ambitioni satisfaciant, recti, honestiq; obliuiscuntur, atq; ad rapacitatem cõuersi, alijs auferũt, ut alijs largiantur. Idcirco ambitionis comes, ac tyrannidis ministra largitio est, quã Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, ut Regibus indignam, ut maxime iniustam iure detestabatur, iudicans ciuium animos humanitate, fide, integritate ad beneuolentiam inuitandos, idq; Regibus potissimum conuenire. De largitione igitur satis sit, hæc dixisse.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD RVTILIVM ZENONEM EPISCOPVM SANCTI MARCI DE BENEFICENTIA LIBER.

IN EXCOLENDIS animus Rutili Zeno institutioni'ne plus, an dijs immortalibus debeamus, ut addubitem illud efficit, quod nisi discendo, atq; assuescendo, in aliquo uirtutis genere consumatum euadere uideo neminẽ. Sed cum à fontibus riui emanent, qui longius profluentes paulatim tamen augescendo implentur, Sic mihi uidentur bonarum artiũ principia, & tanquam ortus ad deos primũ immortales referẽda, quorũ est muneris, ut corpore fruamur, & animo, ijsq; etiam sensibus, qui rationis, atq; intellectus (diuinæ in nobis partis) sunt ministri. Quibus è principijs profecta ratio, disciplinis, institutionibus'q; adiuta præstat tandem, ij ut euadamus, qui uita ipsa, idest deorum digni munere iudicemur. Verum apud te deorũ ipsorum antistitem, cum aut parcius, aut omnino religiosius diuinarum de rerum opinionibus sit loquendum, sic quidem statuo, cum corporis, tum animi bona, quin hominis ipsius, qui ex utroq; constat, aut solum, aut in primis esse ad deos referenda, præcipue autem uirtutem eam, cui à benefaciendo (quod Deorum est proprium) inditum nomen est beneficentia. Ac nihilo minus ad hanc etiam consequendam, institutionẽ quoq; plurimum conferre, usũq; frequentiore opus esse duco. Cũ enim ad agendum, atq; intellegendum nati simus, nimirum actiones ipsæ nostræ, rerum'q; cognitio, præceptis constant, atq; institutis, ratione quidem, usũq; comprobatis, à quibus & animorum constituuntur habitus, & ueritas in omni peruestigatione magis, ac magis elucescit. Neque inutiliter igitur, neq; ab re de beneficentia ipsa præcepta libro hoc tradidimus te præsertim hortante beneficentissime Rutili, q tenui quamuis in re, perexiguo'q; sacerdotio constitutus, nullam tamẽ beneficentiæ partem aut omittis, aut non minus etiam libenter, q̃ frequenter exerces. Quamobrem nostra hæc legens, actiones'q; ipsas tuas passim recognoscens (sat scio) non tam excitabere ad beneficia in plurimos, quod qdem facis, collocanda, q̃ ad conscientiæ tuæ, bonarũq; actionũ fructum, et quidẽ quotidianũ de lectione percipiendũ, eaq; pergendũ uia, per quã et antiqs et nostris itẽ temporibus incedẽtes nõ pauci iter diuos relati sunt, atq; in deorũ immortaliũ numero habiti.

De beneficentia, in quibus differat, in quibus etiam conueniat cum liberalitate.

LIBERALITATI Finitima est beneficentia, ex eo, quod alijs benefaciẽdo prosit dicta, idq; cum liberalitate commune habet, inter utrãq; tamen hoc interest, quod illa pecunia tantum adiuuat, hæc opera, utriusq; tamen propositum cum sit prodesse alijs, utriusq; gratuitus finis est, solamq; benefaciendi rationem respiciat, ut si differant materia, in qua uersentur, fine ipso conueniant. Ac tametsi liberali deesse sæpius propter fortuitos casus, atq; indigentium multitudinem dandi facultas potest, benefaciendi tamen potestas rarius aufertur. Nam consilio prodesse beneficus semper potest quamplurimis, cum sit beneficentiæ campus latior. Ad plureis enim patet, compluresq; benefaciendi alijs sunt uiæ. Ad hæc illi necesse est, ut semper ad manum habeat, huic danda est opera non pecunia. In delectu autem conueniunt. Nam nec omnibus, nec quacunq; in causa, aut pecunia, aut opera subueniendum. Quis enim nisi perditissimis moribus Catilinæ aderit, aut Clodio? alteri patriæ parricidæ, alteri incesto. Quos tutari, an est aliud q̃ patriæ manum inferre, q̃ iura diuina, atq; humana uiolare? Est etiam modus retinendus, tempusq; obseruandum, cum sit habẽda ratio collocandæ operæ, non aliter q̃ conferendæ pecuniæ. Videre etiam oportet quanta opera, quæ confertur, sit'ne remissior quàm causa, q̃ persona exigit, ne'ue dum nimia est, ad uim, temeritatemq; declinet. Quo circa in liberalitate, ac beneficentia exercenda, habendi delectus eadem ratio est, eadem etiam tenenda regula, ne aut remissior sit, aut nimia, quod ne accidat ratio prohibebit, quæ omnium honestarum actionum dux est, ac magistra.

De beneficentia & eius extremis.

RESTAT uidere quæ sit ipsa beneficentia, qui etiam sint qui ab ea recedunt in alterum extremum abeuntes. Nam quia beneficentia uirtus est, mediocritas sit quædam oportet. Quanquam autem beneficentiæ ipsi tota fronte maleficentia opponitur, cuius quidem omnis opera ad malefaciendum conferatur, tamen qui sic affecti sunt, iniusti potius dicuntur, unde qui ab alijs iniurias prohibent, qui nocere nemini uolunt, uiri boni, ciues item probi dicuntur a maioribus nostris. Eosdem etiam innocenteis dixere, probitas autem innocentia, bonitas

iuſtitiæ, partes quædam ſunt. Quo fit ut malefici ad iniuſtitiam re
legentur. Sed nec beneficentia ſecerni omnino à iuſtitia poteſt. Nam
cum homo homini debeat, cognatus cognato, tribulis tribuli, ciuis ci
ui, hoſpes hoſpiti, ijs opera, patrocinio, conſilioq́; adeſſe, iura, leges, pa
trijq́; mores iubent. Verum hoc iuſtus benefico intereſt, quod cum
ipſe intellegat ſeſe debere, quia debet, quia iuſtum iudicat, egenti pa
trocinium ſuum confert. At beneficus non id reſpicit, quod debeat, ue
rum ita ſe inſtituit, ut deeſſe nemini uelit. Sed uirtutes ut uitia, ut
morbi, multa inuicem habent communia, ſunt enim eiuſdem tum ani
mi tum corporis, & genere plerunq; conueniunt. Ad hæc ſi bene et
male opponuntur, & beneficium maleficio aduerſatur, bene facere,
& male facere ut impugnent ſeſe neceſſe eſt. Cum autem in altero
extremo maleficus collocetur, in altero collocandus uidetur qui cum
ipſe minime omnium noceat, nemini tamen prodeſſe curet, hunc inof
ficioſum placet appellare, eritq; uitium ipſum inofficioſitas. uidebitur
fortaſſe uerbum hoc minus uſitatum, ſed aliud non occurrit, quod rē
ipſam tam planè explicet. Quid enim eſt aliud nemini bene facere
quàm nulli officium ſuum impendere? præter inofficioſitatem autem,
& maleficentiam non eſt, quod aliud ex aduerſo beneficentiæ op=
ponas. Nam aut nullam quis alicui operam confert, in quo ab officio
deficit, aut malam, & hic quidem hac in parte nimius eſt, cum ſit
uiolentus & impotens. Inter malam autem, & nullam operam, bo
na conſtituatur neceſſe eſt, quæ quidem quod æquabilis eſt, iure me
dium locum obtinet. poteram & ſuo quidem, ac proprio nomine offi
cientiam dicere, cuius eſt officiendi ſtudium, ut beneficentiæ benefa-
ciendi. Quo minus autem primo ſtatim congreſſu id opponerem, non
temere fortaſſe illud obſtitit, nequis, ut ſunt hominum quorundam in
genia, hoc ipſum nomen nō ab officiendo, ſed ab eo, quod eſt officium,
deduci perperam interpretaretur. Quod ſi à ſtudioſis uiris in uſu
recipiatur, non eſt quod aut magis appoſitum inueniri queat, aut qđ
rem ipſam tam planè explicet. Nā ut beneficentiæ eſt prodeſſe uni
cuiq;, inofficioſitatis nemini, ſic officientiæ eſt, quæ poteſt obeſſe, &
qui ſic affectus fuerit officiens, ut experiens, ut conſtās, ut temperās,
à quibus experientia, conſtantia, temperantia deducta ſunt, recte uo
cari poterit. Accuſari autem nullo pacto debemus, ſi ut calumnian-
tium ſpicula libenter cauemus, ſic hoc ipſum philoſophantium ar-
bitrio, iudicioq́; recipiendum nec'ne ſit permittimus. Dicere autem ex
tremorum alterum quidem eſſe non male facere, ſed nimium bene=
facere, profecto abſurdiſſimum uidetur, nemo enim quod benefaciat,

uideri potest modum excedere. Quin si in hoc peccabitur, erit in delectu ipso peccatum, quippe cum non quantam par fuerit, sed maiorem, quàm honestas tulerit operam, patrociniumq́; contulerit. Neq; enim peccat, quod benefecerit, sed quod modum in hoc mensuramq́; non retinuerit, ut qui conferat longe plus, quàm honestum sit, qua uia in omni uirtutis genere peccari potest. Præterea inofficiosus ut nemini officium suum præstat, sic nemini etiam opera sua nocet, maleficus autem operam exercet, sed tamen malam, & hoc pacto plurimum nocet. Quo'circa inter hæc ipsa uitia, beneficentiam, ut medium est constituere. Nam cum inofficiositate conuenit, quod neminem offendit, differt ab ea, quod operam suam præstat, cum maleficentia uero habet hoc commune, quod agit quidem nec cessat ab opera, differt autem, quod cum illa male agat, eius mala sit opera. Quamobrem inter maleficentiam, & inofficiositatem constituta cum sit, recte definietur beneficentia, si eam in conferenda alijs opera mediocritatem quandam esse dixerimus. Quoniam autem primi hæc prodimus, neq; enim à maioribus nostris, præter generalia quædam de beneficentia sunt tradita, ueniam precamur siquid aut minus usitatum, aut nouum afferimus, donec meliora, concinnioraq́; ab alijs inueniantur.

Duo esse inofficiosorum genera.

Est autem duplex inofficiosorum genus, alij enim ob innatum torporem, naturalemq́; hebetudinem beneficere nec sciunt, nec uolunt, q mihi quidem miserandi potius uidentur quàm accusandi. alij ob pigritiam, & laborum, ac molestiarum fugam, quos nemo unquam accusare satis queat, homines ad desidiam, & uitæ otium cuncta referentes, qui cum ad colendam ciuitatem, cœtusq́; hominum celebrandos nati sint, ita tamen uiuunt, ut ne minimum quidem laboris propter ipsum hominum genus suscepturi uideantur, qui eo contemptiores habendi, quod ijdem plerunq; uentri, ac somno dediti sunt. Horũ etiam tertium quoddam genus est, quos haud scio an inter inofficiosos numerem. hi sunt, qui cum in cætera quidem uita negotia plurima resq́; admodum laboriosas gesserint, postea defessi rebus, negotijsq́; cedentes, urbanis ac forensibus relictis operis ueluti in secessum uitæ quendam sese conferunt, ut quod uitæ reliquum est, sibi tantum ipsis uiuant. Quibus ante acta uita, ueniam fortasse dederit, seu quod eiusmodi tempora sint, isq́; reipublicæ status, ut secedere à publicis, ac ciuilibus curis uiro præsertim bono sit honestum. seu quod

imbecillitas corporis hoc ipsum exigat. Sed nescio quomodo, in hominibus bonis, idem illud, quod in uino exigitur, cum generosum quodque ad ultimum sit optimum ac probatissimum. Equi etiam laudantur non qui circa primos feruent carceres, sed qui postquam ad metam ipsam peruentum est, uires etiam recentes ostentant.

De maleficiis.

Maleficiorum, atque officientium sunt aliquot etiã genera, cum alij nõ tam sponte, quàm decepti peccent, ut qui obsunt cum prodesse uelint. Quorum quidem non uoluntas accusanda est, sed quod in habendo delectu, & opera conferenda, non quam debent diligentiam, & studium conferunt. Nam nec opera uacare debet prudentia, nec actio ratione, quæ quidem recta esse nequit, ubi neglegentes in habendo delectu sumus. Alij, quod insolentissimum sanè genus est hominum, ob animi impotentiã, cupiditatesque immoderatas, dum sibi studeãt, dum suas tantum res agant, totius iustitiæ obliuiscuntur, ab ipsaque natura rebellant, pestes quidem & urbium & nationum. Sunt qui uicti pretio, ac pollicitis capti alijs noceant, ut alijs morẽ gerant, aliorum ipsi assectæ, atque alienum ad nutum uiuentes. Quosdam uoluptatis, ac iucundi studium præcipites ad nocendum trahit, qui nonnunquam turpiores inueniũtur, quàm quos utilitatis species impulit. Quidam suapte quadam natura, atque innato uitio, muscarum more incommodi, & molesti sunt, ut gratuito quidem iuuet malefecisse, ipsi quidem degeneres, quosque natura ipsa ut quosdam corpore, sic animo quodãmodo monstroso genuerit. Hæc ferè sunt maleficorum genera, quæ quidem ipsa in plures partiri species, quia cuiuis est facile, nec uideo esse necesse, in præsentia omittam, itaque quod inofficiosi sint, qui etiam malefici, satis dictum sit.

Beneficium honestum, ac iustum esse debere.

In conferenda autem opera, illud primo uidendum est loco, ut honesta, ut iusta sit, quãquam fieri potest, ut aliquando declinandum sit aliquantulum è uia, ut cum in filij flagitio, paternus amicus, tum publicis, tum priuatis ipsius patris meritis adductus ad eum defendendum operam suam confert, quam ita quidem conferet, ut paternæ uirtutis beneficiorumque in se, ac rempublicam memor uideatur. Neque honestatis immemor factus appareat. Nam si laudantur ob clementiã

principes, qui tamen publicæ iustitiæ custodes sunt, ac uix fieri potest, ut clementia non aliquid detrahat communi illi iustitiæ de iure suo, quantopere uituperandi sunt, qui uirtutis, ac beneficiorum in se, aut in rempublicam collatorum immemores esse uolunt, in aduersis casibus amicorum? cum uideamus sub iustis principibus, & in ciuitatibus bene constitutis etiam scelerosis, & palàm conuictis, aut principum, aut Senatus, aut Prætoris iussu, decretoq; patronos, ac defensores statui, qui causam eorum suscipiant, ne indefensi perire uideantur. Quod igitur boni principis & bene constitutæ ciuitatis decreta statuunt, an gratitudinis, amicitiæq; lex id non statuet? Videndum tamen ne nimij in hoc simus, ne dum grati, & amicitiæ memores supra quàm par est uideri uolumus, aperte iniusti efficiamur.

Exempla quædam beneficentiæ.

Alphonsum regem descendere equo, & cœnosam in uiam sese inferre non puduit, ut rustici, atq; imbecilli senis prolapsum sub onere Asellum cauda subleuaret. Quæ res declarat, etiam magnis uiris laudi dandum esse, dum aut res, aut casus tulerit, si ad sordidam etiã operam conferendam descenderint. Carolus princeps Nauarræ Ioannis Alphonsi eiusdem fratris filius, etiam infimis, ac sordidis homũcionibus opem ferre non recusabat, cum ipse morbi cuiusdam abdita medicamenta teneret.

Non expectandum esse dum petatur beneficium.

Atq; ut petentibus, rogantibusq; dum iuste, honesteq; id fieri possit opera, auxilioq; deesse nõ debent, qui benefici, et officiosi esse uolunt, sic nonnũquam expectandũ non est, dum rogentur, sed mature, sponte præueniendum. Quo in genere uirtutis Erricus Pudericus Eques Neapolitanus in primis mihi dũ uiueret, præstare uisus est. Idẽ ingenium, eadem est consuetudo familiaris nostri Petri compatris, quos ego noui officiosissimos, quibus non iniuria adiunxerim Ptolemæũ Gallinam Catinensem, quem senem non semel uidi præter ætatem, non solum urbanos labores, ac molestias, uerũ etiam longiora itinera suscepisse, ut amicos, notisq; opera sua prodesset.

Turpe esse ubi opera exigitur, consilio iuuare uelle.

Ab his quosdã longe diuersos intellego, qui non solũ nihil operæ sponte conferant,

te conferant, sed rogati, aut tergiuersantur, aut cum opera exigitur, satisfacere consilio uolunt, inutile sane amicorum, ac ciuium genus. Nec uero negamus plus interdum beneficij publice, priuatimq; consilio, quàm opera conferri. Quis enim ignorat maximas res plerūq; consilio geri? cum uires sine consilio frustrari soleant. sed turpe ducimus dum locus est operæ, consilio uelle subuenire, quod esse tergiuersantis apparet.

Quæ beneficum deceant.

Ipsa uero opera cum præstari soleat, aut agendo, ut cum uel ciui, uel peregrino, qui ea indigeat, præsentes adsumus, seu cum per epistolā aut ratione alia causas, negotiaq; commendamus. Aut consulendo ut cum fraude circumuentis, & in causa aliqua laborantibus consilio subuenimus, Vtriusq; uir beneficus, studiosus esse debet, utrunq; etiā sine acerbitate præstare, cum acerbitas plurimum detrahat beneficio, cōtra animi promptitudo facilitasq;, et quæ sæpius à nobis appellata est libentia, sit nonnunquam opera ipsa gratior. Icirco nō solū iusta & honesta esse debet opera, sed facilis, parataq; & ut ex animo uere appareat proficisci. Consilium autem rectum, & graue pro re, ac tempore, quodq; multa circunspiciat, eaq; in consulendo persona induenda, ut cū res tulerit, nunc monentis, nunc etiā subincusantis, aliquando etiam subblandientis parteis suscipiat, sine leuitate tamen & contumelia.

Exercendam esse cum delectu tamen erga omne hominum genus beneficentiam.

Nec uero in conferendis beneficijs ullum genus hominum excipiendū est, dum tamen homines sint, non belluæ, quanquam nec eodem modo, nec eadem in causa cum omnibus æque agendū est, cum sit agnati, ciuis, peregrini, nobilis, ignobilis delectus habendus, nec minus ijs, quibus fortuna spirat, quàm quibus aduersus est flatus, benefaciendum sit. Tamen quæ beneficia in aduersis conferūtur, ea mirum est, quàm sint iucunda præsertim ubi præter spem, atq; ex insperato eueniunt aut cum cæteri amici pedem retrahunt, cuius rei rarissimum exemplum præbuit Hiero Syracusanus, rebus Romanorum atritis et Italia rebellante Gallis ad Romam diripiendam aduentantibus, in illa fœda, & miserabili fuga, Lucius Albinus cum animaduertisset uirgines uestaleis de uia, & sub sacrorum onere laboranteis, de

stitutasq; hominum ope, ipse statim exonerato sarcinis curru uxore, ac liberis, secum pedibus facere iter iussis, uirgines cum sacris, ut currum ascenderent, imperauit, & ut quanta maxima possent celeritate sibi sacrisq; consulerent. Sanè pium et admirandum facinus. Maxime autem imbecillis, & humili loco natis, ac tenui in re constitutis opitulandum est, atq; eo libentius, quo magis indigent, quo rarioribus præsidijs subnixi sunt. Docet hoc tum rerum natura, & ipsa humanitas, quæ propria est hominis, tum instituta, legesq; ciuiles, quæ pauperibus è publica pecunia aduocatos statuunt, quæ prætores ineundis magistratibus, iure iurando adigunt, uti pupillorum, uiduarumq; iura præcipue tueantur. Velle autem complecti, quot, quibusq; modis, ac quibus in causis, negotijsq; beneficentia uti quis possit, sanè difficile est, minimeq; necessarium, quod ut una absoluam sententia, nullum esse uitæ genus potest, ad quod beneficentia non penetret, nullus tam diues, aut potens, qui non alterius indigeat opera, nullus adeo inops, & imbecillus, qui non conferre aliquid benefaciendo ualeat. Quo circa benefaciendi campus ut amplissimus est; sic in eo sese exercere unicuiq; est permissum. Sed in omni benefaciēdi genere illud præcipue uidēdum est, ne alijs obsis, ut sis alijs commodus, Nam quanquam sæpe accidit, ut quod huic utiliter feceris, id alij uertat incommode, tamen id non debet tuum esse propositum. Illud etiam magnopere improbandum, quosdam non tam studere ut commodi sint, quàm ut uideantur uelle alijs commode facere, quod leuitate, atq; ostentatione non caret. Sunt qui ipsi quidem ostentare beneficentiam suam nolint, sed arte quadam uendere, & hi quidem captatores dicuntur, quos ut improbissimos & fallacissimos iure insectantur satyrici. Quod quid est aliud quàm fallere, & aucupum more, escam effundere, ut paulo post irretias? Itaq; non semel, sed iterū, ac sæpius dicendum est, finem ipsum beneficentiæ gratuitum esse debere, quippe qui propter se tantum quærendus sit, neque aliud inde præmium quàm rectæ conscientiæ exspectandum. Quin etiam interdum grauia rei familiaris damna subeunda, & in odia etiam aperta incurrendum, ut recte, ut officiose facias, neq; enim male „ apud Terentium dicitur, non si mihi sciam omnes mortales ini„ micos capiendos.

Etiam inuitis benefaciendum esse.

Est etiam benefico quoties ratio ipsa docuerit, idem quod medicis

seruandum. Nanque ut illi quos obstinatis cedere animis ægritudini uident, etiam inuitis medicamenta afferunt, & quantum in ipsis est, eos facere saluos student, sic studere hic, atq; anniti debet, ut consilio, patrocinijsq; & publica & occulta prosit opera. Nam etsi, ut dicunt, beneficium non confertur in inuitum, tamen non semper id uidendum est, quàm illi gratum sit cessurum, sed quàm deceat beneficisse, quàm sit honestum saluum facere eum, qui rebus suis desperás mortem ipse sibi arcessat.

Quibusdam occulte beneficiendum esse.

Est & alia quædam ratio beneficentiæ exercendæ, nam cum sint non nulli partim ingenio adeo pudenti, ut in maximis etiam necessitatibus constituti nihil petant, alij ingenio sic generoso, & nobili, ut potius uideri uelint, ipsi in alios esse benefici quàm alienum beneficiũ exspectare, ne aut illorum pudor, aut horum obstet generositas, quo minus benigne cum illis agatur, non palàm, sed occulte, non recta, sed obliqua uia ad eos proficiscendum est, ut ipsis magis ignorantibus, quàm ullo modo suspicantibus auxilium afferatur.

Beneficum obliuisci debere iniuriarum.

Omnino magni est animi obliuisci iniuriarum, atq; ubi res tulerit, præter spem, atq; opinionem illis adesse, cum quibus simultates interueniunt, aut aperta etiam odia. Quo tempore beneficium ipsum uidetur eo maius, quo minus exspectatũ, eo acceptius, quo minus debitũ, quod Minutius declarauit, cum Fabium Maximum patrem salutauit, depositaq; potestate, illius se subiecit imperio.

Accusatur Pericles & Nicolaus Pontifex Maximus.

Periclis nec humanũ sanè, nec probũ factum declarare nobis potest, non ultimum expectandum esse tempus, sed cito, & mature succurrendũ, quod enim serò confertur, perinde, ac si collatum nó esset, iudicari potest. Nulla nanq; sunt, quæ tarde admouentur remedia. Redactus est Anaxagoras ad ultimam egestatem, ut mori iam destinauerit, cuius consilio tametsi Pericles tum Atheniensium princeps potissimũ utebatur, tamẽ in maxima fortuna factus est amici immemor. accessit nihilo minus ad eum cũ intellexisset id agere, ut mori uellet, à quo ita

discesserit, ut non solum intellexerit serò se pœnitere, sed male etiam ab amico iure quidē accusante audierit. Nicolaus Quintus Pontifex Maximus, dum Constantino serius succurrit, illū cum urbe Constantinopoli, Mahometo Turcarum Regi trucidandum obiecit. Recte itaq; usurpatum est, beneficium qui mature contulerit, duplicatum contulisse. Quod ut potissimum studere benefici debent, sic nunquam committere, ut à quo beneficijs prouocati sunt, uinci se ab eo patiātur, idq; si præstare minus poterunt, illud tamen præstabunt ut uelle, ut id agere præcipue uideantur.

In opera conferenda ignotos notis quandoq; præferendos esse.

Quanquam autem iure quodam naturæ, nostris quàm alienis, ciuibus, quàm peregrinis, notis, quàm ignotis magis deuincti sumus, tamen eiusmodi sese negotia, ac tempora offerre possunt ut noto ignotus, ciui peregrinus alienus necessario præponendus uideatur. Accusantur Veneti, nesciam quàm recte, quod peregrinorum in negotijs forensibus, in reddendo iure, uix aliqua in eorum urbe ratio habeatur. Quid turpius, aut iniquius, quàm ita se & suos amare, ut iustitia, ut humanitas excludatur? Franciscus Sfortia Dux Mediolanensium, in publica constitutus audientia exteros, & infimos quosq; primos audiebat, ciuibus ac primarijs uiris præteritis, quorum ultimus erat locus. Hāc humanitatem mirificæ ab omnibus prædicatam uix hodie inuenias imitari qui uelint.

Laudantur qui publicæ benefaciunt.

Quod si erga singulos officiosi qui sunt, tantopere laudantur, qua laude, aut potius obligatione prosequendi sunt, qui publicæ beneficentiam suam exercent? qui studium, curam, cogitationem, omnem denique operam suam publicum ad bonum conferunt, quos non tam sibi, q̄ ciuibus ac reipublicæ natos, ut ciues ipsi confitentur, sic illorum actiones palàm testificantur. Itaq; ut in uendicando iure suo prima est patria, sic prima ac præcipua laus est publicolarum, placet enim qui sic affecti atq; instituti fuerint, publicolas appellare.

Laudantur legum, disciplinarum, bonarumq; artium institutores.

Quocirca uel in primis ciues ipsi, & hominum uniuersum genus ijs debent, qui statuendis legibus, aut ijs interpretandis, qui instituendis ci

uibus, & ipsi hominum generi, operam suam atq; ætatem occupāt, quorum beneficij est, ut quos natura sociauit, ij æquabili iure firmius, ac concordius uinciantur, ut alienis abstinentes suo quisq; contentus uiuat, ut deniq; qua ratione à belluis differimus, ea nobiscum inter nos ipsi potissimum utamur, quorum etiam industria per labores, ac uigilias plurimas, naturæ ipsius arcana nobis aperuerit, Deū ostenderit, pietatem, iustitiam, continentiam, cæterasq; bonas artes docuerit, res memoratu dignas memoriæ mandauerit, ne tanquam in tenebris constituti, uix præter ea, quæ ad pedes essent, cerneremus, ad uiuendum necessaria inuenerit, inuenta ad posteros extenderit, artes excogitauerit, morborum remedia conquisierit, disciplinas constituerit. Quibus effectum est, ut homo mortali conditione genitus, quæ deorum immortalium est, diuinitatem assecutus uideatur, quod memores, ac grati homines aris, templis, sacrificijs, statuis, & olim testati sunt, & hodie testantur, ac testabuntur in posterum. Diximus et quidem abunde, ut uidetur, de liberalitate, de largitione, de beneficentia. Reliquum est, ut de magnificentia, hospitalitate, munificentia deq; splendore, ac deinceps, de alijs etiam partibus, quæ liberalitati cognatæ uidentur, eodem ordine disseramus, Et primo quidem de magnificentia.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD CHABRIELEM ALTILIVM EPISCOPVM POLICASTRENSEM DE MAGNIFICENTIA LIBER.

m AGNIFICENTIAM Pecuniæ fructum esse qui dicunt Chabriel Altili, recte mea sententia, atq; ex ipsa rei cognitione & dicunt, & sentiunt, quod publica monimenta, Inprimisq; portus manufacti, iactæq; in mare moles, & Augusta Deorum immortalium templa declarant, aliaq; item ædificia, quibus hominum utilitati, nec minus etiam saluti prospectum uidetur. Peragrasti mecum bonam Italiæ partem. Vidisti portus in oris maxime fluctuosis à nostris maioribus manufactos. Transisti flumina firmissimus, atq; longissimis pontibus superstrata, Peruasisti paludes olim maximas, ab illis post expurgatas. Balneas admiratus es cōmodissimus, atq; sumptuosissimis testudinibus conclusas, præruptissima loca, peruia effecta satis admirari non potuisti. Mōtes quoq; ad iter faciendum magno labore, maiore arte, maximis sumptibus perforatos. Quid his aut commodius, aut etiā uitæ hoīum salutarius? Itaq; recte atq; è re ipsa pecuniarū fructum esse magnificentiam dixere. Cum ad communem tum ciuium tum peregrinorū late spectet commoditatem, ac salutem, etiam cum uoluptate quamhonestissima. Romam quoq; ad Innocentium octauum Pontificem maximum te comite profectus cum essem conciliandæ cum Ferdinando Rege pacis gratia (Dij boni) tantos illos aquarum ductus, tantam spectaculorū amplitudinem, totq; aliorum & priuatorum, & publicorum operum pulchritudinem, atq;, ut ita dixerim, maiestatem, quàm perspectissime examinasti, ut iudicares ædificiorum magnitudinem, cum Imperij magnitudine potuisse quodāmodo contendere. Post de templorum uetustate multa cum dixisses, habitus à te est etiam de religione sermo, quam ipse existimares homini à natura insitam, ac mortalium generi maxime consulentem. Ad eam autem uim, quæ homini à natura esset indita, plurimum quidem ab institutione adiungi, utriq; tamen maximam accessionem fieri à templorum maiestate, sanctimoniaq; antistitum, quando apud maiores nostros opera pmulta, quæ magnificentiæ sunt, Pontificum curæ, ac muneri à ciuibus per

missa essent. Eoq; tandem oratio progressa est tua, ut ignorare te profiterere, plus'ne ad ciuium urbanas commoditates, an ad pietatem ac Deorum cultum afferret adiumenti, uenerabilis, atq; augusta sacrarum ædiũ magnificentia. De qua hoc libro dicere aggressus sum, hortatu præsertim tuo, q antistitis fungens officio, de'q; ea ut scriberẽ, & cora'm persæpe hortatus es, & per amicos etiam flagitasti.

In quibus magnificentia cum liberalitate conueniat, in quibus etiam ab ea differat.

m AGNIFICENTIAE NOMEN ipsũ qualis ea sit, declarare nobis potest, & in quo etiam à liberalitate differat. Nã cum à magnis faciendis nomen sit inditum, in magnis eam uersari sumptibus, par est. Neq; enim tenui impensa fieri magna possunt. Quo'circa materiam ipsam, in qua uersatur, habet cum liberalitate communem, neq; enim nisi è pecunia sumptus fiunt, ac tametsi fortitudo quoq; magna ex se præstat, atq; efficit, alijs tamen uersatur in rebus. fortis enim obeũdis periculis magna facit, At magnificus magnis faciendis sumptibus magnus euadit. Quamobrem magnifici quidem opera uidentur, nobiles ædes, egregia templa, theatra, porticus, uiæ, stratæ, moles in mare iactæ, & siqua sunt alia generis eiusdem, quarum rerum nihil ad liberalẽ pertinet, confert enim hic pecuniam solum, ut det, ac dãdo alijs prosit, magnificus autẽ magis impendit, quæ dat, et sumptuosus potius, q̃ dator uidetur, tametsi sumptus qdẽ ipsi è dandi sunt genere, & qui magnificus est sit idẽ liberalis, quãuis non statim qui liberalis est, sit & ipse magnificus, siqdẽ liberalitas à magnificentia magnitudine superatur. Ad hæc liberalis utilis esse alijs, et cõmodus magis studet, cũ magnifici plura sæpe ad aliorum uoluptates faciãt, ut cũ ludos ac munera in theatris edunt, & publicas uenationes in arena exhibent, qui mos Romanorũ maxime principũ fuit. Quã quã autem magnificus liberalis'q; iucundus est uterq; popularibus, liberalis tamen propter solam utilitatem, qua eum cui dat, & sæpe, & multum afficit, magnificus uero etiam propter uoluptatem, Nam & porticus & stratæ uiæ cum publica, & priuata utilitate, & magnifica dona cũ accipientis commodis sunt, & ludi, uenationes'q; ac cætera spectaculorũ genera ciuiũ uoluptatem, atq; animorũ relaxationẽ, à negotijs, ac laboribus quærunt, Ad hæc liberalis erga alios

non aduersum se liberalitatem exercet, cũ magnificus etiã sibi sumptuosus sit, ut cum egregias sibi, liberisq; domos aut amplas uillas ædificat, porticusq; priuatas statuit. Quibus è rebus facile apparet in quibus differant, in quo etiam conueniant liberalitas & magnificentia. De qua nobis dicendum relinquitur.

Definitio magnificentiæ, & qui sit eius finis.

E a, ut arbitror, mediocritas quædam est in sumptibus, & quidem magnis cum delectu faciendis, quanquam nec omnibus quidem, nec eadem uia. Nanq; in paranda classe plurimæ impẽduntur pecuniæ, & quidem belli gratia, & in muniendis urbibus maximi fiunt sumptus, quo ciues ab hostibus tutiores sint. Sed classis comparandæ uictoria, urbium muniendarum securitas, ac salus ciuium, finis uidetur, cum magnificentiæ finis sit, ut cæterarum uirtutum gratuitus. Siquidem magnificus magna efficit, quia per se pulchrum id sit, quia dignum, quia generosum, hoc solo contentus, quod magna effecerit, quodq; in illis efficiendis decenter sese gesserit, potest tamen et magnificentiæ locus suus esse, in ædificanda, atq; instruenda classe, qđ M. Antonius, qui Aegyptum cum Cleopatra tenuit, declarauit et in construendis mœnibus, id quod Babylonis muri maxima cum admiratione hominum docuere.

Quæ sint magnificentiæ extrema.

R ecedunt autem ab hac ipsa mediocritate, genera hominum duo, & qui dicuntur modici, cum non satis pro dignitate, ac decore sese gerant, & qui faciendis sumptibus expleri nesciunt. Quorum nomẽ etsi hactenus non satis proprium habetur, appellari tamen eos uentosos à quibusdam animaduertimus, licet ijdem ipsi etiam in ijs, quæ magnificentiæ non sunt, profundendis pecunijs mirifice delectentur, modicitas autem ipsa, aut ab animo, qui in eis pusillus est, oritur, aut ab angustijs rei familiaris, & illius quidem uoluntas est in culpa, huius externa uis, & ea necessitas, quæ alumna est inopiæ. Quo fit ut pauper magnificus esse nequeat, sunt enim ipsæ diuitiæ instrumentum ad magnificentiam. At uentositas, & uitium illud non dũ suo nomine satis expressum inexplebilis profusionis in huiusmodi sumptibus, ab animo totum est. Ac tametsi facultates ipsæ defuturæ non sunt, quod difficillimum uidetur in tanta dissipatione, tamen quæ

laus eius esse potest, qui modum, ac mensuram sponte abijcit, qui nullum deniq; delectum habet? Est enim ut rerum cæterarum, sic sumptus ratio tenenda, & operum, ac munerum delectus habendus. Nam etsi magni sumptus magnificum decent, quando ijs sine, fieri magna nequeant, nihil tamen iure magnum in ijs, quæ ad laudem pertinent, dici potest, quod modo, ac mensura sua careat. Peccatur igitur hac in parte primum, quod nec modi, nec mensuræ ratio habeatur. Deinde quod pecuniæ ipsæ nec quibus in rebus oportet, nec honesti gratia effundantur. Quo fit, ut nullus omnino sumptibus ipsis delectus adhibeatur. Dij immortales quantam pecuniæ summam, quanta cum turpitudine Nero Domitius Augustus effudit, cum impurissimum illud spectaculum commentus lacum effodit, triremesq; deduxit, quas nudæ mulieres, nocturno tempore ad incensos cereos remis agerent. Quid spectaculo hoc impurius, aut sumptibus tantis perditius dicas? Atheniensem Demadem tradunt, mirificam pecuniæ uim in res turpissimas contulisse, cuius illa una profusio docere satis potest, quàm non solum immoderate, uerum etiam improbe pecunijs usus fuerit. Nam lege cautum Athenis cum esset, ne qui peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum multa indicta ei, qui ludos ederet. Demades ludis suis centum peregrinos, qui saltarent mercede conductos in theatrũ induxit, centies mille drachmis exsolutis. Quid hac profusione improbius? Nec mihi Alexander Macedo probandus omnino uidetur, cum Promachum bibacissimum hominem uictorem in uini certamine, talenti corona donauit. An cui quam uideri iure potest, dignum id pretium fuisse tam fœdæ uictoriæ? quanquam funebris illum pompa, in qua hæc gesta sunt, excusare aliquo fortasse modo potest. Varius Augustus, qui Heliogabalus agnominatus est, naueis onustas mergi in portum iussit, magni animi id esse dicens. Quo quid uanius dici possit, uix intellego. C. qui Tiberio Augusto successit, intra annum, opes illas immensas à Tiberio congestas, ac uicies septies millies sestertium absumpsit. Quid mirum? qui Liburnicarum nauium gemmatis puppibus, ac diuersicoloribus uelis uteretur, in quibus etiam Thermas, porticus, ac triclinia magna laxitate statuisset, uitibus etiam, ac pomiferis arbusculis dispositis, quarum umbra de die tectus, atq; inter choros, & cantus litora Campaniæ comessabundus discurreret. Idem in extruendis prætorijs, ac uillis nihil pensi habuit, excisæ rupes durissimi silicis. Montes alibi ad planum usque subuersi. alibi terræ aggestione campi montium iugis æquati. Moles iactæ profundo, & æstuoso mari. Atq;

hæc omnia tanta celeritate, ut capitale esset causam tarditati dedisse, deniq; ad ea efficienda intentissimus erat, quæ quidem fieri nequaquam posse ex aliorum iudicio intellegeret. His exemplis abūde manifestum fit, huiusmodi homines perdere pecuniam, & per infamiā dissipare, non ea magnifice uti, atq; id totum, quod agunt, ad turpissimam uoluptatem, ostentationem'q; referre, dum aut magni animi uideri uolunt, aut diuitias suas ostentant, non minus turpiter, quàm inaniter, à quibus quidem ipsis delectum nullum haberi, multa docent. Quippe cum in ijs, quæ aut parum honesta sunt, aut quæ publice priuatim'ue nullo modo conducunt, aut in quibus nihil ueræ laudis, nihil inest decori, effusissimi sunt, ac tametsi hæc ipsa fortasse insunt, tamen dum ostentare pecunias, & facultates suas uolunt, atq; ad sui admirationem trahere multitudinē student, alium quàm qui magnificentiæ esse debet, finem quærunt, & præter modum, ac decus plurima effundunt, cum ijdem ipsi, in quibus largos esse par esset, manum sæpe contrahant. Quid quod in paruis persæpe, & in quibus minime decet, supra q̄ par est, multa conferunt, in magnis autem, nunc nimij, nunc remissi admodum sunt, adeo nihil cum ratione agunt, nihil retinent pensi. His dictis ad magnificentiam redeamus.

Magnificentiam mediocritatem esse in magnis sumptibus faciendis.

Ea quoniam mediocritas quædam est, ut dixi, ac satis constat magnificum ipsum, ut pro decore, ac dignitate agat, magnum se & quidem in magnis sumptibus præbere debere, placet hac in parte, & hoc potissimum loco quærere, quo nam pacto, si magnum eum esse, & in magnis uersari sumptibus oportet, mediocritatem secuturus, ac retenturus sit, cum acuti quidam magis, quàm docti homines, nimis etiā superciliose contendant, mediocritatem, ac sumptuum magnitudinem nullo modo posse simul consistere. Mediocritatem nimirum à medio duci, nomen ipsum indicio est, qui enim in actionibus ita uersatur, ut neq; in hanc, neq; in illam partem à medio declinet, eum mediocritatem secutum dicimus. Quod si medium hinc, atq; illinc declinationem habet, necesse est, ut & ipsum latitudine contineatur. Ipsa autē latitudo cum de genere quantitatis sit, indicio est & medium ipsum generis esse eiusdem. Porrò magnum, & paruum ad idem genus referuntur. Quo fit ut cum medium, magnum'q; eodem contineantur genere, mediocritas, quæ à medio ducitur, ad quantitatem referen

da sit, ex quo plane` consequitur, ut in magnis etiam sumptibus sit medium inuenire, quod qui sequatur, ut mediocritatem idem ipse sequatur necesse est, nihil autem magnum, cuius non sit medium aliquod, neq; ulla sine medio magnitudo est. Ad haec si parum, ac nimium quae quantitatis quidem sunt, dicuntur ratione mensurae, omnis enim quantitas mensurabilis est, & magnum quoque cum mensura comprehendatur, dimensionem suam habebit. In omni autem dimensione est plus, ac minus inuenire, ergo & medium quod inter utrumq; constituitur, cum in neutram partem recedat, id'q; in magnis etiam impensis contingere necesse est. Quo'circa etiam in magnis sumptibus, in quibus magnificus uersatur, mediocritas sequenda est, quae ut caeterarum uirtutum, sic etiam magnificentiae moderatrix est.

Quibus in sumptibus magnificentia uersetur.

Cum autem magnos fieri sumptus pluribus in rebus contingat, uidendum relinquitur, quibus in rebus magnificus pecuniam suam impendat, quam non solum libenter ab eo impendi, uerum etiam singulari cum uoluptate, & studio uolumus, delectant enim pulchra & magnifica, quid autem pulchrius, ac delectabilius quàm magna facere? quae si delectant, cum summo etiam studio, ut fiant necessarium uidetur. Impenduntur autem pecuniae, ut dictum est, pluribus in rebus, ut in comparandis praedijs, quod est locupletis, & boni patrisfamilias, ut in coëmendis mercibus, quod est diuitis mercatoris, in quibus quidē plurimi, ac maximi fiunt sumptus, quod tamen magnifici non est, cum sint eius magna potius tum opera, tū dona, a` quibus magnificus dicitur, quamuis autem in magnificas operibus potius, ac libentius uersetur, tamen in magnis etiam conferēdis donis animi sui magnitudinem non minus saepe, quàm libenter ostendet. Erit igitur hic magnifici uiri campus, in quo et animi magnitudinem exercebit, et sumptus magnos illos quidem faciet, ac tum facere se, tum fecisse laetabitur.

Magnis sumptibus opera ipsa respondere debere.

Ipsa autem animi magnitudo, quam inesse magnifico dicimus, non solum in faciendo sumptu, uerum etiam in ipsis, quae fiunt, operibus perspicitur, quae magnitudinem ipsam ut testentur oportet. Quo'circa in primis uidendum est, ut ea sumptibus respondeant,

sintq; ut sumptus magni, & ipsa quidem magna, ac digna sumptibus iudicentur. Siquidem uanum esset, & multa reprehensione dignum id committere, ut quæ magnitudo in sumptibus perspecta est, ea in operibus, propter quæ tanti facti sumptus sunt, non solum non perspiciatur, uerum etiam ab omnibus desyderetur. Quin etiam id esse magnifici ingenium, ea uoluntas, & studium debet, ut dum operis dignitati consulat, sumptuum ipsorum obliuiscatur. Quippe qui id solum cogitet, qua ratione susceptum opus quampulcherrimum euadat, cum sit modici hominis pecuniæ in ijs parcere, ac computandi, & comparcendi ratio sit ab eo longe aliena, neq; enim aliter opera ipsa euasura sunt cum dignitate & decore. Quinetiam id studendum, ac præstandum est, ut illa uisentibus ac contemplantibus admirationem pariant, quod Virgilius quoq; uult ostendere, cum ait, minæq; Murorum ingentes, æquataq; machina cœlo.

In faciendis etiam sumptibus honestatem sequendam esse.

Sumptus autem ipsi suscipiendi sunt honesti gratia, quod ut uirtutibus cæteris, sic magnificentiæ propositum esse debet, secus enim ne opera quidem ipsa probari recte possunt, ut cum Alphonsus decreuit nouis, atq; amplis muris Neapolim cingere, clàm tamen id studeret, ut noua uectigalia ratione hac ciuibus imponeret, quæ res non nihil de illius beneuolentia, & gloria detraxit. Sed nec laudari quãuis honeste suscepta possunt opera, si quæ in ea conferuntur pecuniæ, per rapinas, ac ciuium iniuriam comparentur. Robertus princeps Salernitanus cum magnificam Neapoli domum ædificasset, ad cædendam, comportandamq; è Lucania materiam, auare, atq; impotenter popularibus suis usus dicitur. Contra Vrsus Nolanus ea iustitia usus est, ut ne lapis quidem unus in Nolanas illas ædeis à se incohatas nisi soluta mercede coniectus fuerit, tametsi Robertus famã quidem liberalis principis sibi uindicarat, Vrsus autem astrictior habebatur. Aedificasse egregias quasdam domos, & uillas Borsium Estensem de Ferrariensibus audio, quibus familiareis quosdam suos donauit. Quis hoc non laudet? donandi tamen atq; ædificandi causa, non caruit turpitudine, Siquidem conciliatos illos ei per florẽ ætatis satis constat.

In faciendis sumptibus sequendam esse utilitatem etiam publicam & ornatum retinendum.

Videre etiam oportet non modo ut honesti gratia sumptus suscipiantur, careantq; iniustitia, uerum ut in ea conferantur opera, quorũ usus tum utilis, ac necessarius uideatur, tum ratio cur suscepta fuerint, probari iure possit, profundere enim multam pecuniam, in quæ minime opus sit, quæq; nullius sint usus, hominis est inconsyderati, atq; ingenij parum compositi. Multa tamen à principibus ciuitatum, ac Regibus fiunt, non tam utilitatis, atq; commodorum gratia, q̃ ipsius ornatus, unde qui magnificentiæ student, aspectui plurimum consulunt, quamuis & opera quidem ipsa, quæ publicæ utilitatis suscepta sunt gratia, dum ea sint, quæ ad magnificentiã spectent, magnitudinem quoq; præseferre debeant, & speciem illam, quæ decorem, atq; ornatum referat. Tulere laudem Romanorum quidã principum è cloacis, quarum ut usus solus quæritur, sic nullus exigitur ornatus. Amplitudo tamen ipsa, & excursus spatiosus, firmaq; concameratio possunt authorem de magnificentia commendare, & quãquam cloacæ quidem ipsæ carent ornatu, non mediocri tamen ornamento sunt urbibus.

Quibus rebus comparetur dignitas.

Cum igitur magnificentia in sumptibus magnis illis quidẽ faciendis uersetur necesse est, hanc ipsam magnitudinem cum primis sumptuosam esse, etiam cum dignitate, sine qua nec admirationi esse, nec cõmendari recte potest. Dignitas autem ipsa rebus his præcipue comparatur, ornatu, amplitudine, materiæ præstantia, operis perennitate. Nam sine artificio, nihil neq; paruum, neq; magnum laudari recte potest. Quod enim caret ornatu, ac pusillum est, quodq; uili constat è materia, nullamq; perennitatem promittit, magnum profecto neq; esse potest, neq; haberi iure debet. Et in ornatu quidem cum hic maxime opus commendet, modum excessisse etiam laudabile est, cum uideamus naturam ipsam ornatui, ac pulchritudini mirum in modum studuisse, quod in amplitudine ubi ea exsuperantior fuerit, laudari non potest, cum detrahat operis dignitati, nec authorem operis minus, q̃ Architectum accuset, singulis enim in rebus modum, ac mensuram inesse par est. In materia quoq; multum est collocatum, quæ ubi uilior, ac minus spectata fuerit, detrahit authori, qua in parte mini

me decet. Siquidem in auaritiæ suspicionem eum adducit, quod eo est deterius, quod magnifici propriũ est non id uidere, aut curare quãti quid ueniat, aut qua uia pecuniæ parcatur, sed ut opus quampulcherrimum euadat. Robertus princeps Salernitanus non mediocriter accusatur, quod in ædibus Neapolitanis multa è lapide ignobili, quæ marmor requirerent, fieri passus sit, quod Antonellum filium eius accusantem non semel audiui, cum id se emendaturum diceret. Perennitati quoq; prospiciendũ quàm sit, docere illud potest, quod nominis, ac famæ perpetuitati generosissimus quisq; præcipue intentus est, cuius etiam cupiditas homini est insita, ad hæc ædificia præsertim publica, quo diuturniora sunt, eo maiorem laudem ædificanti afferunt. Quibus autem rebus perennitas ipsa aut constet, aut comparari possit, deq; his omnibus subtilius disserere, aliarum est facultatum, quarum tamen rerum magnificum ipsum, studiosum ac scientẽ esse oportet, quandoquidem turpe est ignorare quibus rebus ad id perueniendum sit, quod assequi summopere cupias. Et scire quidem, id quod artis proprium est, si est artifcis, quanto magis qui uirtutes sectatur, qui magnis rebus intentus est, rerum ipsarum habere cognitionem decet? nemo enim insciens agere recte potest. Nec siquid casu, aut temere recte successerit, ea laus agentis est. Quo'circa magnificum ipsum, & harum rerum studiosum esse decet, & in primis scire quid se dignum sit. Est autem Magnifico dignum non in paruis modicis'ue, sed in ijs, quæ & sint & uideantur magna cum dignitate sese gerere.

Rationem dignitatis in primis habendam esse.

Ipsa autem dignitas, de qua nunc agimus, nec uno modo consyderanda est, & pluribus simul rebus comparatur. Nam & authoris personæ ratio habenda est, ac uidendæ facultates, ne ridiculus fiat, si aut sui, maiorumq; obliuiscatur, aut operi incepto facultates maximæ impares sint. Decent enim Reges regia, & magnos sumptus facere eius est, cui pecuniæ affatim suppetant. Secus autem agere quid est aliud quàm à recta ratione longius deflectere? Belflorius Siculus homo non indoctus, ingenio tamen non satis constanti, cum non malam pecuniæ summam sibi comparasset, senex iam magnificam Catinæ domum incohauit, in cuius iaciendis fundamentis omnem illam summam absumpsit, qua absumpta cum ab incepto destitisset, accusareturq; à familiari quodam suo, quod tantam molem, quæ regias

facultates exigeret uir priuatus & haud magna cum re aggressus
» esset At, inquit, hoc ipsum ago, ut ubi è uita excesserim, magnum
» quendam me fuisse uirum his è fundamentis posteri suspicentur. Va
num sane ac ridiculum propositum. Videndum est igitur, ut sumptus
pro facultatibus fiant, & opus ipsum authorem deceat. Licinius ille
tonsor quamuis ditissimus effectus esset, sepulchrumq́; eius facultati
bus respõderet, ætas tamen illa nihil indignius iudicauit, quàm igno
bilissimum hominem iacere tam regie, unde rei ob indignitatem
poëta ille,

» Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
» Pompeius nullo. credimus esse deos?

Et hæc quidem retinendæ dignitatis, quam quibusdam placet ap-
pellare decentiam, consyderatio prima est. Habenda est etiam operũ
ratio, ut digna ipsa sint. Ac mihi quidem dignitas operũ uidetur du
plici modo quærenda esse, Altero si quæ opera digna factu, ac susce=
ptu sunt, facienda suscipiantur, altero si ubi digna ipsa uisa fuerint,
accedat dignitas illa, quam ex amplitudine, materiæ præstantia, or-
natu, perennitate, artificioq́; comparari, atq; accedere operibus ipsis
diximus. Locus etiam ipse ubi quid ædificetur, & tempora ædifican
di consyderanda sunt. Nam & loca, & tempora dignitatem affe-
runt, si eorum ratio habeatur, contra indignitatem ac recte sentien
tium hominum accusationem pariunt si neglegatur. Athenis in ar=
ce, Romæ in Capitolio, Athenienses Palladi, Romanus Rex templa
Ioui posuit, magna cum dignitate locorum ipsorum. Annibale rem
Romanam uexante quid fieri potuisset indignius, quàm ædificandi
in urbe Theatri, aut sternendarum per Italiam uiarum curam su-
scipere? quæ quidem non calamitosorum, sed felicium sunt tempo-
rum. Siquidem in publico luctu iustitium indicitur, non exornatur
scæna. Videndum etiam non solum ut habeatur ratio facultatum in
suscipiendis operibus, uerum ut sumptus ipsi, ut quidem fuerint, sic eti
am appareant magni, intelleganturq́;, ut dictum est, cum uoluptate fie
ri, & quidem tanta, quæ dum operi intendit, dũ pulchritudini, atq;
ornatui prospicit, indicet despicientiam quasi quandam pecuniarum
effundendarum. Tradunt Cosimum Florentinum sæpius ad se uoca=
re consuesse fabros operarios, architectos, eosq; blande, ac comiter allo
qui, atq; hortari solitum non solum ut probe, uerum ut propere ope=
ram nauarent. quid cessarent ac si pecuniæ uellent suæ parcere? Ex
his potissimum rebus, atq; in his quærenda, ac consyderanda mihi di
gnitas uidetur, & quæ à nonnullis, ut dixi, decentia uocatur. Vt au

tem hæc ipſa pariunt dignitatem, ſic dignitas undiq; ſibi conſtans ad miratonem. Magni enim ſumptus, & opera ipſa magna, eademq; ex egregia & peregrina materia, artificioſe, uarie, ac decenter ornata, locis editis imminentia, firmiter, & ad perpetuitatem poſita, non ipſa modo cenſentur admirabilia, uerum authores ipſos admirabiles faciunt, quos æque genus omne hominum laudibus etiam mirificis proſequatur. Quid quod ædificia ipſa ubi eiuſmodi fuerint remotiſſimus è terris homines ad ſui ſpectaculum atq; admiratione͂ trahunt, ac tum poëtas tum rerum ſcriptores ad ſui commendationem inuitant.

Quæ ſint magnifici uiri opera.

Quæ autem opera magnificorum ſint propria, diſtinctius dicēda ſunt, quorum alia publica ſunt, alia priuata, publica ut porticus, templa, moles in mare iactæ, uiæ ſtratæ, theatra, pontes & eiuſmodi alia, priuata ut ædes magnificæ, ut uillæ ſumptuoſæ, turres, ſepulchra. Quo fit, ut qui magnifici ſunt, in illis præcipue uerſentur operibus, quæ diutius ſint permanſura. Quo enim diuturniora, eo præclariora ſunt, & eorum quidem uſus quo diuturnior, eo magis & opera, & authores ipſos commendat. Non ſatis habuit Cæſar exſiccare Pontinam paludem, qua è re mirum in modum uicinis populis conſuluit, ſed per mediam illam ſtrauit uiam pontibus plurimis erectis, quo iter in urbem & breuius eſſet, & commodius. Quorū ueſtigia cum hodie quoq; ſingulari cum magnificentia pluribus in locis exſtent, ipſa etiam ruina admirationi uidentibus, atq; contemplantibus ſunt. Imperator Claudius triginta hominum millia undecim annis in opere continuo habuit, dum Fucinum lacum emittere ſtudet, qui finitimos agros ſæpenumero inundabat. Manent nūc quoq; ueſtigia, & beneficium multis etiam ſeculis permanebit. Quid admirabilius inter Vrbis Romæ monimenta, quàm tot aquarum ductus, quorum altitudo quibuſdam in locis pedum centum nouem fuiſſe traditur. Proditum eſt memoriæ Conſtantinum Auguſtum quo moles illa Byzantina diuturnior futura eſſet, è litore Baiano, Puteolanum puluerem nauibus comportandum curaſſe, ut eo calci immiſto ſtructura eſſet ſolidior, adeo pecuniæ nō pepercit. Apulia, Samnium, Campania, teſtatur magnificentiſſimos Neruæ, ac Traiani ſumptus in uijs ſternendis, in pontibus faciendis, ſingulis paſſuū millibus columna erecta, qua paſſuum numerus notabatur. Memoria mea multis in locis inter Baianas, atq; Puteolanas ruinas fiſtulæ plumbeæ miræ

crassitudinis

crassitudinis inuentæ sunt, in quibus Claudij Augusti nomen scriptũ erat. Vestigia enim ipsa lateritiæ substructionis, in Sarnensibus Nolanis, atq; Acerranis finibus, ac tum subterranei specus, tum montes pluribus locis perforati ostendunt à quadraginta millibus passuum continuatum & quidem amplissimum aquarum ductum, qui Neapolim primo, deinde Puteolos, Baias, Cumas, & sparsa per litus ædificia deriuatus est. Quid thermas referã à Romanis principibus ædificatas Romæ, aut in Baianis, Cumanisq; litoribus? quid portus manufactos ut Hostiensem, atq; Pirgensem. Quid molem illam Iuliam Lucrinũ ad lacum? Et, ut inqt Virgilius, Tot munita manu præruptis oppida saxis. Annibal murorũ magnitudine deterritus, mutauit consilium obsidendæ Neapolis. Nam Babylonis muri inter illa orbis spectacula referuntur. Refertur ad Marcum Cocceium (nesciam an is fuerit Marcus Cocceius Neruæ Augusti auus, qui Romæ aquarum curã habuit, tulitq; maximam Architecturæ laudem) refertur inquam ad hunc siue ad alium Cocceium, crypta Neapolitana, sic enim ab accolis uocatur, mirum quidem opus, & iter facientibus commodum. Exstat altera etiam crypta, quæ Seiani dicitur, qua parte Pausilypus mons in mare protenditur, cuius transitus ob ruinas impeditus est. In agro Cumano & secundum Auernum lacum, simili opere duobus in locis nobilissimæ exstant cryptæ, quas uetustas magna ex parte confecit. Quæ quidem mirum artificium, ingentes sumptus, magnum publici boni studium præseferunt. Inuenio apud bonos authores Carolum Gallorum Regem cognomento magnum, Rheni ad Maguntiam ripas ponte iunxisse, qua parte quingentos passus fluminis latitudo patet. Ad urbis magnificentiam & ciuium, ac etiam peregrinorum usum plurimum contulere tot porticus tum à priuatis ciuibus, tum à principibus factæ. Nec in urbe solum Roma, sed in diuersis Italiæ locis amphitheatra exstant, quamuis maiori è parte diruta, quibus ædificandis nullos ætatis nostræ Reges satis esse dicas Ruinæ Baiani, ac Puteolani litoris deterrere ab ædificando locupletissimos quosq; possunt. Aetate nostra Cosimus Florentinus imitatus est priscam magnificentiam, tum in condendis templis ac uillis, tum in bibliothecis faciendis, nec solum imitatus, sed, ut mihi uidetur, is primus reuocauit morem conuertendi priuatas diuitias ad publicum bonum atq; ad patriæ ornamentum, quem non pauci, quanquam minore in re constituti imitari student. Sumptuosissimus fuit in cogendis libris Ptolemæus, statuendáq; Alexandrina bibliotheca. Tulit Lucullus inter alias splendoris, ac ma-

gnificentiæ laudes hanc quoq; comparata numerosa, & ornata bibliotheca, quæ cunctis pateret, statutis etiam porticibus ad deambulandum. Parum contentus Augustus templum illud nobilissimum Apollinis in palatio ædificasse, et forũ cũ æde Martis ultoris, ædẽq; tonantis Iouis in Capitolio, ac porticum cum latina, græcáq; bibliotheca, multa etiam de sua pecunia alieno sub nomine ædificanda curauit, ut porticum, basilicámq; sub Lucij, & Caij nomine Item Liuiæ, & Octauiæ, ac theatrum Marcelli. Quin etiam ad coërcendas Tyberis inundationes, eius alueũ non solũ repurgauit, sed ripas quoq;, quo liberior cursus esset, laxauit. Viã item flamniã Ariminũ usq; muniuit. Ad hæc ædeis sacras uetustate collapsas aut incendijs absumptas restituit, restitutasq; opulẽtissimis donis ornauit, siqdẽ, ut Suetonius refert, in Capitolini Iouis cællam, sedecim millia pondo auri, gemmasq; ac margaritas quingenties HS una donatione contulerit. Quin etiam principes tunc ciuitatis ad magnificentiam hortatus est, in ijs Marcum Agrippam, à quo conditum Romæ templum etiam nunc integrũ exstat. Hæc sunt publicorum monimentorum exempla, in quæ uidetur magnificentia exercenda. Reliquum est, ut aliquid etiam de priuatis dicamus. Nam etsi magnificentia in publicis maxime operibus enitescit, tamen tum urbanas ædes, tum uillas magnificæ, ac pro dignitate structas, exornatasq; habere magnificum uolumus, quæ & urbi sunt ornamento, & domino pariunt authoritatem, ad hæc qui diuitijs affluat, qui sit è principibus ciuitatis, huic sordida, & angusta domus dehonestamento est, uidetur enim indicium esse tum auari, tum abiecti animi, parcius tamen propter hunc ipsum Augustum loquimur, quem modicis habitasse ædibus constat grauatum ampla, & operosa prætoria, quippe quem Suetonius referat diruisse ad solum ea, quæ à Iulia nepte profusius exstructa essent. Contra Iulius Cæsar, uillam à se magnis sumptibus in Nemorensi ædificatam atq; absolutam, dirui iussit, quod animo suo non plene satisfaceret. Refert Cicero multum contulisse authoritatis, & gratiæ inter ciueis C. Octauio quod domum magnificam ædificasset. Ad Cosmi authoritatem addidere plurimum tum uillæ diuersis in locis ab ipso ædificatæ singulari cum magnificentia, tum domus, in qua condenda per uetustum atq; obliteratum iam structuræ morem modumq; reuocauit, qui mihi id uidetur egisse, ut discerent posteri, qua uia ædificarent. Nero Augustus in ijs omnibus fortasse etiã nimius fuit, cuius magnitudo, tantumq; magnificentiæ studium accusandum non est, illud desyderãdum potius, ut modum in ijs retinuis

ſet. C. Mecœnas tum in alijs multis tulit magnificentiæ laudem, tum in turri illa editiſſima, quæ à poſteris Mecœnatiana dicta eſt. Peruſiæ, Senis, & in alijs quibuſdam Italiæ urbibus, quæ hodie etiam manent, editiſſimæ turres præſeferre uidẽtur laudi fuiſſe datum egregijs ciuibus quadratam turrim erexiſſe, qua in re uidentur mihi de altitudine potiſſimum, inter ſe contendiſſe. Sepulchra iter priuata numeramus opera, quod ea aut unius ſunt, aut ſingularum familiarũ, mirum tamen in modum ad urbium ornatum conferunt, quæ maiores noſtri ſacra eſſe uoluere, ea mirificam quandam uim habent excitandi ad uirtutem & gloriam, præſertim ubi benemeritis poſita ſunt, tantum tamen potuit iniquitas temporum, & hominum ipſorum ignauia, atq; improbitas, ut in eorũ ruinas ætas ſuperior, tanquam inſtructo milite, ac tormentis erectis irruerit, adeo per totum Italiam paſſim diruta & proſtrata iacent, in quibus quidem ſtatuendis uidendum eſt, ea ut ratio habeatur, qua famæ tum eius, cui ſtatuitur, tum eius, qui ſtatuit, recte conſulatur. Mauſolei, ac Pyramidum fama niſi cum ipſis literis non extinguetur. Mos fuit et quidẽ probatiſſimus exſtruendorum ſiue trophæorum, ſiue arcuum, qui hodiæ triumphales dicuntur, quippe qui eſſent rerum geſtarum monimenta, in quibus quanta magnificentia maiores noſtri uſi fuerint, arcus ipſi docent. Quid admirabilius marmoreis illis columnis, quæ duæ Romæ ſunt reliquæ, quæ mihi quidẽ tum ob altitudinem, tum ob ſcalpturæ elegantiam, ac uarietatem, & ob ipſam in primis raritatem, uidentur non urbi ſolum, ſed orbi ipſi ornamento eſſe poſſe.

Enumeratio quorundam magnificorum.

Quamuis autem in his explicandis paulo fuerimus longiores, placet tamen, quoniam de ijs operibus, quæ magnificorum ſunt, diſſeruimus, quoſdam etiam ex ipſorum magnificorum numero referre, ne ſuis eos laudibus omnino defraudaſſe uideamur. Pompeius omnes ſui temporis hoc genere laudis ſuperauit, ſtructa porticu nobiliſſima, theatroq; magnificentiſſimo. Auguſtus Cæſar condendis, aut inſtaurandis templis, exornanda urbe omni genere magnificentiæ, adeo excelluit, ut iure gloriatus fuerit, Vrbem ſe marmoream relicturum, quam lateritiam accepiſſet. Claudius Cæſar ducenda in Vrbẽ aqua, quæ ab eo Claudia dicta eſt, multiſq; alijs operibus claruit. Nero Cæſar etiã nimius in toto hoc genere fuit. Domitianus uidetur cum ſuperioribus Auguſtis uoluiſſe de magnificentia certare. Traianus ut in

nullo genere laudis, sic in hoc passus non est, se ab alijs superari, nisi Adrianus filius, et patrem, & omnes, q unq̃ fuere longissime antecessisset, cuius operibus cum orbis terrarum magnificatus, atq; illustratus esset, ipse in uno tantum Traiani patris templo nomen suum inscribi uoluit, nec uero minor fuit Adrianus instaurandis ueterum ædificijs, quàm nouis à se construendis. Quod exẽplum secutus est etiam Seuerus Augustus, qui omneis ædeis publicas, quæ uitio temporum labebantur, instaurauit. Inter Græcos autem maximam uidetur laudem tulisse Atheniensis Nicias. Nam in Pericle non paruum fuisse magnificentiæ studium significare hoc potest, quod uocatus à populo in iudicium ob plurimos ædificiorum sumptus, sint, inquit, mihi ipsi, non populo Atheniensi, tanti sumptus facti, meumq; operibus ipsis nomen inscribam. Artemisia mulierum omnium magnificentissima merito dici posset, ni forte laudem hanc inuidere ei uelit Semiramus Assyriorum Regina. Aegyptiorum atq; Assyriorum Regum magnificentiam testantur Pyramides. È posterioribus Augustis, Probus Imperator mirum in modum laudatus est, quod diuersis in locis, pontes, templa, porticus regias construxerit, multorum fluminum hostia patefecerit, paludes'q; exiccauerit. Quin etiam in sepeliendo Aradione, quem singulari certamine uicerat, animi magnitudinem testatus est, structo sepulchro, cuius latitudo trecentorum esset pedum. Diocletiani etiam non pauca exstant Romæ, atq; in Delmatia monimenta. Theodosius quoq; inter magnificos principes iure collocandus est, tametsi capta nuper Cõstantinopoli, multa eius monimenta Turcarũ imanitas diruit. Fridericus Siculus, arces, templa, Regias etiam plurimas magnificentissime à se factas reliquit in Apulia, Calabria, atq; Sicilia. Paulus secundus Pontifex Romanus splendorem quidem maximum, atq; elegantiam pluribus in rebus declarauit, ne ædificandi magnificentiam relinquere testatam posset, immatura mors effecit. Fuit etiam Nicolaus Quintus magnus & sumptuosus in paranda bibliotheca, quam successor eius Calistus paucis diebus dissipauit. De quo Dominicus Capranicus, sacerdos Cardinalis, cum intellexisset eum põtificem creatum à collegio Cardinalium, quod eius degenerantem cognouisset animum, quam fatue inquit, fatui, fatuum creauere. Xystus pontifex, qui Paulo successit, põtem, qui ab eo dictus est, fecit, uias urbis magna è parte strauit, templa quædam noua ædificauit, uetera instaurauit, nullis'q; in exornanda urbe sumptibus pepercit.

Quæ consyderanda sint uiro magnifico.

Ne autem in ijs præstandis, atq; efficiendis aliqua sibi è parte magnificus desit, siue in magnitudine præseferenda, siue in dignitate retinẽda, admirationeq; comparãda, metiri eum et minutatim, ut dicunt, expẽdere oportet, quid dijs, quid etiam hominibus debeatur. Ad hæc aliã templorum, aliam porticuum rationem esse maiores nostri in ponendis statuis, quarum alias equestreis, alias togatas ponebant, alias alio habitu declarauere, qui etiã delectus hominum ipsorũ, et rerum gestarum in ijs sit habendus. Videndum etiam quæ sit ciuiũ aut omnium, aut compluriuum opinio, atq; sententia, quid publice probetur. Quæ sit etiam exspectatio, ne aut famam parum curasse uideamur, aut hominum de nobis opinionem, quod temerarij, ac parũ pudentis est. Quo fit ut idem hic & magnos & decenteis sumptus, etiam in ijs, quæ ad ritus, mores, publicaq; instituta pertinent, facere debeat. quæ pars à magnifico non modo neglegenda non est, uerum etiam diligentissime curanda. Quid enim decentius q̃ cum dijs immortalibus magnifice agere? In toto hoc genere ueteres tum Romani tum Græci mirum in modum claruere, Quod ostenderunt tot, tantaq; munera Delphos ad Apollinem missa, tot ludi non solum religiose uoti, uerum magnificentissime editi. septem illi publicas epulis præfecti, quid nisi summum magnificentiæ studium hac in parte ostendendæ declarauerunt? Quid magistratus illi, quorum pene omnis erat cura publice edendorum munerum? Suis temporibus Rex Alphonsus uicit omnes ætatis illius reges tum in ijs comparandis, atq; exhibendis, quæ ad sacrificiorum apparatum & sacerdotum spectarent ornatum, tum in deorum, ac dearum statuis quas plurimas, & in ijs duodecim apostolorum ex argento conflatas habuit, nihil ætas illa aut sacris solennibus, aut publicis ludis ab eo editis uidit magnificentius.

De ludis publicis.

Quoniam autem in ludorũ mentionem incidimus, ne hæc quidem pars silentio à nobis prætereunda est. Ludi ipsi, alij qdẽ pietatis gratia suscipiũtur, ut quos Romani uouebant COSS. ut seculares ut q hodie in sacris solẽnibus Ioannis Baptistæ Florẽtiæ celebrantur. Romæ itẽ, ac Neapoli & in plerisq; Italiæ urbibus in honorẽ diuinæ eucharistiæ. Alij in publicam fiunt ciuiũ gratiã, ut equestres, ac scenici, qui

bus uoluptas spectantium proposita est, unde spectacula sunt dicta. Horum etiam è genere sunt uenationes, quæ in arena exhibebātur, & naumachiæ, in quibus omnibus, quod olim Romanorum studiū, quæ sumptuum magnitudo fuerit, ex ijs, quæ subijciam exemplis facile intellegetur. Pompeius in spectaculis illis celeberrimis uenationem etiam exhibuit, ducti in arenam Elephanti, horrendum sane spectaculum, ac leones, quorum magnus numerus cæsus. Adrianus mille Athenis feras in stadio, mille item natali suo, & gladiatorium munus per sex dies Gordianum seniorem tanta magnificentia fuisse comperio, ut eodē tempore eijsdem etiam diebus in omnibus Hetruriæ, Campaniæ atq; Vmbriæ urbibus, Scenicos, ac Iuuenales ludos quatriduo dederit. Quid dici aut excogitari in hoc genere magnificentius potest? Iulius Cæsar edidit spectacula uarij generis, munus etiam gladiatorium, ac ludos per singulas etiam urbis regiones, omnium linguarum Histrionibus adhibitis, Circenses uenationes dierum, quinq; naumachiā quoq; effosso lacu, in quem deductis triremibus, ac quadriremibus, pugnatū est, tanto hominum ad spectandū confluxu, ut ꝙ tecta eos non caperent, sub tabernaculis agerent.

De donatiuis, de congiarijs, ac etiam de funeribus.

Quibus è rebus quoniam id efficitur, ut qui magnifici esse uolunt, nihil prætermittere, aut neglegere eorum debeant, quæ populo placere, et quibus spectandis delectari ciues senserint, non erit alienum de triumphis, de nuptijs, de funeribus, de congiarijs, donatiuisq; aliquid dicere, exemplis propositis, quibus quid in ijs deceat, intellegi clarius possit. Congiarium populo, donatiuum militi à principibus dabatur, ut & magnificentiam suam testarentur, & illorū sibi animos ratione hac conciliarent. Aurelianus Augustus, cuius illud dictum puulgatum est populo Romano saturo nihil esse lætius, ter populo congiarium dedit, ad oleum, ac panem, addidit etiam porcinam, & tunicas albas manicatas, item alteras tunicas ex Afro, atq; Aegyptio lino, ad hæc oraria, quibus populus uteretur ad fauorem. Alexander Seuerus ter militibus donatiuum dedit, item populo congiarium, in quo carnem quoq; distribuit uix antea præberi solitā. Cæsar non semel aut plebi epulum ac frumentum, aut militibus donatiuum. Rex Alexander nouem millibus Macedonum ad conuiuiū uocatis, singulos aurea phiala donauit. Sed ueniamus ad funera. Inter præclara ueterum instituta illud in primis commendatione dignum, quod

quorum uitæ fuisset perspectior, eorum funera tum è priuata, tum è publica pecunia magnificentius prosequebantur, ludis etiam editis, qui funebres sunt dicti. Adrianus in iis spectaculis, quæ in honorem Traiani patris edidit, balsama, & crocum per theatri gradus diffundi iussit, in honorem etiam socrus aromatica populo dedit. Senatus, eques, populus, miles, nihil omisit, quod præstari posse L. Sullæ fu neri uideretur. Apparuit non minus studium, pompa etiam maior fuit. In Iulij atq; Octauij funere. Sed in toto hoc genere illud mihi q̃ optime institutum uidetur, quod eloquentes uiri adhiberentur, qui mortuorum laudes, benefactáq; maiorum, oratione sua prosequerentur, dignum sanè testimonium uirtutis, & ad benemerendum de hominum genere non paruum incitamentum. Omnis autem funebris honor ad uiuẽtes pertinet, q̃d enim aut nihil sentiẽti conferat, aut nullo modo curãti res humanas siue cum Dijs ipsis trãquillitate perfruatur, siue contra crucietur apud inferos. Maiorum enim laus hæreditarium bonum est, quippe cum liberi nepotésq; ab illorum meritis commendari soleant. Itaq; iam inde Athiniense à Cecrope institutũ fuit, uti de mortui laude in funere prædicaretur inter propinquos. Ad hæc posterorum gratitudo celebrandis maiorum funeribus non parum agnoscitur. Quid? quod tum his ipsis posteris, tum ciuibus alijs stimulus admouetur quasi quidã ad benemerẽdũ de suis etiã minoribus. Quin etiã ꝑ iniustũ uideretur aduersus mortuos ingrate agere, q̃ priuatim, et publice plurima perpessi essent inuita acerba, & grauia, longéq; plurima, eaq; etiam maxima dedissent beneficia, exequias ipsas, quæq; inferiæ dictæ sunt, iusta uocauere. Digna sanè appellatio, res aũt ipsa dignior, populíq; bene cõstituti maxime propria. Quid eni ciuibus ipsis aut utilius aut decẽtius q̃ in qua urbe suus est uirtuti locus, eos, q̃ genuerit, aluerint, ĩstruxerit ut optĩe meritos honoribus suis proseq, aliósq; è posteritate etiã ipsa, uniuersáq; ciuitate, de ipso deniq; hoĩum genere ad hoc ipsum ĩuitare? Hæc eadẽ ratio bñmeritis ciuibus et uiuis, et mortuis statuas erexit, ac sepulchra. Siqdẽ in bene constitutis urbibus publice, priuatimq; imaginũ, ac sepulchrorũ maximam curã cunctis seculis uideo fuisse habitam. Sed redeamus ad funera. Annibal quanq̃ barbarus atq; immanis Romanos à militibus suis belli iure cæsos, honore tamen sepulturæ, atq; exequiarũ uacuos esse noluit, ẽt in medio belli ipsius æstu. Probus Augustus, Arradionẽ, quẽ singulari certamine, ut iã dixi, pugnãs cõfecerat, magnificentissimo etiã sepulchro honestauit. His exemplis, quibus res suppetit tanto ipsi uehementius excitari debent, tum ad funera magnifi-

Iusta unde

ce edenda, tum ad extruenda ſepulchra, ponendaſq́; imagines. An poëtæ quoq;, non ipſi in commendationem uirtutis, atq; illuſtrium ui rorum teſtantur carminibus, & ludos editos in Heroum funeribus, & conuiuia etiã habita? Eoq; ab Heroicis illis temporibus manaſſe arbitror, quod hodie quoq; compluribus in Italiæ oppidis ſeruatur, uti illis ipſis funerum diebus propinqui comparatis epulis in mor- tui ædes conueniant ad diſcumbendum, nequo genere honoris fu= nus ipſum defraudetur, quod ipſum ad eundem etiam Cecropem re= fertur, humato corpore, ac poſt obductam terram, poſtq́; ſatas illic fruges, epulæ ut ſequerentur, quas inirent, ut Cicero refert, propinq coronati. Alibi ab iiſdẽ propinquis epulæ opiparæ, concinnatæq́; tan tum mittuntur, quibus familia ipſa, quæ funeſta eſt, ueſcatur, ac dolo rẽ ſedet. Humanũ ſane conſolationis genus. Ferdinãdus Rex Neapo litanorũ, non Iſabellæ ſolum uxoris, aut Helionoræ filiæ, atq; Hip polytæ nurus funera ſingulari pompa edidit, uerum & Franciſci, et Blancæ Mediolanenſiũ Ducibus, Hippolytæ ipſius parẽtibus, ac Ioã ni Aragoniæ Regi patruo, Matthiæ Hũgariæ Regi genero, Friderico quoq; imperatori, qui diuerſis ac longinqs in locis e uita migrarãt, exequias rara quadã magnificentia, ſplendoreq́; pſoluit. In hunc autem ipſum Ferdinandum Alphonſus filius difficile explicatu eſt, q̃ fuerit etiã effuſus cum ſupra decem ac ſeptem aureorũ millia in illius funus effuderit. Quo in genere laudis Chriſtiani maxime excellũt, qui quotannis bene de religione meritorũ hominum funebreis dies religioſiſſime colunt, memoriæq́; eorũ diuinam rẽ faciunt, aris etiã ac tẽplis dicatis, addita quoq; ludorũ editione, ac uacatiõe operũ. To to tamẽ hoc in genere honoris, ac gratitudinis illud diligenter uidẽ= dũ eſt, ne obliti generis, atq; ordinis uideamur, tametſi aliquãtulum in hoc exceſſiſſe pietati fortaſſe concedendũ uideatur, eiuſq́;, cui funus fit, memoriæ, quãdo ratione alia meritis illius gratia referri nequeat. Iã uero imagines, ac magnificũ ipſum ſepeliẽdi genus, qd aliud q̃ publicũ ſunt, ac perenne teſtimoniũ uirtutum, recteq́; factorũ eius, q exceſſit e uita? gratitudinisq́; eorũ ipſorũ, qui ſtatuas poſuere, aut ſta tuere ſepulchra? maximo cum excitamento uiuẽtium ad uirtutem, et gloriam, eiuſmodiq́; ad honores in uita, obituq́; adipiſcendos. Geor gius Trapezuntius, rerũ uetuſtarũ uir abũde ſtudioſus, audientibus nobis adoleſcentes cum eſſemus non ſemel retulit legiſſe ſe apud bo= num authorem, Tomitanos ciueis, Ouidio poëtæ, qui apud eos diem obiiſſet, collata e publico pecunia propter ingenij nobilitatẽ, tymbon, (græco enim uerbo utebatur) magnifice ſtruxiſſe ante oppidi portam

in loco maxime celebri, quamuis Ouidius & peregrinus eſſet, & ab Imperatore Romano proſcriptus. Conſtat etiã Theodoricum Regem quanquã barbarũ, Romaniq; euerſorẽ imperij, ac Rauennæ conſtituentem regni ſui ſedẽ, Auguſti tamen ſepulchrũ Romæ inſtaurandũ curaſſe. Quid? quod uetuſtiſſimus mos fuit in honorẽ amici, ac benemeriti cuiuſpiã uiri ſepulchrum ei ſtatuere, non quod conditi illic eius eſſent cineres, atq; oſſa, ſed memoriæ tantum id tributum, illuſtrandiq; nominis eius gratia. Qua è re contigit eiuſdẽ perſæpe uiri, diuerſis locis plura etiam ſepulchra inueniri. Verũ hac in parte quocunq; tete uerteris, tum priuata, tum publica ꝑmulta ſeſe tibi exẽpla offerent, quamobrem ad ea, quæ dicenda reſtant, tranſeamus.

De nuptijs.

Ac ne partem eam, quæ ad nuptias ꝑtinet, intactam præterijſſe uideamur, ſiqua in re homines rationem ſecuti ſunt, ut à beſtiis plurimũ differrent, in primis mihi uidentur in quærẽda prolis ſocia, eã ſecuti, qua in re palàm oſtenderunt quãtum ipſis à natura ineſſet pudoris ſtudium, quãtum etiã temperantiæ, atq; prudẽtiæ. Nã ne promiſcue, ut illæ coirent hac primum uia cauere, deinde, quæ cuiuſq; proles eſſet, hac potiſſimum ratione ſcire ſe poſſe arbitrati ſunt. Quo circa ſtatuere certas nuptias, quibus & naturæ in quærenda prole honeſte ſatisfieret, & ciuitates firmius conſtituerentur, dũ familiæ, cognationesq; tota deniq; ciuitas eiuſmodi uinculis una obſtringitur. Iure igitur nuptiæ et à principibus et à priuatis hominibus tam antiquis, q̃ noſtris tẽporibus magno in honore ſunt habitæ, iure in illis celebrandis ſingularis quidã ſplendor, et magnificentia adhibenda. Declarauit hoc annis ſuperioribus Neapolitanorũ Rex Ferdinandus in Hippolytæ Mariæ nurus, et Alphonſi filij nuptijs, qui principes, ac populos Italiæ omnes ad eas inuitauit, miſſi ab ijs oratores, ſingulari comitate accepti. Ludi pluribus diebus editi, orcheſtris, ac gradibus ad ſpectandũ magnis ſumptibus diſpoſitis, ijsq; partim purpura, ac ſerico, partim uariato pãno intectis, equeſtres concurſiones magno apparatu hominũ, atq; equorũ factæ. Epulæ lautiſſimæ, ac largiſſimæ præbitæ, ꝗbus tamẽ quãuis nihil defuiſſe uideretur, longe tamen ſpectatiores fuere nuptiæ, quas Alphonſus pater fecit collocata Helionora nepte Friderico Tertio Germanorũ Imperatori, in ꝗbus Imperator ipſe cum oĩ ferè Germaniæ nobilitate affuit, cõpluribus item Hiſpaniæ principibus, ꝗ Helionorã ex Hiſpania deduxerũt. His in nuptijs, ut alia taceã, uenatio exhibita eſt, quatuor millibus paſſuum à Neapoli, qui locus à Regibus uenationi ſtatutus eſt. Fixa tentoria in

campis secundum Anguianã paludē, fontes è uario uini genere passim ad litus facti, mensæ apparatæ, in q̄bus supra triginta hominũ millia discubuere. Huc accedit, q̄d qui spectandi gratia conuenerãt, plurimi mortales, onerati esculentis plurimorũ dierũ domũ rediere. Nesciã an sol in hoc magnificentiæ genere quicquã uiderit magnificentius. Sed Reges omittamus, quis est è media plebe homuncio, qui non aliquo apparatu nuptias celebret? Quo magis uidere oportet eum, cui facultates suppetunt, non solum nequo modo sordidum, uerum, ut q̄ potest magnificũ sese in illis agat. Decet tamē in primis esse sui ipsius memorē, accusatus est enim Atheniensis Demades, quãquam ditissimus, quod in filij nuptijs regiũ magis, q̄ honesto ciue dignum splendorem adhibuerit.

De triumphis.

Triumphandi autem ratio tota uidetur hinc suscepta, quod uirtuti priuati ciuis honos publice referendus esset, alijq; exemplo ipso incendēdi ad uirtutem, ac gloriã. Traiano etiã post mortem, debitus illi triumphus est redditus. Quo circa triũphalibus in pompis, quo uictoris species illustrior appareret, pmissæ sunt triũphanti habenæ, quo apparatus ipse esset q̄ magnificentissimus, & q̄dem iure, ut in publica lætitia, ut in incolumitate exercitus, ut hoste capto, ac cæso, et uictoria per uirtutē parta. Quin etiam permissi ioci liberiores, adeo in ijs pompis lætitiæ publicæ indulgebatur. Quæ autē in bello, atq; in grauissimis periculis magnitudo animi retenta est, eã in huiusmodi pompa non retinere, patiq; ab auaritia uinci, an est aliud, q̄ dedecorare uictoriã et altitudinē illam animi comparcendo deijcere? Fuit in triũphis suis magnificus Põpeius, non minore magnificentia usus est Cæsar, ne autem seriē triũphantiũ exseq uelle uidear, placet unius Aureliani triũphũ referre, Odenato, atq; Zenobia, q sibi Aegyptũ occupauerãt, superatis, & item Tetrico, qui Gallias. Ascendit igitur Capitolium curribus tribus, argento, atq; auro, gēmis item plurimis distinctis, luxu quidem regio, quorum alter ipsius Odenati fuerat. Alterum sibi Zenobia parauerat, eo urbem ingressura, quod sibi per insolētiã promiserat. Tertius à Persarum Rege dono missus ad eum fuerat. Quarto quoq; curru adhibito q Gotthorum regis fuerat, quatuor etiam ceruis currui iunctis, quos sacrificasse Ioui Capitolino ex uoto memoriæ proditum est. præcedebant Elephanti uiginti, feræ item mansuetæ ducentæ, ex Africa, Aegyptoq; conuectæ, diuersi admodum generis. Tigrides quatuor, Camelopar=

dali, suo quæque ordine gladiatorum paria octingenta. Deuictæ gentes cum titulis, Gotthi, Alani, Rhosolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani, Palmureni, Aegyptij. Inter hos captiuos mulieres decem, quæ uirili habitu pugnantes inter Gotthos captæ fuerant, cum magnus earum numerus cæsus esset in prælijs, easq; ab Amazonibus originẽ ducere, titulus indicabat. Tetricus ipse ducebatur chlamyde coccina, tunica galbina, bracis gallicis indutus, cum Tetrico filio, quem Imperatorem Galliarum declarauerat. Ipsa Zenobia gemmis etiam plurimis insignita, aureisq; cathenis uincta. Coronæ aureæ ciuitatum præferebantur, præter ipsos etiam captiuos Blemmes, Exomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Sarraceni, Persæ cum muneribus quiq; suis incedebãt. pompã ipsam illustrabant maxime Senatus, populusq; Ro. in ordines distributus, uexillationesq; collegiorum, equites item cataphracti plurimi cum omni exercitu, ut nona hora ex quo ingredi pompa cœpit, uix ipse in capitolium peruenerit. Triumphum ipsum secuti sunt ludi Scenici, Circenses, uenationes item, Ludiq; gladiatorij, & naumachia, coronæ etiã siligneo e pane populo datæ.

De accipiendis hospitibus

In accipiendis etiam hospitibus, cum hospitalitas ipsa iure data sit laudi, magnũq; ciuitati ornamentum afferat, nõ solum uidendũ id est, ut liberales in eos simus, uerum etiam, ut magnifici, quæ res si in priuatis hominibus iure plurimũ commendatur, quãto magis in principibus, ac Regibus debet splendescere? cum in ijs satis non sit si hospitalitas ipsa liberalis fuerit, nisi sit etiã splendens, atq; magnifica. Sed de splendore post, nunc de magnificentia, in qua exercenda, ut dignitas illa, de qua tã multa dicta sunt, retineri possit, psona eius, qui hospitio acceptus est, & tua qui acceperis, est uidenda. Genus etiam uitæ, ætas quoq; ac tempora diligenter consyderanda. Fuit in hac parte magnificus Rex Alphõsus, quippe qui eos, qui ad se diuertissent, nõ solum accipiebat liberaliter, ac splendide, uerum donis magnificentissime prosequebatur pro cuiusq; dignitate nullum adeo honestandi, ac munerandi genus omittens in illis exornandis. Et quoniam in eam partem incidimus, quæ ad munera pertinet ac donandi gratiam, eaq; tanquam condimentum quoddam est magnificentiæ totius. De hac deinceps dicemus.

De muneribus.

Principio munera ipsa, & dante, et accipiente digna esse debent, qbus quæ gratia inesse potest, si neutrum decuerint? deinde etiã magna.

Quid enim magnificum habere possunt ubi pusilla fuerint, quam uis interdum, & pusilla plurimum gratiæ apud eum, qui accipit, in ueniant, quod persona ipsa, aut affectus accipientis præstat, pueros enim, ac puellas non tam doni ipsius pretiũ mouere solet, quàm pul chritudo, atq; ornatus, & quæ hodie dicitur elegantia. Siquidem po= cula ex nobilissimo uitro, quod nunc crystallinũ uocamus, amplius, q̃ argentea puellã delectauerint, et puerũ pusillus equus magis, q̃ ta rentinus. Interdum etiam ipsa raritas pretiũ facit. dicitur de nimia uoluptate exsiliisse Alphonsus cum Anconitanus Cyriacus, sucino eũ donauit, quo pansis alis musca includebatur, parua immo pusilla sa nè res, at raritas apud principem, qui nõ tam pretiũ, q̃ ipsam rari- tatem metiebatur, maximã fecit. Nonnunquã etiam artificiũ ipsum commendat munera. Quid tam habuit in delitiis idẽ hic Alphon- sus, quàm tabellam Ioannis pictoris? Sunt qui minutissimum uascu lum ex iis, quæ porcellanicæ dicuntur, argenteis, atq; aureis etiã pre tii maioris anteponant. Quæ res efficiunt, ut aliquãdo muneris præ stantia, non tam ab ipso pretio q̃ à pulchritudine, raritate, elegantia, artificioq; iudicetur. Proinde magnitudo illa, quæ magnificum decet, interdũ non tam pretio censenda est, quàm his ipsis, quibus dicimus commendari solere munera. Dicitur Alexander Macedo in honorem Phaili impigri, & fortis athletæ, multas exuuias dono Crotonia- tis misisse, quas uidelicet uictoria ipsa magis q̃ pretiũ magnas, ac gra tas faceret, contra ut gemmas, unionesq; non magnitudo ea, quæ quã titas dicitur, sed pretium ipsum, quædam commendat, adeo munerũ magnitudo nunc à pretio, nunc à raritate, dignitas autem ab eo po tius, qui accipit, metienda est. quarum rerum diligentem æstimato- rem magnificum esse decet. Nuper Assyriorum Rex ad Ferdinan- dum inter alia munera Camelopardalim misit, & asinum, quem ex ultimis orientis partibus adductum constat. Quid asino uilius? Ad eum tamen spectandum multi remotissimis è locis uenere. Fecit autem spectabilẽ res una, quod cum esset maculoso pilo uirgatum cor= pus ostentabat, diuersicoloribus, ac paribus lineis. Fuere in his mu- neribus res q̃dẽ multæ et pretiosæ, duo tamen hæc animalia, ut pere grina, ut non ante uisa reddidere donũ ipsum etiã spectandũ. Facit interdũ munerũ magnitudinẽ uarietas ipsa, interdũ ẽt multitudo, ut cum Hiero Syracusanus tantam tritici, atq; ordei uim, tantum etiã uestium numerum Romam deferendum curauit. Aliquando uolun tas dantis longe pretiosius donum ipsum efficit, ut cum in tanta popu li Ro. calamitate, in tot populorum defectionibus, ordo, & populus

Neapolitanus,

Neapolitanus, quadraginta aureas pateras eidem dono misit. Quis etiam dubitet cui dona mittentur, si is liberali, ac magnifico sit animo cum eo magnificentius agendum? Si enim ubiq; magnificum decent magna, honestum sane erga magnificos gerere sese quammagnificentissimum. Pompeio Magno Tigranes Rex sexies millies talentum dono dedit. Videtur tum Græciæ principes, tum Aegypti, atq; Assyriæ Reges in mittendis ad Apollinem muneribus de magnitudine certasse. quidam tamen non tam id agere uoluere, ut uiderentur magnifici, q̃ ut erga Deum grati, qualis fuit Agesilaus, qui rebus a se feliciter, atq; è sententia gestis, decimæ nomine, plura quàm centum talenta biennio mittenda Deo curauerit. Alphonsus non erga alios modo, uerum etiam aduersus milites magnificentia usus est, quos tum auratis loricis, ac faleris, tum sericis uestibus pro cuiusq; dignitate ornabat, interdum etiam auro, argento'ue intextis aut bracteatis. Itaque eius exercitu nihil illis temporibus uisum est splendidius. Ferunt Mutium Sfortiam cum aliquando conserturus cum Alphonso manum esset, petentibus militibus signum quo ab amico hostem discernerent, respondisse, ut quem magnifice ornatum, splendide'q; faleratum uidissent, eum hostem putarent. Dona etiam quædam non tam ipsa per se magna sunt, quàm quod eorum, qui mittunt, authoritas. Maiestas'q; magna efficit, ut cum Senatus, populus'q; Romanus sella eburnea, uestibus'q; Senatorijs Regem aliquẽ benemeritum donabat. Ipsius enim Senatus ac populi terrarum principis iudicium, donum illustrabat, eiusmodi autem dona eo illustriora sunt, quo rariora, nec tam petentibus dantur, quàm sponte benemeritis mittuntur. Omnino autem munerum finis gratuitus esse debet, qui si uoluptatem aliquam, quæ parum honesta sit, respectet, nequaquam mihi, qui finem hunc sequatur, magnificus iudicabitur, sed uoluptarius quispiam. & Mercator rerum earum, quæ sunt homini cum belluis communes, quo nec melior uideri potest, qui utilitatem secutus magna dat, ut paulo post referat maiora, quod in regibus præsertim est turpissimum, quorum animos etiam suspicione auaritiæ uacuos esse decet, quanquam seculo nostro uix aliud genus hominum tam libenter, atq; assidue mercaturam exercet, qui tamen dum ostentare uolunt magnificentiam, Histriones, Scurras, Tibianes maximis donis prosequũtur. Quin si quos benemeritos muneribus aliquando affecerint, non tam uolentes id agunt, quàm ut suspicionem deuitent auaritiæ, aut aliam secuti rationem consilium suum cælant. In utroq; autem maximum inest uitium, nihil enim fictum, aut fucatum habere uirtus debet, nec sine de

lectu recte agi quicquam potest. Aulus Vitellius dicitur nullo modo, nullo delectu habito, non solum donasse sua, uerum etiam largitus aliena, qui mihi dissipator, ac tyrannus uerius quàm magnificus dicendus uidetur. At Adrianus, quē tradunt Reges omnes uicisse munerum magnificentia, nihil tale admisit. Nanq; ut fuit in conferendis muneribus magnificentissimus, sic alieni continentissimus, & in delectu habendo etiam prudentissimus. Tacitus Augustus columnas centum è lapide numidico Hostiensibus dono dedit, quarum singulæ pedum trium ac uiginti fuisse dicuntur, donum undiq; circunspectum. Fuit enim & magnum, & ipso, atq; Hostiensibus dignum, & finis tum gratuitus, tum res, cuius gratia donum datum est, quamhonestissima, uoluit enim bonus princeps Hostienses muneribus suis iuuare in condendo publico opere, quod ab illis fuerat incohatum.

De pascendis domi belluis.

Est etiam quasi quoddā magnificentiæ ornamentū pascere domi ursos, pardos, leones. Multus fuit Alphonsus in pascendis accipitribus, cuius filius Ferdinandus & patrem & Reges omnes, de quibus fama est aliqua, superare iudicatur non accipitribus modo, sed equis, canibusq; pascendis, quos ab extremis etiam terris plurimo ære conquirit. Nec uero laudandos eos ducimus, qui ut aues, ac mansuefactas pecudes pascant, ut spectacula edant, ut donis plurimos afficiant, ut ædificent eleganter, ac magnifice, aut auferunt à qbus etiam minime debent, aut q amplectendi sunt, eos desertos patiuntur. Neq; enī magnificentia uacare debet iustitia, qua seruata non solū in honore, & pretio habēda est magnificentia, uerū propter præclara opera in admiratione tum ciuiū, tum peregrinorū, quos uirtutis huius fama trahere in admirationem solet. Nā quæ suo in genere magnifica sunt, ea qs non admiretur? præsertim cū magnifici ipsi quidē ita instituti sint, ut qđ faciēdum susceperint, in eo non solū non parcant pecuniæ, uerū id agant, ut obliuisci sumptuū uideantur, dū opus ipsum euadat magnificum, atq; excellens in genere suo, ut siqui contendere etiam uoluerint, difficiles admodū partes suscepturi sint, neq; enim facile superari potest, qui ut dignitatem, de qua diximus, assequatur, sumptuū ipsorū uideatur oblitus, q́q; in magnis operibus maior ipse appareat, efficiaturq; hoc pacto magnificentissimus. Sunt etiam uirtutis huius aliæ species duæ, quarum altera uersatur in ornatu, domesticaq; supellectile, altera in conuiuijs, de quibus statim dicemus.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD CHARITEVM DE SPLENDORE LIBER.

D SPLENDENTEM Hominem de splendore disserere Charitee dulcissime, etiam si nulla intercedat beneuolentiæ, ac familiaritatis gratia, ipsa tamen ratio præstari hoc à me debere, & hortatur et iubet. Quippe cum materia ipsa consentiat cum artifice. Ac tam etsi familiaris res, tua domesticaq; supellex sit etiam mediocrior, in hac tamen ipsa domesticæ rei mediocritate, splẽdidum te quacunq; in parte domesticæ supellectilis, ornatus'q; familiaris, ita præstas, ac geris, ut admirari non minus nitorem, quàm laudare modum, ac mensuram in illis tuam & uelimus, & debeamus, præsertim cum hunc ipsum nitorem tanquam natura tibi insitum etiam in ijs, quæ solius sunt ingenij ubiq;, ac semper præteferas. Iure igitur librum tibi hunc de splendore uindicasti, immo & fecisti tuum. In quo quidem (cultum enim, atq; elegantiam noui tuam) satis scio multa desyderari à te posse, quæ à me sunt aut neglegenter omissa, aut per inscientiam ignorata. Tu uero Charitee, quæ tua est lænitas, quod'q; in carminibus etiam nostris facis, ut siquid inertiæ in illis deprehenderis, facilitate id tua indulgenter condones, in hac item disputatione siquid aut prætermissum à nobis fuerit, aut forsitan ignoratum, uel sponte id tua, uel rogatus etiam atq; etiam condonabis.

VM IGITVR In apparatu domestico in cultu, atq; ornatu corporis in supellectile familiari, magni etiam sumptus fiant multos eni inuenias, quibus satis non sit habere aptam, & necessariam supellectilem, nisi ea sit etiam præclara & multa, in hoc quoq; genere sumptuum peccari potest, dum ijs apparandis, comparandis'q; aut pecuniæ nimis quis parcit, aut eam effundit immoderatius. Quo'circa medius il le habitus, quæ mediocritas dicitur, etiã in his quærendus est. Quod si maiores nostri, quẽ mediocritate hac præditum cernerent eum, splẽdidum uocauere, qui autem modum prætergrederetur initio elegan- elegans

elegans
luxuriosus
sordidus
splendidus

tem. Nam id nomen olim in malam partem acceptum fuit, post luxuriosum, huic uero aduersum sordidum dixere, profecto mediocritas ipsa splendor, exsuperantia luxus, defectus uero tum sordes, tum sordities recte uocabitur. Non inepte autem magnificentiæ splendor statim subiungitur, quod & ipse in magnis uersatur sumptibus, & habet pecuniam, communem quidem cum illa materiã. Sed magnificentia ipsa sumpsit nomen à magnitudine, uersaturq; in ædificijs, spectaculis, muneribus. At splendor, quod in ornamentis domesticis, in cultu corporis, in supellectile, in apparatu rerum diuersarum prælucet. Inde nomen à splendẽdo duxit, atq; ut magnificentia à magnis faciendis, sic uirtus hæc à splendidis traxit uocabulum. Quinetiam magnificentia in publicis operibus, & ijs, quæ diutius permansura sint, magis uersatur, cum splendor priuata potius curet, nec momentanea quædam, ac minora neglegit. His explicatis ne ab instituto nostro recessisse uideamur, ante quàm de splendore ipso præcepta tradimus, qui & quales sint sordidi, qui etiam luxuriosi paucis disseremus.

Duo esse sordidorum genera.

Sordidorum duo sunt omnino genera, alij enim uolunt ipsi quidẽ habere bonam, & utilem supellectilem, sed dum eam commodam habeant, dum parum in illa comparanda impendant, egregiam, ac splendentem habere neglegunt. ijdem bene uestiunt, non tamen eleganter aut sumptuose. Alij uero aut habere nullo modo eam curant solis nummis inhiantes, aut siquam habent, ea est perexilis & sordẽtissima, quos auaritiæ fecem iure uocaueris. In omni autem uitio et uirtute, quando, ut dictum est, nec uirtus, nec uitium latitudine caret, est & plus & minus inuenire. neq; enim quod in libro, qui est de liberalitate, diximus auari singuli totam auaritiam sunt complexi. Icirco luxuriosorum quoq; qui maxime sunt sordidis contrarij, sua etiam sunt genera. Quidam enim in una aliqua splendoris parte nimis luxuriantur, ut qui corpori exornando plus nimio dediti sunt, qua in re nec suam nec maiorum dignitatem retinent, obliti etiam ætatis, ac temporum, item ordinis, ex quo ipsi sunt, et ciuitatis, in qua hæc agunt, qualem fuisse C. Cæsarem Augustum apud Suetonium legimus, qui ne uirili quidem, nedum humano uestitu, calciatuq;, ac cætero habitu usus fuerit. Quippe qui ut armillas, ac gemmatas penulas, ut cycladas, ac cothurnos, ut speculatoriam caligam, ut deniq; muliebrem soccum taceamus, sæpenumero conspectus fuerit

in deorum

in deorum habitu nunc aurea barba, fulmen tenens, nunc fuscinã, aut caduceum, aliquando etiam Veneris habitu in publicum processerit. Alij tanquam equi dissultantes undiq; diffluunt, atq; in luxum præcipites tanquam laxis habenis feruntur, nullo modo patientes se intra gyrum rationis, ac mensuræ coërceri, uanum profecto genus hominum, totumq; in ostentationem conuersum. Nullam uestem Nero Augustus bis induit, piscatus est rete aurato. purpura & cocco funibus nexis, usus est & soleis mularum argenteis. Fuit domus eius non solum auro perlita, sed gemmis, atq; unionum conchis distincta, cuius cœnacula tabulis eburneis, ijsq; uersatilibus laqueata fuerint, quo tum flores per fistulas spargi, tum unguẽta desuper defluere possent. An hic tibi ex omni parte diffluxisse uidetur, qui etiã gemmas, ac margaritas, nedum aurum, atq; argentum, ludis circensibus in populo sparserit? Sunt qui ipsi quidem modum retineant, & splendescere domum suam uideri uelint, id tamen agunt, ut auaritiam tegant. Itaq; comparant gemmas, uniones, uasa argentea ut præseferãt splendorem, ac dum numos in hæc ipsa conuertunt, & abacum instruunt, purgata auaritiæ suspicione splẽdidi uideri uolunt. Hos quis splendidos uocet, cum eorum sit ficta persona? qualis fuit Galeacius Maria Dux Mediolanensium, qui nuper à Ioanne Andrea Lampugnano confossus est. Is enim adulterinas gẽmas clàm à se emptas ostentabat ut raras, & admodum pretiosas. Sunt qui ærea uasa inaurent, quibus mensas exornent, quæ quidem uanitas est etiam fraudi coniuncta, non splendor. Hi autem auari cum sint, arte hac animi uitium cælare alios uolunt. Cæterum à splendore ipso, qui sordidi uocantur maxime alieni sunt. Siquidem luxuriosis, & diffluentibus modus tantum abest, ac delectus. Et hi quidem ad medium reuocari sæpe solent, cum uitium ipsum in sordidis non secus, ac in auaris indies augescat.

Qualem esse deceat uiri splendidi supellectilem.

His dictis ad ea, quæ splendidorum sunt, transeamus, ac primo loco de supellectile, deinde de ornamentis, deinceps de cultu & ornatu corporis, ultimo de apparatu dicemus. Supellectilem uocamus omne domesticum instrumentum, ut uasa, lances, textilia, lectos et id genus cætera, sine quibus commode uiui non potest, hæc quanquam homines usus & commoditatis gratia sibi comparant, splendidorum tamen officium est non usum, aut commoditatem solam respicere, sed ut ea,

tum multa domi habeant, quibus etiam cum opus fuerit, amici, notíq; commode uti possint, tum egregia cum aliqua etiam uel artificis, uel materiæ uel utriusq; præstantia, gladiolum enim sordidus, ac splendens æque sibi adhibent in mensa. Illud autem interest, quod sordidi cultellus est immundus & corneo capulo, at splendidi nitidus, & capulo aut è præstanti materia, aut affabrefacto. Erit igitur splendidi supellex nitida, & multa, ac non solum pro facultatibus, uerum etiam pro exspectatione, atq; authoritate, in quibus quidem aliquantulum excessisse fortasse fuerit non indecorum. Et quoniam Senatoriam dignitatem, ac principis domum, decet excellentia quædam, erit supellex ipsa non solum, ut dixi, nitida & multa, uerum etiam rara, & excellens. Quæ res efficit ut splendidum oporteat sumptuosum esse, rara enim et excellentia maximo ueniunt pretio. Fuit liberalis, atq; magnificus in plurimis Alexander Seuerus, non caruit tamen nota, quod in conuiuijs aurum nescierit, & pocula ipsa quanquam nitida, mediocria tamen semper habuerit, cuius exemplum hac in parte ut laudandum non est, quippe cum esset Augustus & princeps orbis, Sic quàm potest detestandus Varius Heliogabalus, qui aureo uase utebatur ad excipienda corporis excrementa. Idem etiam uideri supremum in modũ ridiculus potest, qui gemmas ab optimis scalptas artificibus in calciamentis habuerit, acsi nobilis scalptura cerni posset, quæ in calciamentis ferretur. Vide luxum hominis perditissimum. uti autem Romanum Principem auratis frenis, atq; habenis sericis, faleris item bracteatis splendidum quidem est, at soleis mularum equorum'ue argenteis summæ uanitatis, ne dicam diffluentis tantum luxuriæ. Quo fit ut supellex ipsa ad honestum etiam usum comparari à splendido debeat. Quippe qui & utetur ea cum opus fuerit, & ubi ratio suaserit, etiam multa ex ea donabit. In quibus omnibus eam rationem sequetur, quæ probari iure possit. Erit etiam supellex ipsa talis, quæ habentem non dedeceat. Quid enim indignius quàm rusticanum hominem bibere gemmato poculo? Illud etiam præstandum est à splendidis, ut re ipsa appareat, non sibi soli, sed familiæ quoq;, & amicis, cognatis'q;, et cum publicus etiam usus uocauerit, populi usui, atq; commodis comparasse supellectilem. Audio de maioribus natu Philippum Mariam Ducem Mediolanensium quodam in conuiuio statuisse, ne argenteis quadris, sed ligneis tamen nouis, carnes in mensa conuiuis apponerentur, ipsas autem quadras alias post alias statim mutari, mutatas'q; abijci iussisse, eaq; ratione grandem quandam summam effudisse.

Itaq; non lignea quadra uili comparata, sed effusio ipsa, tantus'q; numerus reddere eum splendentem potuit. Rex Alphonsus & cados, et dolia, & situlas ex argento habuit, crateres etiam ex auro, toralia, et mappas è tela conquisitissima. Itaq; eius mensis nihil splendidius, nã de cætero apparatu post dicemus. Talem igitur splendidi hominis supellectilem esse uolumus, cuius quidem tametsi propriũ est curare ut sit multa & peregrina, ignorare tamen debet quanta ea sit, dummodo sit maxima, quæ'q; rationem habeat facultatum, ac dignitatis. Est enim modici cuiuspiam non splendidi, quantum sat sit habere supellectilis, atq; ornamentorum. Quinetiam laudari admodum solet ubi ad multitudinem, raritatem'q; supellectilis illud accesserit, ut quæ sunt eiusdem generis, ea sint uario ex opere, artificio, atq; materia. Neq; enim hoc solum exigitur, ut plurima pocula niteant in abaco, uerum, ut uaria, eaq; uel aurea uel argentea, uel porcellanica. Itemq; aliæ, atq; aliæ formæ, calices item crateres, gutti, pateræ, carchesia, scyphi, quorum etiam alia uideantur comparata ad usum, atq; ornamentum, alia solius ornamenti, atq; elegantiæ gratia, quædam etiam pretium, ac magnitudo commendet, quædam sola elegantia & raritas, aut artificis manus, aut item laus alia. Sed iam ad ornamenta ueniamus. quanquam & hæc ipsa magna è parte supellectile continentur.

De ornamentis.

Ornamenta autem uocamus ea, quæ nõ tam ad usum comparata sunt, quàm ad ornatum ac nitorem, ut sunt signa, tabulæ pictæ, aulæa, fulcra, eburneæ sellæ, stragula gemmis intertexta, pixides, & arculæ ex arabicis pigmentis, uascula è crystallo, & huius generis alia, quibus domus pro tempore ornatur & abaci, mensæ'q; instruuntur, delectat autem eorum aspectus, ac domino pariunt authoritatem, dum multi ut ea uideant, domos ipsas frequentant. Sed ut ipsa ornamenta, quàm potest exigitur, ut sint magnifica & uaria, sic ut collocentur suis in locis. Aliud aulam decet, aliud gynæceum. Quin etiã alia sunt ad quotidianum ornatum, alia seposita ad festos ac solennes dies. Munditiarum quoq; ac nitelæ, quæ splendoris comes est, cura in primis uidetur habenda. Quarum Iulium Cæsarem studiosissimum fuisse constat, eundem'q; torreumata signa, tabulas'q; antiqui operis magna cura, pecuniaq; comparasse. Quo'circa splendidi uiri domus ob mundum, atq; ornatum ridere semper uidebitur, nec solũ domus, uerum uniuersa familia præseferet domini cultum, ac nito-

rem, qui ut in mulieribus uenustatem ostendet & elegantiam, sic in uiris cum dignitate ornatum. Testabuntur etiam equi domini splendorem, non solum nitore cutis, uerum etiã ornamentis ipsis. Est etiã splendidorum habere domi permulta, & quidem nitida, & culta, quæ ad aucupium, ac uenatum, et ad canes, atq; accipitres pertinent. Nihil enim horum neglegendum est eis. Secutus est auum Alphonsus Ferdinandi filius in excolendis libris, quos non solũ multos, sed luculenter ornatos habere uoluit, ad quod tum alios quosdam, tum etiam patrem prouocauit. Eiusmodi autem ornamentorum studium ac diligentiam, & ipsam hanc munditiei, ac nitoris curam placet appellare Luculentiam, & qui ea utentur, Luculentos, qualem fuisse Mithridatem Ponti Regẽ ex hoc ipso iudicari potest, quod eo mortuo in Regia eius inuenta fuerint, ad duomillia poculorum ex onychite lapide, auro perlitorum, phialæ ad hæc permultæ, et uascula mira uarietate, item mensæ, ac sellæ elegantissime ornatæ, equorum quoq; frena, & faleræ, non solum auro, uerum etiam gemmis, ac margaritis artificiosissime uariatæ, quantus etiam fuerit rerum cæterarum apparatus declarare illud potest, quod diebus uix triginta explicatus ab ijs est, quibus ea cura demandata fuit. Quæ quidem omnia ab illo magno studio conquisita & comparata fuerant unius ornatus, ac splendoris gratia. Ac de ornamentis satis sit hæc dixisse. Neq; enim domum splendidi hominis instituimus, sed qualem eum esse uelimus, liniamentis quasi quibusdam inumbramus. Quocirca de apparatu statim dicemus.

De apparatu.

Est igitur splendidi hominis non solum curare ut dignam, atq; elegãtem supellectilem habeat, domesticisq; ornamentis abundet, sed quod turpe sit imparatum offendi, siue ad priuata, siue ad publica munera, habebit quidem domi apparatum rerum plurimarũ, quæ ipsius luculentiam declarent, ut si hospes aduenerit, præsto sint ea, quibus opus fuerit, ad illum non comiter tantum, uerum etiam magnifice accipiendum, si publice edentur ludi, sit domus eius tanquam horreum quoddam è quo ministrentur, ac suppeditentur ea, quæ theatris artificibus, pompisq; usui, atq; ornamento esse uidebuntur. Deniq; ut pluribus si eodem tempore plures indiguerint, subuenire possit supellectile, atq; apparatu suo. Qualis autem, & quàm multiplex esse apparatus debeat, ostendit Lucullus, in cuius, ut ita dixerim, armario, ad quinq; millia scenicarum uestium inuenta memorantur. Rex

Alphonsus eodem tempore, & regiam, in qua habitabat, & templum ubi sacra faciebat, & multorum legatorum domos mirifice ornabat, & quidē uario ornamentorum genere, ac nihilo minus tanquam parum abundaret, Galliam ulteriorem aulæis, Syriam gemmis penè spoliauit, ingentibus pretijs propositis. Quinetiam artifices, ac mercatores corrupit, nequid præter cætera insigne, nisi soli sibi uenderent. Quo tempore Helionoræ neptis nuptias, de quibus diximus, celebrauit, dij boni, non regiam modo suā, non Friderici Augusti, non tot procerum modo domos, sed penè urbem omnem luculentissime exornauit. Quin etiam miri operis tentorium secundum Anguianam paludem statuit die uenationis, quod magni etiam oppidi instar erat, quo die uidere licuit non tentorium modo ipsum, sed paludis oram omnem splendere tapetis, aulæis, abacis scenis è frondibus, è pannis, è uarijs etiam textis. Docuit igitur Alphonsus qualē splendidi Regis domum esse deceat, & qualem quantumq; apparatum habere. Cuius exemplum pro facultate, ac dignitate sua qui sequetur eum iure ut splendidum commendabimus.

De cultu, atq; ornatu corporis.

De cultu autem, ac uestitu, & cætero ornatu corporis prima hæc ratio habēda est, ut in regibus uestitus, atq; ornatus omnis retineat etiā maiestatem (Augustos enim decent augusta) In uiris pro ætate, atq; authoritate dignitatem. In iuuenibus nitorem, elegantiamq;, quæ tamen minime muliebris uideatur. In puellis uenustatem, et comptum. In matronis decus quoddam matronale. Quod autem iure accusat Martialis non bene olere eum, qui semper bene oleat, idem nos in uestitu, atq; ornatu accusandum ducimus, si nihil unquam de cultu, atq; ornatu remittatur. Sordes tamen, & illuuies nunquam est probanda. Videnda etiam sunt tempora, consyderandusq; status ciuitatis, & fortuna cognatorum ut seruari hac in parte decorum ualeat, neque enim nuptiales ornatus decent funera, aut pullatæ uestes hymenæum. Dicere autem de genere uestitus, et qualis ornatus quē deceat, nō est instituti à me operis. ad hæc indies mutatur, non erat eiusdem palmata, cuius toga. trabeæ regum fuere. Quo'circa alius magistratuum, ac Regum, alius priuati hominis ornatus esse debet, diebus præsertim solennibus. Caius Germanici filius Augustus, nūc in speculatoria caliga, nunc in habitu Veneris sese populo uidendum præbuit. Præsedit certamini in stadio Domitianus Cæsar, cre-

pidatus, purpureaq; amictus toga graecanica, capite gestans coronam auream cum effigie Iouis, Iunonis, ac Mineruae, assidente Diali, & collegio Flauialium sacerdotum. Quid indecentius, ne dicam detestabilius? ut autem nihil molle, effoeminatumq; sic nihil in ornatu corporis, decet moderantem populos, quod arguere possit ipsum humanae conditionis oblitum. Splendor generosum praesefert animum, mollities effoeminatum usurpare deorum habitum summam tum stultitiam, tum insolentiam indicat. Sed nec est splendidi pati ueterascere secum uestes, neq; enim ueteramenta possunt splendescere. Quo' circa ante quàm nitorem amittant, eas conuertet in liberalitatem, donabitq; ijs familiares notos, benemeritos, nonnunquam etiam peregrinos.

De habendis gemmis, ac margaritis.

Ante Alphonsum Regem Dux Bituricensis in conquirendis & coëmendis omnis generis gemmis, atq; unionibus praeluxit caeteris temporis sui principibus. Fama splendoris eius per orbem terrarum erat diuulgata. Quicquid ex hoc genere ubiq; praestans inueniebatur, ad eum deferebatur à mercatoribus, nunquam pretio pepercit, dum res digna pretio uideretur. Hoc mortuo, nunquã quieuit Alphonsus, donec eam laudem ad se transtulit, praestantissimis quibusq; gemmis, lapillisq; ab se emptis. Quin etiam cum aliquando compertum haberet insignes quasdam gemmas uenales nõ esse, magna pecunia ut eas uidere posset redemit. Paulus secundus Pontifex Maximus uisus est hac in parte, gloriae horum inuidisse, et quamuis id agere se ostenderet, ut in pontificios ornatus, ac templorum ornamenta splendorem hunc suum conferret, iudicatum tamen est supra pontificas grauitatem huic rei indulsisse. Gemmarum igitur atq; unionum, & omnis generis lapillorum comparatio maximam uidetur splendoris gratiam afferre, tametsi hoc in genere nisi qui ad modum diues fuerit splendescere nequeat, cum non satis sit habere paucùlas gemmas quanquam praestantes, nisi multae simul, ac uariae habeantur. Atque ut purpura, sericumq; splendidi hominis uestitum commendat, sic gemmae, lapilliq;, tum nonnulla corporis ornamenta, tum domesticos quosdam apparatus, nec eos solum apparatus, qui ad uiros, ac mulieres spectant, uerum etiam qui ad supplicia, & ornatus deorum immortalium. Quidam tamen quanquam liberales, ac magnifici, qualem Syracusanum fuisse Dionem legimus, non gemmas modo habere neglexerunt, sed in ornatu, ac uestitu corporis

ſplendorem hunc omnino abiecerunt, ut qui popularibus, ac ciuibus ſuis hac in parte modici potius, ac continentes uideri uellent quàm ſplendidi, quorum conſilium tametſi non improbamus, tamen in diuitijs, atq; in magna opulentia ſordeſcere principem ciuitatis indignum ducimus.

De hortis, ac uillis.

Quem etiam hortos habere uolumus, in quibus exerceri deambulationes, & conuiuia fieri pro tempore poſſint. Erunt autem horti hi ex peregrinis, & egregijs arbuſculis artificioſe, decenterq; diſpoſiti. In quibus è myrto, buxo, citrio, rore marino topiarium opus potiſſimum commendatur, neque enim quæ parco, ac lucroſo patri familiæ, eadem ſplendido homini hortorum ratio eſſe debet. Conferunt etiam mirum in modum ad ſplendorem ipſum uillæ, non illæ quidem ruſticano ex opere, ſed urbano, & magnifico. Oportet enim non in urbe ſolum, uerum etiam rure ſplendeſcere nitidi hominis ſupellectilem, ne ſiquando ſecedendum fuerit ab urbanis negotijs, tanquam è luce in tenebras migraſſe uideatur. Quoniam autem etiam in ſeceſſu oblectamenta quærũtur, animiq; relaxatiões tum ſibi, tum comitibus, & ijs, qui uiſendi gratia, aut alia de cauſa ad eum diuerterint, ne offendatur uir ſplẽdidus imparatus, uiuaria ſibi ante comparabit, & item cohortes pauonum, phaſianorũ, perdicum, auiumq; aliarum. Quin etiam retia, & canes ad uenandum, & ſiqua ſunt alia, quæ honeſta uoluptate afficere animum, & recreare languentem poſſint. Idem familiam ſuam non ſolum bene, & laute paſcet, ſed multos ut dici ſolet, ciues, peregrinosq; participes quadræ ſuæ habebit, atq; ut argenteas lances ius heſternum dedecet, ſic quotidianam braſicam principis uiri olla recuſat. Itaq; ut menſa eius argento & auro, ſic ſplendeſcere epulis debet. Quas quidem conuiuis, et ijs, qui ad cœnam adhibiti fuerint potius, quàm ſibi paraſſe appareat, in quibus tamen ut cæteris in rebus tenendus modus eſt, ne uideamur ad uoluptatem corporis referre omnia, aliud eſt enim ſplendidum eſſe, aliud comedonem, cum nonnunquam ſplendidi officium ſit, inter lectiſſimas dapes, holuſculo, & piſciculis contentum eſſe, quod ut probandum eſt, dum non fiat ob auaritiam, ſic aliquando comiter. Quinetiam aliquando lautius ſecum egiſſe, dandum eſt ſplendori, quod Lucius Lucullus docuit. Nam cum dixiſſet ei diſpenſator, quid ſumptuoſo tibi opus conuiuio, cum ſolus ſis cœnaturus, quid in

quit Lucullus ex te audio? an ignoras apud Lucullum hodie, cœnaturum esse Lucullum? neq; enim dedecet, qui aliis frequẽtissime splẽdescat, splendescere aliquando & sibi, cum uideamus etiam in optime constitutis urbibus, certis diebus permissum esse, domi quenq; suæ lautius, ac diffluentius cœnare, ac largioribus epulis familiam pascere. Quia uero in eam partem, quæ ad conuiuia pertinet, non temere incidimus, de hac ipsa re, postquam ea, quæ de splendore necessaria uisa sunt, diximus, deinceps disseremus.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD IOANNEM PARDVM DE CONVIVENTIA LIBER.

AMETSI IOANNES Parde hominem homini natura conciliat, ad hanc tamẽ naturæ conciliationẽ, duæ cum primis res mihi uidentur plurimum conferre, eorundem scilicet studiorum societas, consuetudóq; conuiuendi. Inter ipsa uero artium, atq; ingeniorum studia, quæ diuersi admodum sunt generis cum eadem natura sciendi, atq; intellegendi cupiditatem in hominum animis uel maximam ingenerauerit, non temere fortasse dixerim, bonarum artium studiũ, rerumq; naturæ cognitionis, primas merito partes tenere. Quippe quæ ad animum maxime spectent, cuius in hominum actionibus late imperiũ ad maxima quæq; pertineat. Conuiuendi autem consuetudinem, et eam, quæ familiaritas dicitur. Iure quidem secundas ferre non est cur addubitem. Cum uita ipsa, usúsq; uiuendi, qui tantopere communis est, uel ad paucissimos in tanta multitudine tam arcte etiã restringatur. Vnde apud Scythas potissimum conuictus ipse religiosissimus habetur, ac per conuictum iurare sacrum, & sanctum est. Quãobrem cum utroq; hoc conciliationis genere mecum ipse coniunctus sis admodum, merito quidẽ de conuiuendi ratione disserens disertionem eam tibi inscripsi Parde iucundissime. Qua in re & studiorum eorundem societati, & uiuendi consuetudini satis mihi fecisse non iniuria uideor, dum ad familiarem de familiaritate conuiuẽdi, ad bonarum uero artium studiosum de ipsis sciendi, atq; intellegendi studijs scribo. Nam et de conuiuendo ratio quæritur, quando uehementer quoq; peccari in hoc nec una potest uia. Quo'circa disertionem hanc ita leges, ut & communia in ea recognoscas studia, nec à conuictus nostri consuetudine recedas. Quin potius ad ipsam magis, ac magis retinendã legendo excitere. Cũ ea maximã, iucundissimamq; cum philosophia coniunctionẽ habeat, utq; utraq; hac philosophandi ratione coniunctissime inter nos uiuamus, & unà uixisse, ac philosophatos simul nos esse testatum posteris relinquamus, si qui fortasse nostra hæc legere non recusabunt.

VM IGITVR Alij quidẽ genus hoc conui-
ctus omnino fugiant, qualẽ fuisse Atheniensem Pe
c riclem legimus, quem à cœnarũ, ac conuiuiorũ ap-
paratibus, cõsuetudineq́; sic abhorruisse traditum est,
ut ne apud amicũ unq̃ cœnauerit, præterquã apud
Eurytolemum nuptiarũ die, licet ipse admodũ liberalis esset, ac suis
opibus plurimos sustentaret, alij uero contra nimij in hoc inuenian-
tur, ut nati ad ingluuiẽ tantum uideri possint. Est etiã in hoc genere
mediocritatẽ inuenire. Nãq; ut fugere conuictũ uitiosum est, cum nõ
solum natura, uerũ etiã amicitia hãc uitæ, cœnarũq; consuetudinem
postulet, quẽ maiores nostri conuictum à cõuiuẽdo deduxere, sic oẽm
uitam in epularũ apparatibus exercere, in ijsq; rem familiarẽ pro-
fundere summopere reprehendendũ est. Quid enim aliud bestiarũ
similes tantopere nos efficit, q̃ palatus, et gula, popinæq́; ipsius studiũ?
quia uero tum uitia hæc, tũ ipsa mediocritas apud nostros hodie no-
minibus carẽt, tentabimus proprie q̃ fieri poterit, nouis ea nominibus
appellare, ne innominata relinquamus. Defectũ igitur ipsum nũquã
conuiuendi appellabimus inconuiuentiã, ut inconstantiã, incontinen
tiamq́;, quod à conuictu ipso prorsus abhorreat. Quod uitiũ plerũq;
ab auaritia ortum ducit, quæ ubiq; sordida est, quanquam & auari
quandoq; splendidiores uideri uolunt in conuiuijs, ut auaritiã dissi-
mulent, nonnunquã ẽt à quadã animi tristitia, et studio solitudinis
uitiũ ipsum gignitur. Ipsius autem exsuperantiæ, atq; excessus nomẽ
erit comessabilitas. Nã uoracitas, et ingluuies ad corpus magis referũ
tur, suntq́; homini cum belluis cõmunes. Ipsa uero comessabilitas, q̃d
animum labe sua ĩficiat, ac perdat, solius est hominis, hoc enim uitio,
ac labe infecti q̃ sunt, curare id solũ uidentur, ut comedant, neq; cõ-
uiuia exercent conuiuẽdi gratia, sed comessandi, dumq́; assidue, ac
liberaliter potent, dũ uentrẽ impleant, dum palato indulgeãt, cætero
rũ obliuiscuntur omniũ. Varius Heliogabalus, de quo etiã supra dixi,
familiari cuidã suo, uti temperaret cõsulenti, uideretq́; ne aliquando
res familiaris defutura esset. Quid, inq̃t, Dij boni melius, q̃ ut ipse
mihi, atq; uxori hæres sim meæ? Sed animaduertite quæso hominis in
gluuiẽ, ac palatũ nõ modo intẽperatissimum, sed luxũ etiã perditis
simũ, nunquã minus centũ HS cœnauit, hoc est triginta argenti li-
bris, nonnũquã tribus millibus cœnatus est, sexcentorũ struthionũ ca
pita multis in cœnis exhibuit, ut conuiuæ cerebellis illorũ uescæren-
tur. Ad mare cum diuersaretur, piscem nunq̃ edit, cum à mari longi
us, omnia è mari. Quin etiã nõ conuiuas modo, uerũ rusticos in cœ

naculum intromissos luporũ, ac murenarũ lactibus pauit. Tenuit et hunc morẽ, ut quibusdã in cœnis, solis phasianis uesceretur, ex eaq; aui sola dapes omnes concinnari, ac missus uniuersos è phasianis eẽ uellet, alibi omnia ex eadẽ una pecude, nõnũquã è solis pomis, aut lacte, aliquando ex mellitis oĩa, adeo totum se in hanc unã rem conuerterat. Nõ longe dissimilis Varij huius fuit Galienus Augustus, cuius unum hoc dictũ declarare potest fuisse illũ in hoc uitio perditissimũ. Nã cum relatũ ei esset populũ Romanũ indigne ferre, quod Valerianus pater eius apud Parthos seruiret, cõuersus ad astantes. Ecquid nam habemus, inqt, quod prandeamus, ó uocem maxime abominandã. Idem cũ se uoluptatibus immersisset querẽtibus nõnullis, qđ Aegyptus rebellasset. An, inqt, sine lino Aegyptio esse non possumus? Ipsa autẽ exsuperantia non una tantum ratione potest in cõuiuijs contingere, in qbus tametsi exiguntur fercula uaria, multa, opipera, lauta, tamen qs Antonij, & Cleopatræ perditissimos sumptus non accuset? Quis immanissimã Caij gulam ferat? quẽ Trãquillus affirmat nepotinis sumptibus omniũ prodigorũ ingenia superasse, commentũ etiã nouũ balnearũ usum, ac portentosissima ciborũ, ac cœnarum genera, ut q calidis, frigidis'q; unguentis lauaretur, pretiossimas etiã margaritas aceto liquefactas sorbillaret, conuiuis ẽt ex auro panes, atq; obsonia apponeret. Sulla superfluens adeo in apparandis cœnis fuit, ut uinũ etiã quadragenariũ populo exhibuerit. Quin etiam in condimentis oĩs generis, ac dapibus ministrandis, ita redũdauerit, ut post exsaturatũ populũ magnã reliquiarũ uim deijci in flumen iusserit. Hoc quidẽ perdere est potius, q̃ abundanter accipere. Aulus Vitellius epulas trifariã semper, interdũ et quadrifariam partitus est. in ientacula, prãdia, cœnas et comissationes, qbus omnibus ut satis esse posset, sæpius euomebat. Eodẽ quoq; die aliud alij indicebat, ita ut singuli appatus minus quadringenis millibus numûm staret nemini. In cœna illa famosissima, quã frater ei dedit, apposita dicuntur duo millia lectissimorũ pisciũ, septem auiũ. Allata etiã patina immensæ magnitudinis, eaq; referta scaurorũ iecinoribus, phasianorũ, ac pauonũ cerebellis, linguis phœnicopterũ, murænarũ etiam lactibus, quas illinc à Carpathio mari, hinc à freto Gaditano triremibus aduehẽdas curauerat. Ad hanc gulæ profunditatem accedebat ẽt ingluuies, atq; intempestiuitas cum persæpe inter sacrificandum è foco pene rapta manderet, & iter faciens è popinis, fumantia obsonia nonnunquam etiam pridiana, atq; semessa auidissime uoraret. Nero à medio die ad mediã noctem protrahebat epulas, cũ interim calidis piscinis

sæpius et niuatis æstate foueretur. Interdũ præclusa naumachia, nõ nunquam Martio in campo, aut circo maximo cœnitabat inter scortorum, ambubaiarumq; ministeria. Itaq; non uno modo in hoc ex superantiæ genere peccatur, cuius moderatrix erit conuiualitas illa quidem, ut sordis inimica, sic nequaquam profusa & perdita, quàm etiam conuiuentiam non inhoneste quis uocauerit, deq; ea sic quidẽ nobis præcipiendum uidetur.

Diuersa esse conuiuiorum genera.

C onuiuia igitur, in qbus conuiualitas uersatur, alia conuiuendi gratia, atq; inter paucos cum quadã familiaritate, ac uictus suauitate fiũt, alia tum ut multorum simul gratia comparetur, ut cum populo epulũ paratur, tum ut ciuili consuetudini satisfiat, ut cum in nuptijs cogna ti, familiaresq;, ac noti adhibentur ad cœnam. Nonnunquam etiam instituuntur conuiuia, ut splendori tantum ipsi fiat satis, qualia sunt Regum, ac principum conuiuia in hortis, ac locis amœnioribus. Aliquando ut hoc honoris, atq; hospitalitatis genere tum alios tum peregre aduenienteis prosequamur, quod etiam apud Virgilium Aeolus innuit, cum ait.

N -Tu das epulis accumbere diuũm.

Quorum quidem generum uir splendidus, ac conuiualis nullum repudiabit, Nam, etsi splendor ipse, & hæc, de qua disserimus, conuiualitas, per se honesta, & laudabilis est, ac gratuita esse debet, tamen ex hac etiam laude comparare sibi beneuolentiam plurimorum tum ciuium, tum externorum est non solum comitatis uerum etiam prudentiæ. Cum autem splendidi uiri mensa, non debeat esse sola, neque enim maiores nostri triclinia temere statuere, uidetur ab eo maxime primum genus conuictus exercendum. Itaq; notos, familiareis, et in quibus inest aliqua ingenij uis, ac uirtutis opinio, ad mensam illam ordinariã, quæ nunq̃ est sordida singulis fere diebus nũc hos, nũc illos adhibebit, ipsa uero mensa talis semper erit, ut etiam repente oblatos, plureis eodem tempore possit honeste accipere. Crassus ille diues, quamuis admodum frugi esset in uictu, consueuit tamen plureis in cœna secum habere, & eos quidem è media plebe, maluissem etiam è nobilitate, tamen quis non illum merito plurimum laudet? Iacobus Caldora singulis fere diebus dũ in castris ageret fortissimũ queq; nũc hũc nũc illũ uocabat ad mensam, res sane Imperatore digna. In hoc genere cõuictus, tametsi splẽdescere semp̃ debet cõuiualis uiri mẽsa, tñ si quædã fuerint populariora, et minus, ut ita dixerim, apparata, reprehẽdẽdũ nõ est, dũ tñ quãdã præseferãt familiarẽ neglegẽtiã

tametsi

tametſi neglegentia illa quidem non eſt, ſed remiſſior quædã cura, ex familiaritate, et aſſuetudine conuiuẽdi profecta. Ornabit autem & ut ita dixerim, hilarabit cœnam uultus placidus, & ſermones admodum familiares, ac iucundi, quales eiuſmodi menſa uidetur exigere, quod Titus Veſpaſiani filius ſecutus eſt, cuius conuiuia non profuſa, ſed iucunditatis plena fuiſſe referuntur. Auguſtus quoq; maiore comitate, quàm ſumptu conuiuia exercuit. Nam & tacenteis prouocabat, & triuialeis ludos interponebat, è circo, frequentiſſime etiam aretalogos. Quo'circa non pauci in hoc peccant, qui triſtitiam, ac ſuperalium ferunt ad pocula. Vnde recte ſanè Virgilius Bacchum in conuiuijs adeſſe uoluit, lætitiæ datorem. Quin etiam priſcorũ mos fuit audire ad menſam laudes magnorum uirorum. Rex Alphonſus ſtatim poſt prandium, uel Antonium Panhormitam uel è doctis aliquem audiebat, ut qui dignum iudicaret animum quoq; cibo ſuo, poſt paſtum corporis reficiendum eſſe. Quoniam autem hac in parte diligentiores eſſe nolumus, cuiuſmodi conuictus nobis placeant, quales etiam eſſe debeant, ſatis dictum ſit. Nam quibus è conuiuijs gratia multorum, ac ciuium beneuolentia quæritur, in ijs epularum copia maior exigitur, & ſplendor ipſe ad abundantiam maxime referendus eſt. Quin etiam ſi aliquid de lautela remiſſum fuerit, neq; enim facile in tanta copia retineri ea omnino poteſt, concedendum uidetur, dum, ut Hiſpani dicunt, menſa ipſa farta ſit, cum populi ſaturitas ijs conuiuijs propoſita ſit, eaq; ſola tantis ſumptibus quæratur, qui uero utrunq; ſeruauerit, ut laute ut opulenter populum accipiat, munus profecto ſuum omni è parte impleſſe uideri poterit, quod quidem præſtitit Petrus Geuara Comes Arianẽſis, cum uxoris nuptias Ariani celebraſſet, dies enim octo non populares modo ſuos, ſed finitimos, qui ad nuptias uocati uenerant, ita accepit, ut nihil uiſum fuerit in eo genere opulentius, fuitq; opulentiæ admiſta lautities. Et quia principes quoq; multi conuenerant, certatum eſt etiam, ut neq; ciborum conquiſitio, et concinnatio, neq; apparatus domeſticus uinceretur à copia. Itaq; fuere omnia admodũ condita, lauta, opipera, conquiſita. Illud rarum quod ſine ſtrepitu, & turbis, quod uideri etiam mirum potuit, in tanto hominum conuentu & uarietate. Inſtitutum etiam fuit Regum Neapolitanorum annis ſingulis, ſtatis quibuſdam diebus parare nobilitati epulum ad ædem Mariæ Coronatæ, adhibitis etiam præſtantiſſimis matronis. quod ab Alphonſo ſummo cum ſplendore ſeruatum meminimus. Mirum quàm hæc res nobilium animos conciliaret. Quin etiam popularium, cum ex eius conuiuij apparatu re

liquijs'q; liberalissime distributis Vrbs ipsa saturaretur. Quæ quidem consuetudo perinde, ut alia quædam digna exempla, omnino est intermissa. His igitur in conuiuijs, siue, ut uerius dicam, epulationibus quoniam multitudo quàm potest uoluptate afficienda est, adhibendi etiam sunt, qui artes tractent ludicras, utpote condimentum quoddam epulationis, uenter enim plenus, ut dici solet, tum uidere, tum audire aliquid cupit, quod oblectet et sensus, animum'q; deliniat.

Non esse repugnandum consuetudini in conuiuijs.

Velle autem repugnare consuetudini, quæ etiam à præstantibus uiris teneatur, non solum est turpe, uerum etiã hac in parte summæ auaritiæ dari potest. Quo'circa, & consuetudini satisfaciendum est in cõuiuijs exhibendis, & is splendor retinendus, ut aut superiores alijs simus, aut saltem pares. Quod enim multi & ferè omnes faciunt, an nitendum est, ut pro facultatibus, dignitate'q; cum laude, & decore fiat. Raræ sunt in unaquaq; ferè domo nuptiæ. Quo igitur rariores, eo in ijs splendidiores esse debemus. Ac tametsi inter cognatos, ac familiares res agitur, licet nuptiæ ipsæ nonnunquam publicæ celebrẽtur ut Regum, ac Principum, tamen nec ipsa familiaritas detrahere debet de splendore, nec in nostra aut liberorum causa, cum sit dies ipse nuptiarum celeberrimus, sordidi, ac restricti esse debemus. Ad hæc exemplo etiam nostro magis excitare alios ad honesta, quàm retrahere consentaneum uidetur. Solent etiam nuptiales epulæ, quoniam, ut dixi, dies ille celeberrimus est, parere in populo infamiam, et inter agnatos, affines'q; contemptum, atq; odium, si quibus facultates abunde sunt, contractiores in eis fuerint. Quo'circa cumprimis curandum est, ut opipare, large, laute, splendide'q; agantur, atq; ministrentur omnia, maxime tamen consulendum est copiæ, quoniam ea maxime ab auaritiæ suspicione liberat, in ijs præsertim conuiuijs. At in conuictibus et familiarioribus cœnis dum elegantiæ, laute'q;, dum maius quoddam appareat comitatis studium, si nõ omnia diffluenter aggerantur, frequẽtia tamen ipsa affert excusationem, ut dici recte possit, sat quidem large, si sæpe & laute.

De conuiuijs splendoris gratia susceptis.

At cum solius splendoris gratia conuiuia parantur, tunc non modo remittendum, aut omittendum nihil est, uerum etiam habenæ ipsæ li

berius laxandæ sunt, neq; passibus, ut dici solet, plenioribus acceden dum, sed currendum potius. Explicandus tunc est domesticus appara tus, onerandi auro atq; argento abaci & plutei, cœnationes exornā- dæ, sternenda pauimenta, & ita quidem omnia disponenda, ut, quod ait Horatius, domus ipsa rideat. His accedat ministrorum egregius ac liberalis ornatus, quorum ea sit institutio, ut res ad nutum geri ui deantur. Quid enim inconcinnius, quàm in conuiuijs obstrepenter ad ministrari? De epulis autem, uniuersóq; apparatu, illud hac in parte præcipi à nobis in uniuersum potest, ut certare inuicem uideantur o= mnia, ut nec apparatus domesticus uincat dapum abundantiam, nec abundantia lautelam, aut elegantiam, nec sat fuerit con- tentum esse patrijs, ac uernaculis rebus nisi peregre quoq; multa ui- deantur apportata, ut etiam rerum studiosa quædam uarietas cer- natur, & elaborata conquisitio, atq; cura. non tamen ut Vitelliana illa patina, et Gaditana, Carpathiáq; piscatio laudāda ūquā sit. Missus ipsi requiruntur tum multi, tum rerum uariarum. Varietas enim multum adiungit lautelæ, paritq; magnam inter cœnandum gratiam, neq; absq; missuum multitudine abundantia & splendor facile cernitur. Vbiq; tamen suus modus retinendus est, neq; enim af fectatio præsertim ubi nimia fuerit, ulla in re probanda est, quam quis laudet in conuiuijs, si ne in deorum quidē cultu, à bonis, ac pro batis uiris admittitur? Quid enim superstitione damnatius? Recte etiam, ac splendide institutum uidetur, ut procedentibus ferculis tu- bæ, tibiæq; prægrediantur, quæ conuiuas, astantesq́; oblectent can tibus, & signum dent incedentium ferculorum, ut uoluptati etiam ipsi ordo uideatur adiunctus, qui si defuerit interturbari, atq; con- fundi necesse est omnia. Ordini quoq; illud accedet, ut astantium, ac ministrorū ea disciplina sit, quæ conuiuiorum est propria, absint nō modo dicta, uerum etiam gestus, qui tristitiam, aut turbationem af= ferre habeant aliquam. Qua è re mihi uidetur introductum, ut his in conuiuijs adhiberētur musici, qui non solum oblectarent cantu, ue rum ut dum astantes ad se audiendos trahunt, silentium parerent, atq; è silentio tranquillitatem. Quorum omnium regula, ratióq; in dispensatoris, atq; aulæ magistri prudentia, curáq; potissimum repo sita esse uidetur.

De secunda mensa.

S ecunda mensa magnum affert conuiuijs splēdorem, cui mihi uidetur magnopere intendendum. Nāq; ut optimo cuiq; poëtæ ultimus actus

magnæ est curæ, sic ab ijs, qui conuiuia parant, secunda mensa diligenter uidenda est. Ex inuento Sucaro, quod ad uarios conuersum est usus, magna conuiuijs, ac cœnis, accessio facta est, eaq; elegans, ac magnifica. Multa enim inde non ad gustum solum conficiuntur, uerum ad oculorum, ac spectantium uoluptatem, ut ea, quæ conferuntur in comessatiunculis, quas hodie collationes uocant, quibus quod magnificentiæ locus in ijs sit, principes ipsos studere magnopere uideo, eiusq; rei initium cœpit ab Alphonso, cuius in hac, ut in cæteris splendoris partibus magnum studium fuisse cognouimus. Ioannes Vrsinus Abbas Farfarensis, profectum Romam ad Xystum Pontificem Ferdinandum Regem, atq; inde ad se in Agrum Tyburtinum diuertentem, ita accepit, ut ex omni parte iudicari potuerit, & splendidorum lautissimus et lautorum splendidissimus, singulis in domibus eis, qui regem comitati sunt apparatus sumptuosissimi, elegantissimiq; instructi sunt. In quadriuijs, & publicis quibusdam oppidi locis mensæ positæ epularum omnis generis. Quin etiam horreũ quasi quoddam statutum fuit, equo omnia omnibus tum cocta, tum cruda large præberentur. Vt autem de mensa regia, deq; ferculis, ac missibus taceam, unum mihi memoratu dignum uidetur, quod ante ædeis in propatulo, tanquam trophæum quoddam uenatorium positum fuit, in quo affixæ pendebant capreæ, damæ, cerui, apri, lepores, cuniculi, Quorum ea quidem copia fuit, ut ipsæ Hernicorum syluæ tot ferarum uix altrices fuisse uiderentur, quas tamen illæ perpaucis diebus aut uenatu compararat, aut seruata in septis ad hos usus aluerat, quem morem seruari à splendidissimis quibusq; & hic ipse ætate nostra, et sua Lucullus docuit. Certabat cum hoc uenatitio apparatu, pauonum, perdicum atq; altilium copia, auiumq; lectissimarum, ut id conuiuium iure illustre dici possit. Vt autem Sullanæ illæ in fluuium deiectiones lautissimorum ciborum, uehementissime uidentur improbandæ, sic illud exigendum est, ut post cœnam multa supersint, ac non modo postquã cœnatum est reliquiæ ipsæ, sed ex ipsa mensa, atq; è culina epulæ intactæ ad amicos mittantur, quæq; etiam à ministris dispensentur inter eos, qui spectatum uenerint. Cœnas illas Neronianas & uoluptarias, quibus scorta adhibentur, laudent Epicurei, & intemperantes. Accubuit Augustus sub Apollinis imagine secretam ad mensam. Accubuere simul Dij numero duodecim ciuitate etiam laborante ob annonæ difficultatem. Quo circa maledictis ita discerptus est à populo Romano, ut Apollo tortor palàm inclamaretur, eumq; cum Dijs frumentum omne comedisse dictitarent. Quin

Abbatis Farfarensis splendor

tarent. Quin etiam notissimus uersibus proscissus est.

» Cum primum istorum conduxit mensa Choragum,
» Sexq; deos uidit Mallia, sexq; deas.
» Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
» Dum noua diuorum cœnat adulteria,
» Omnia se à terris tunc numina declinarunt.
» Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Quo circa splendoris, atq; conuiualitatis studium recedere ab honesto non debet. Quo deserto laudari nihil recte potest in aliqua hominum uitæ parte.

De conuiuijs honoris gratia susceptis.

Quæ autem cœnæ honoris gratia parantur, quales esse deceat, docuit nuper Ferdinandi filius Alphonsus in eo conuiuio, qđ Caroli Burgundiorum Ducis oratoribus exhibuit, in quo nihil non modo defuisse, sed ne desyderari quidem potuisse ab ijs, qui affuere iudicatum est. Post plurimos rerum uariarum missus, tantumq; apparatum, post suauissimos cantus, post secundam mensam longe splendidissimam introducti mimi, editumq; ad lychnos spectaculum tandem magnificentissima illa comessatiuncula, quā collationem hodie uocari dixi, plurimis ferculis allata est, ac deinde inter astanteis diffusa & passim etiam iactata, ut omnibus ex ea esse liceret. Vltimo donati oratores splendidissimis muneribus.

Qui & quales adhibendi sint conuiuæ.

Fuisse in toto hoc genere diffusissimum (neq; enim dicam splendidissimum) Marcum Antonium, longe etiam luxu diffluentiorem Cleopatram, memoriæ traditum est. Quorum cœnas cuiuis in promptu est legere. In primis autem uidendum est, qui adhibeantur & quot, de numero apud Priscos quæsitum est, cum nec pauciores tribus, nec plureis nouem adhiberi placeret. Attulit aliquando magnam laudem Alphonso huic, quod literatos quicunq; Neapoli per id tempus essent, in hortos ad cœnam uocauerit, lautissimeq; acceperit. Sane in hoc genere laudis etiam delectus suus habendus est. Nanq; ubi ad conuictum, præsertim frequentius uocati fuerint indigni homines, absq; infamiæ nota fieri uix potest. Arguitur enim morum similitudo, & eorundem uitiorum studium. Aetate nostra Galli dicuntur

conuiualitati admodum dare operam. Quos quis non laudet, dũ id faciant cum delectu? tamen nescio quomodo Galli habiti sunt hac parte aliquanto intemperantiores, quod non tam splendori seruiant, quàm gulæ. Conuictus tamen ipse, quàm sit laudandus Scythæ docent, ut dixi, quibus per conuictum iurare mos est. Quibus igitur facultates suppeditantur, frequens hæc & penè quotidiana conuiuẽdi ratio si delectus adiungatur magnam & laudem, & beneuolentiam conciliare inter ciues solet, quæ si in iis, qui priuatam, & ciuilem agunt uitam, tam est laudabilis quàm certe est, quanto laudabilior est in principibus & dynastis. Quo in genere Lucius Lucullus primas partes tulisse uideri iure potest, qui domum suam ita instituerit, ut cum uideret propter conuiuarum diuersitatem, non unam conuiuiorum rationem sequendam esse diuersa cœnacula statuerit, definito singulis pretio & apparatu. Siquidem in Apolline, quod cœnaculi nomen erat, quinquaginta millibus cœnari consueuit. Habebat etiam cuncta adeo apparata, ut satis esset admonere dispensatorem de cœnaculo ubi esset conuiuendum, ac de conuiualitate quidem dictum sit hactenus.

Absoluta est, ut arbitror, ea pars morum, quæ pecuniam tanquam materiam sibi subiectam habet. Diximus enim de liberalitate, & ei aduersantibus uitiis, cui accessit etiam de beneficentia disputatio, post de magnificentia, & qui, et quales essent tum modici, tum uentosi disseruimus. Deinceps de splendore, de sorde, de luxu, postremo de mediocritate, quæ in conuiuiis uersaretur. Reliquum est ut cum ante de obedientia libris quinq; explicauerimus, de fortitudine duobus, ad alias morum partes explicandas studium nostrum conuertatur, ne quantum in nobis ipsis fuerit, atq; occupationes ipsæ nostræ tulerint, alicui defuisse philosophiæ parti uideamur.

FINIS.

PETRVS SVMMONTIVS NEAPO LITANIS SVIS. S.

IOVIANVM Pontanum inuitarunt ad se pene puerum Sirenes, tenuitq;, ut scitis, nostra Parthenope, ubi ad senectutē usq; sua uissime is uixit, haberiq;, et dici uoluit ciuis noster, ductaq; hic uxore e nobili familia, ciuitatem nostram praeclaro suo adauxit genere, atq; immortalibus scriptis res nostras, quoad potuit, illustrauit. Quo fit, ut quae e ciuium uirtutibus patriam sequi gloria solet, ea quoq; nos non parua e nostro sequatur Pontano, & iccirco nos illi plurimum omnino debeamus. Fuit enim re uera Iouianus non horum temporum foetus, sed tanquam reuirescentis iam naturae specimen, & in re literaria quidam quasi heros. Nobis igitur tanto ciue summopere gaudendum est, tantaq; haec gloria, & uelut patriae nostrae insignia ornamentis caeteris anteponenda. Etenim si erudito illo, ac felici seculo, gloriari M. Cicero iure potuit, quod latinā ipse philosophiam fecisset, quantam & hinc ferat Pontanus laudem, qui accessionem huic rei tam magnam aetate nostra fecerit, iudicare omnes facile possunt, quicunq; tum alia ab ipso olim edita, tum uero noua haec, diuinaq; legerint. Quare quod ad philosophiam ipsam attinet, prioribus illis, quos de Obedientia, de Fortitudine, de Principe, de Liberalitate hactenus legistis, addite & reliquos de Prudentia, de Magnanimitate, de Immanitate, de Sermone, de Fortuna libros, quos nondum plane omnes ab eo expolitos, sicuti erant, post ipsius obitum, qui reliqui sumus amici, collegimus. Eos autem uobis hac ediderim conditione, ut & uos meritam illi, more maiorum, statuam in celebri urbis loco ad perpetuum reipublicae nostrae decus, omnino erigendam curetis. Valete.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD TRISTANVM CARACIOLVM ET FRANCISCVM PVDERICVM DE PRVDENTIA LIBER PRIMVS.

IN LYCIO DEAMBVLABAT Philosophans senex ille philosophorum omniũ disertissimus, audiẽdumq; ad eũ uniuersa etiã Græcia confluebat, nominis eius admiratiõe cõmota, ac disciplinæ. Nobis uero Tristane Caraciole, tuq; Francisce Puderice haudquaquam parentes sunt Athenæ, neq; ulla utiq; Campania in terra est Academia, ipsiq; haud magna sane cum mentis, atq; ingenij re, senes tamen sumus, philosophamurq;, & quidem cum paucis, ac nunc domestica in porticu, nunc fanulo in hoc, deambulationeq;, quod si per religionem liceret, libenter id quidem fecissemus, ne Lycaũ tamen appellaremus, tanti uiri memoria nos deterruit, quodq; et si nequaquã in Academia, in celeberrima tamen urbis huius parte, nostris est sumptibus positum, ac dedicatum. Quo in loco liberum me penitus regijs ab administrationibus, atque omnino uacuum, & ipsi quoque publicis (ut uideo) muneribus uacui, conuenire, ni fallor, uoluistis, postulaturi de felicitate quidem alter, alter uero de prudentia, Dijs ipsis præsentibus, qui promissorum sunt, hominumq; ipsorum fidei inter ipsos, obsides, ac testes. Quam ad rem non nihil fortasse uos Adrianæ coniugis cineres sunt etiam cohortati, quos hoc ipso in fano conditos quantopere ueneremur, ipsi profecto scitis. Nihil est autem, ad quod penetrare ingenij uis nostri queat, quantulacunq; ea est, quod non in illius simus memoriam & præstituri libenter, & habituri etiam ijs gratiam, q ad illam nos exornandã, honorandamq; inuitarint. Quod uestrum esse consilium, de uultus utriusq; assensu, hilaritateq; plane quidem intellegimus. Itaq; qua animi ingenuitate, promissa confitemur, eadem & fortasse maiore, pro ingenij tamen uiribus, promissa ipsa et facturos spondemus, et Dijs etiam testibus recipimus. Nec fuerit necesse uxoris manes euocare de tumulo, dum tamen à uobis, quod in omni promisso primum est, uirium habeatur, ac facultatum ratio. Quanquam nec ij quidem uos estis, q ad ea nos,

quæ ingenij nostri minime sint, quæq; maiora his exsistant, subeunda humeris onera compellatis. Quo'circa uerecunde, moderanterq; petentibus uobis, ut expostulatio omnis absit, si modeste uicissim pudenterq; morem gesserimus, id uero & uobis satis esse debeat, & uoluntati meæ acceptum referri. Nam plene quidem ut satisfaciamus, neque sacellum hoc, neque perbreuis ipsa, quæ ante delubrum est deambulatio præstare id ullo modo ualeat. Vetus inquam, ac peruetus illa quidem Academia, maximeq; Aristotelica, tantum ad munus, à uobis & desyderanda est potius, & summis etiam precibus inuocanda. Itaq; meipsum audientes, non philosophum audietis, neq; uersatum in Lycio * Platonis, Peripateticisq; in deambulationibus hominem, sed disserentem de ueterum maxime Græcorum, ac nostrorum disciplinis, ut qui earum magis fuerit admirator, quàm ut in illis solis aut ipse incubuerim omnino, aut adultus consenuerim. Satis enim quibus ipse in negotijs uersatus sim, quod'q; otium fuerit perdiscendis, atque indagandis illis meum. Agemus igitur uobiscum uerecunde, & parce, nec tam argute, examinateq; quàm aperte, atque experienter. De humanis enim disserentes actionibus ita quidem agemus ut qui actiones ipsas, earumq; principia magis à fronte, oreq; ab ipso nota esse uelimus, quàm ut ea cupiamus introspicere, ac rimari, quæ huius minime quidem sunt aut disputationis, aut temporis, nostriq; neutique ingenij. Cæterum ornatissimi uiri, ijdemq; amicissimi sic habete, permulta quidem partim non ab indoctis uiris, partim ab ijs, qui in otio uiuunt, rerumq; ubertate, atque affluentia adinuenta, uel arcessita esse potius, quæ felicitatem magis ipsam inficiant, quàm exornent, auertantq; illam longius à nobis, quàm ut aut propitiam faciant, aut adeptu faciliorem, minusq; alienam reddant. Non dubitat igitur apud Herodotum Solon, post Atheniensem Tellum, felices dicere Cleoben atq; Bitonem fratres, quod Argis nati, urbe bene instituta & nobili, quod locupletes fuissent, req; abundarent familiari, quod uiribus adeo corporis ualidis, ut uterq; etiã uicerit in certamine, quod deniq; Dij etiam immortales in eorum erga matrem pietatis meritum, matre ipsa quod optimum homini esset, illis tribui ab Dijs optante contulissent, mortem scilicet, quos inde conuentus ille Græciæ ferè totius qui ad sacra conuenisset, felices iudicasset. Sane'quam consyderate à Solone omnia. Sed quid si nunquam fratres illi uicissent in certamine? an non felices esse poterant? quid si i Vmbria nati essent, aut in Sabinis ubi nulla Isthmica erãt, aut Olympica certamina? Non'ne ita instituti, ornatiq; fortunæ,

corporis, atque animi bonis felices esse poterant? Addiderit fortasse ad illorum felicitatem aliquis, quod in patria magistratus etiã bene gesserint. Quid si in ea nati essent urbe, in qua cives ipsos magistratus gerere non sit permissum? (nam et felices obtemperare legibus par est) num non felices illi futuri erant, talibus ac tantis bonis præditi? Demat forsitan & de illorum felicitate quispiam, quod iuvenes sint mortui, atq; in ipso ætatis flore, ne pervenire ad fructum vitæ potuerint. Quis sciat, an diuturnior vita longe diversam illis vivendi sortem fuisset allatura? Demat etiam de gradu felicitatis, quod digitulũ ambulantes ad lapidem aliquando offendissent, quod iter facientes imbres, procellasq; passi essent, ꝙ viderint audierintq; non pauca, quæ parum omnino sensisse ipsi voluissent. Quod quid est aliud, quàm velle hominem, humanam abijcere conditionem, & quæ deorum sit, illam induere? quod dolere nunquam debeat, nunquam tristari, minime etiam lætari, atq; explicare frontẽ, non irasci, non miserari, non deniq; moveri ad humanos casus, naturæq; ipsius ministeria, & opera. Deniq; muscæ, culices, pulicesq; felicitatem contaminabunt humanam. Et profecto contaminabunt quando nos ipsi felicitatem hominis, quæq; civilis dicitur, ita considerare videmur, ac metiri, ut hominis ipsius naturæ, captusq; omnino humani obliviscamur. Quod si naturam rerum, quæq; & qualis ipsa sit, consyderaverimus, & qui sit eius cunctis in rebus modus, desinemus profecto, desinemus res nostras omnes, ipsamq; potissimum felicitatem adeo adamussim velle, ac pensitatim expendere. Agnominatur Arabia illa εὐδαίμων felix scilicet, ac beata, propter rerum plurimarum copiam, ac præstantiam, Atqui in ea nec nux nascitur castanea, nec unedo. Sit igitur sterilis, infœcunda, etiam infelix Arabia. Sed o' maxime imperfectam terræ felicitatem, cui arbutus desit, ac castanea. Laudatur à soli fœcunditate Aegyptus, ab aëris serenitate, à Nili irrigatione, ab antiquitate, ab incolarum moribus, institutis, legibus, à Deorum cultu, sacrorum mysterijs, rerum item cœlestium cognitione, ac scientia. At nullæ sunt Aegypti laudes, nulla rerum eius commendatio, quod caprearum careat venatu, piscatuq; turturum, piscium, aut merularum fortasse aucupio. Nemo erit unquam in Britania felix, quod sit regio maxime frigida, oporteatq; non exigua anni parte calidarijs agere sub fornicibus, exspectareq; ex Italia, Galliaq; vini vecturam, ac cõportationem. O' felicitatem maxime deficientẽ, ad quam perficiendam vini solius desit usus, quo quidem quota hominum pars globum hunc te-

rarum inhabitantium utitur? ut qui abstemij sunt, felices esse nullo modo queant. Adsit modo animus, adsit inquam animus, multo quidem minus Britanis deerit ad felicitatem uinum, quàm Italicis aqua Nilotica tantopere commendata. Dij boni, felicem esse uolumus iustum, temperantem, fortem, scientem, rerum naturæ peritum. Atqui maxime laboriosum est, administrare iustitiam, summopere difficile temperare uoluptatem, quæ nobis est à natura insita, supremum in modum periculosum uersari in prælijs, in quibus de uita agitur, deq; honore, & gloria. Quæ uero sint uigiliæ, ieiunia, corporis langores, defatigationes animi, ac uersationes eorum, qui cognoscendæ rerum naturæ dant operam, & ipsi scitis, neq; nos etiam ignoramus. Comparatur igitur felicitas per difficultates, labores, pericula, maximeq; inquietas actiones, uigilias, inediam, perpetuasq; illas animi cogitationes, ac solicitudines. Nihil itaq; his omnibus actum fuerit, si aut uestis nobis serica, aut Porcellanicum desit poculum. In animo, mihi credite, felicitas maxima è parte collocata est, in animiq; ipsius constitutione, q̃ male ubi constitutus fuerit, sibiq; ipse defuerit, exteriora hominũ iudicia, externæq; opiniones quantũuis diuitẽ, quãtũuis ualẽti hoĩem corpore, natumq; in patria quãuis nobili, maioribusq; quantumuis illustribus, felicem tamen nunquam constituent. Itaq; ut minime felicem præstabunt, sic à felicitate illum minime auellent, ubi nec Caietæ habuerit hortulos, allaqueabit' ue ulmum falernam, nec lanam totonderit Marucinam. Nam quod Cæsarem permulti etiam caluum conuitiarentur, num minus ipse propterea clarus imperator exstitit, ac dux eximius? Male audiuit etiam Pompeius, quod digitulo capillum scaberet. An propterea parum aut ciuis, senatorq; egregius, aut dux & consul illustris fuit? Alexander Imperator Romanus minime aut poculis, aut lancibus usus est aureis, uidelicet haudquaquam propterea clarissimus, aut minus inclytus princeps est habitus. Itaq; comparandam ad felicitatem, si hominum sequamur opinionem, nunquam deerit accessio, nihilq; pficiendæ illi erit unquam satis. Cũ tamen & actiones ipsæ humanæ ratione sint finitæ, & certo quodam limite terminentur, Nam & felicitas infinita non est, perinde, ut neq; sanitas, neq; corporis proceritas, nec bona alia humana, Quippe quæ & ratione finiantur, & terminis sint comprehensa. Quamobrem in ijs, quæ ad felicitatem pertinent, nõ parũ etiam opinione laboratur. Qua in disputatione qui locus esse ueræ potest, rectæq; rationi, cum ad opinionem pleraq; referantur? Itaq; nequaquam nos pœnituerit uobiscum

hæc familiariter prolocutos. Quod uero ad prudentiam attinet, ea cum recta agendi sit, ac uera ratio, aut sine recta constitui, ac uera ratione nequeat, actiones quidem omnes sic moderatur, ac regit ut uirtutum omnium, quæ à moribus nomen habent, dux sit, ac magistra. De qua non ante dicere aggredimur, quàm rerum uobis mora liũ principia aperuerimus. De quibus in hunc exordiri maxime modum placuit.

e T ELECTIONIBVS Quibusq; & actionibus nostris omnibus finis constitutus est aliquis, cuius ipsi gratia moueamur, ubiq; enim rei alicuius species, quæ optanda quidem appareat, & in agendo & in eligendo sese nobis offert. Cum enim in summa rerum omnium inopia constituti simus, quæ ad uictum, cultum'q; & usus uitæ alios necessaria sunt, earum ut cupiditate teneamur, uel maxime quidẽ necesse est, sine quibus uita ipsa nec commode traduci, nec bene nobiscum agi, ulla ratione queat. Ad hæc cum ob hanc ipsam fortasse inopiam, aut natura ipsa tantum duce nati simus ad cœtus colendos, societatem'q; conseruandam, ne ciuili huic uitæ, sociabili'q; consuetudini desint opportuna, multa quoq; comparanda sunt, quorum etiam habendorum cura trahamur, atq; incendamur studio. Nec uero solum ea ne desint nobis in uita, uerum abunde quoq; ut suppetant liberis, propinquis, familiaribus, atq; posteris. Est enim à natura homini insita posteritatis cura, quod prolis quidem studium declarat, ac præsertim optimo cuiq;, beneq; instituto.

Quod utilia quæ sint, naturaliter appetantur.

Hinc igitur ingenita est homini rerum utilium cura, quando ex hoc uocata sunt utilia, quippe quæ ad huiusmodi usum & cupiuntur, & comparantur, magnis etiam cum laboribus. Hinc tot artes inuẽtæ, tot etiam manuum opificia, & ipsa quoq; ab ingenio, natura'q; profecta, quorum tamen non exigua è parte, humanarum initio rerum excitatrix fuit inopia, summa'q; uiuendi difficultas, ut agriculturæ, ac fabrilium ferme omnium, multa'q; post adinuenta maioris commoditatis, atq; copiæ gratia (aliud est enim nolle egere, aliud

utile

affluenter abundare uelle) non pauca etiam uoluptatis, quæ nescio quomodo socia data est à natura hominibus non solum in agendo, uerum etiam in cogitando, & contemplando, eaq; ita quidem utili litati ipsi coniuncta, ut seiungi ab ea uix queat, dum uoluptas tamē non sit ipsa quidem arceßita, ac parum sobria utilitatis custos. Itaq; cupiditates ipsæ nostræ, atq; appetitiones, in ijs, quæ ad utilitatem pertinent, potißimum uersantur, nec sane à uoluptate disiunguntur, ac iucundi specie. Vtilitatis autem nomine intellegi cuncta uolumus, quæ ad uitæ usum, atq; commoditatem spectent, ciuilisq; uitæ conseruationem. Quæ quod & delectant, & uoluptatem afferunt, ubi eorum poßeßionem assecuti sumus, iucunda etiam dicuntur, suntq; ad modum poßeßoribus grata. Quo fit, ut utilia, quæ appareant, ac iucunda, naturaliter & cupiantur, & eligantur à nobis. Nā de honoribus, præfecturis, magistratibus alia uideatur fortaße ratiōe tractandum. Nos enim principia tantum hac præsertim in parte quærimus, quibus natura duce homines moueantur ad cupiendum primo atq; eligendum, post etiam ad agendum, aßequendi gratia, etiam cū sudore ac periculis.

Singulis artibus atq; actionibus finem constitutum esse suum.

Quibus è rebus efficitur, ut artes, ciuilesq; exercitationes cunctæ finē respectent & ipsæ quoq; aliquem, ac maxime suum, Cum illarum principia ab ijs, de quibus dictum est, causis sint profecta, inopia scilicet, ac natura. Nanq; non actioni cuiq; modo, uerum etiam arti, atq; facultati suus cuiq; constitutus est finis. Quocirca cum uariæ sint atq; multiplices hominum tum exercitationes, tum artes, ac studia, fines quoq; & ipsi constituuntur non uni.

Omnes fines ad unum tandem referri.

Cæterum uti summa totius reipublicæ administrandæ ad unum, eumq; summum refertur magistratum, militiæ quoq;, ac gerendi belli ad imperatorem, sic fines & ipsi omnes ad unum eumq; summum, ac præstantissimum referuntur finem, propter quem omnino omnia suscipiantur & officia, & opera, ad quem quidem ipsum, suum quiq; dirigant cursum, perinde, ut in portum qui nauigant. Atque ut inter magistratus, alius cedit alij, minorq; maiori, atq; inter ci-

ues, iuuenis seni, ignobilis nobili, priuatus in magistratu agenti, sic finium sua quoq; ratio est habenda, præstabit'q; alteri is ipse, ad quē alter ille refertur, ut res familiaris rei rusticæ, & hæc ipsa res rusticæ, faciendi aratri, ac uomeris officinæ, quando uomeraria officina subseruit agriculturæ, ipsa autem agricultura rei familiari. Omnium autem erit præstantissimus, maximeq; optabilis, atq; expetendus is, qui gratuito quidem, ac propter se ipsum tantum & quæritur, & expetitur, & cuius assequendi gratia cæteræ omnes actiones sunt, curæ'q; susceptæ. Videntur autem homines id maxime & cupere, & quærere, ut bene ipsi uiuant. Nam uiuere commune est animalium quidem omnium, bene uero uiuere hominis est solius.

Vnumquenq; finem bonum aliquod esse.

Quo'circa fines & ipsi, è quibus exsistit bene uiuere, bonum quoddam sunt singuli, ex bono enim sequitur bene, perinde, ut ex honesto honeste. Nam & qui bonum præstitit officiū, bene dicitur egisse, & qui honestum aliquod egit facinus, honeste. Inter ipsa autem bona, quod idem dictum est de finibus, est aliud alio melius, ac præstantius, illud uero & optimum et præstantissimum, et omnium maxime optabile, quod cætera complectitur, continet'q; omnia, quod & summum, & ultimum merito est suo habendum, quod adeptus qui fuerit, non aliter, quàm qui in portum ex alto delatus est, finem sit postremum assecutus. Id quod in gubernandis populis, regia'q; in administratione usu uenit, ut pastores, agricolæ, mercatores, artifices, urbium præfecti, ciues deinum omnes, milites item, ordines'q;, & ipsi centuriones, tribuni, duces, uniuersus deniq; exercitus regi pareat, rex'q; illis præscribat, & publice omnibus, & priuatim singulis.

Fines alios esse extrinsecus positos alios inesse actionibus.

Quorum quidem omnium ea diuisio est, ut fines alij sint extrinsecus quidem positi, quemadmodum in exercitatione, & usu medicinæ, sanitas, alij uero ipsis insint actionibus, sint'q; actiones ipsæ fines, ut eius, qui fortiter se gesserit, fecerit'q; aut facit fortia, actio ipsa fortis, fortiter'q; egisse, uel agere, est finis, quem qui assequitur, fortis dicitur, & qui magnifice agit, magnificus, cum medicus qui ægrotum sanauerit, non ipse propterea sanus quidem dicatur, uerum bonus, atq; pe

ritus medicus, sanitatisq; solers, seu procurator, seu artifex.

Fines alios esse opera, alios officia.

Nesciam ego quàm ab alijs quæ dicturus proxime sum probabuntur, dicam tamen, eritq; suum cuiq; arbitrium, de ijs ut uoluerit, & iudicandi & sentiendi, utemurq; distinctione hac, ut quæ exsistunt ex administrationibus aut artis, aut facultatis cuiuspiam, rebusq; uel faciendis uel constituendis, earumq; præcipue artiũ, quæ manu exercentur, opera ea uocemus, ut telam opus esse texturæ, architectonicæ ædificium, indusiariæ, indumentum, eruntq; opera ipsa, sui artis cuiusq; fines. Quarum uero nulla exsistunt præter actiones ipsas opera, non uerebimur eas ipsas actiones finem assecutas, appellare officia, eaq; fines esse dicere, ac finem liberalitatis esse, eiusdem recte utendæ officium, similiterq; fortitudinis, atq; magnanimitatis. Recentiores enim philosophi quãquam præstantissimi quidẽ maximeq; acuti uiri, dum Græco tantum modo, quibusq; ab Aristotele traditum est uerbis, philosophantur, parum curauerũt uidere, quid latine etiam dici, & quonam modo, quaq; etiam ratione ac uia aut possit aut etiam debeat. Nec uero eum me ego esse aut dicam, aut sentiam, qui philosophum profiteri aut possim, aut debeam, aut omnino ausim, tamen ut consueuere, qui periculosa tranant, atq; ignota flumina, quibusdam quasi contis tentabundus amnem ingredior. Quid enim obfuerit uadũ quærere, si non magis fortasse certum, at minus omnino lubricum ac uorticosum? nullum autem in euentum reprehẽdendum fuerit horum alios admonuisse.

Materiam, formam, ac priuationem conuenire ad uirtutes constituendas.

Ad hæc quanquam idem Aristoteles, quæ de moribus disseruntur, neq; eruditius, neq; exactius quærẽda esse censet, sed crassa quadã & pingui potius pscrutatione, atq; ut maiores nostri dixerũt, Minerua, nihilo minus audacius fortasse, tamen in ostendẽdis, explanãdisq; principijs nõ dubitabimus remotiora quædã, significantioraq; sciscitari et quærere, quorum ex indagatione principia ipsa clariora appareant, sintq; illustriore in loco posita. Idem ipse igitur & indagandi solertissimus, & præcipiendi optimus magister Aristoteles tradit, ad constituendam generationem tria simul conuenire, Materiam, Formam,

& quam recentiores è nostris uocant priuationem, quæ & rectius & expressius, & iudicio etiam meo, proprie magis, Carētia dicta est à uetustioribus quibusdam latinis. Sed non sit de uerbo controuersia. Ego uero hac nunc in parte, & in hoc, qui est de moribus, tractatu, & indigentiam, & inopiam indifferenter, et cum libuerit, etiā penuriam appellabo, ut quod moralibus sim de uirtutibus dissertu rus, quæ honestis constituuntur, & præclaris exactionibus, intellegatur apertius, uirtutum ipsarum principia, & quæ sint, & qualia. Tantum uero abest, ut ratione hac disciplinas ipsas perturbemus, ut magis, magisq; alteram alterius sustentemus præsidio.

Priuatio et Caventiā

Inopiam esse unum è principijs.

Nasci igitur hominem cum summa rerum omnium inopia, quis est qui neget? addam & illud, maxima etiam cum ignoratione. Nanq; solus cum sit ad eloquēdum natus, septimo uix anno eloqui quæ sentit exacte potest. Animalia fere omnia, ubi alia progredi, alia aut uolare, aut natare, aut repere apta sunt, uictum ipsa sibi per se comparant, Solus homo postquam & pedibus & manibus, & lingua, qua excellit, commode utitur, uiuere tamen nec ipse adhuc per se, aut à se solus potest, neq; conseruandi sui munus aut obire, aut tutari, neq; quas ad res natus est, nisi multos post annos eas attingere. Itaq; diutius à parentibus alitur, uictitat'q; annos complureis aliena & opera, & cura, discit'q; laboriose eloqui, cum animalia cætera sponte uoces suas, suaq; signa, nullo docente, proferant. Laborat itaq; homo solus, postquam instrumenta corporis pfecta sunt omnia, etiam extrema illorum omnium inopia, quæ ad uiuendum sunt per necessaria, quod'q; grauissimum est omnium, summa premitur rerū ignoratione, atq; inscitia, cum etiam ad sciendum sit, atq; ad contemplandum natus. Itaq; alia ad animalia cum respexeris, nihil homine nascitur à re præsenti destitutius, ac, si non displiceat uobis, q maxime docti estis, etiam inscitius, ignorantius'q;. Est igitur data homini indigentia, comes quasi quædā, uel excitatrix potius ad ea comparanda, quibus se'q;, uitam'q; & corpus tueatur, abijciat'q; ignorantiam.

Hominem natum esse ad agendum, agendo'q; informari.

Eundem hunc hominem nasci ad agendum docent, è quibus ipse constitutus est, partes, ac membra, Sunt enim nati pedes ad ferendum cor

pus reliquum, atq; ad inambulandum, manus ad tractandum, labo randumq;, ad uidendum oculi, ut ad audiendum aures, ad olfaciendum nares, aliaq; ad munera membra item alia ac partes corporis, quæ post subseruiant ei, consequendis illis, ad quæ natura duce, ac ratione, inopia etiam impellente trahitur. Agendo itaq; formam illis indit, ipsæq; actiones, quæ ab agendo dicuntur, informatrices sunt quasi quædam eorum. Quocirca & uirtutum quoq; omnium, quippe quæ honestis consumatisq; constituantur ex actionibus, ni forte uir tutes ipsæ eædem, honestæ sunt, ac laudabiles actiones, quæ formam quoq; suam pro subiecta materia referunt.

Singulis uirtutibus suam attributam esse materiam.

Singulis enim uirtutibus sua attributa est materia, tametsi nonnunquam eadem ipsa materia alijs quoq; subijcitur actionibus, atq; uirtutibus. Siquidem magnificentia, & liberalitas in pecunia uersantur eroganda, sed illa tantum dando, hæc uero magnifice potius ædificando, qua de re post fortasse uberius. Habetis optimi uiri, planeq;, ut arbitror, intellegitis, perinde, ut in constituenda generatione, infor mandis quoq; uirtutibus, materiam, formam, ac priuationem simul conuenire. Itaq; ad ea, à quibus digressi fortasse uidemur, redeamus.

Moueri appetitionem ob inopiam.

Nascitur igitur homo egenus, inops, omni etiam è parte necessarijs carens, quanquam quibus ipsi caremus, non egemus tamen omnibus, neq; enim flabello si caruerim, egeam illo in frigoribus, ac sub brumæ tempestates. Hinc itaque appetitio suscitatur eorum omnium, quibus aut ipsi caremus, aut eorum egeamus usibus. Hinc etiam expetitio eorum quoq;, quæ & commodiora & uitæ magis opportuna uisa sunt, magisq; honoratu digna iudicantur, in primis rerum cognititionis, atq; scientiæ. Nam cum rudes nascamur, ignariq;, simus etiam propter animum à ratione minime alieni, ob hanc ipsam consequendam rerum cognitionem, causasq; earum, ac rationem, tum intellegendi, tum sciendi maxime cupidi, & studiosi sumus. Laudabilissima sane res, supremumq; in modum spectanda, atq; honestanda expetitio rerum huiusmodi, atq;, ut proprie fortasse magis loquar, exoptatio. Quotus enim siue à natura, siue ab institutione, siue Dei dono, ac munere, siue ab ijs simul omnibus (quanquam quæ à

Deo tribuuntur, omni sunt è parte perfecta) quotus inquam sic est uel prædıtus, uel institutus, uel adornatus, ut expetisse ea magis iudicari debeat, quàm optasse? Quando eorum, quæ optantur, non tam actiones ipsæ nostræ futuræ per se ipsæ sunt assecutrices, quàm aut fortunæ opera, aut Dei beneficentia & munere.

De Fortuna.

Verum in maxima re, eaq; perdifficili, & rara, fortunæ habere rationem, nec pij esse, nec Christiani uidetur hominis. Atq; hæc quidem nequaquam eo consilio dicuntur à nobis, quo Peripateticorum sententijs aduersemur. Sed quod dum illis assentimur, uideri nolumus religionis nostræ immemores. Cum etiam quæ fortunæ attribuantur, eorum multa, fortasse & plurima, si per se ipsa consyderentur, ac non perinde, ut præter propositum, ac finem à nobis ipsis constitutum eueniunt, uideri possint ad rerum naturam prorsus referenda, uel ad secretiorem, incompertioremq; quandam constitutionem, cum tamen natura ipsa, ut mundus uniuersus deo pareat, obtemperetq; præscribenti. Necesse est enim & regere & moderari unum omnino omnia. Nam quod ad fortunam attinet, quis quæso modo sit aliquo ingenio præditus, quis inquam fortunam ipsam aut incertum, aut temerarium, aut sine causa, ordine, serieq; omnino ulla uagum, ac palans quippiam esse asserat? nemo profecto sanæ, sibiq; constantis mentis, atque consilij, hoc aut sentiat, aut profiteatur. Quid enim absq; causa? quid porro è causa ortum ducens, incertum? suoq; nec gradiens processu & ordine, aut temerarium? licet temerarium, quoad nostra intersit, uideatur. Verum enim latent nos & rerum causæ, & origines, earumq; progressus, atq; conuersiones sunt omnino incognitæ. Itaq; fortunæ nomen ipsum populare initio, atq; ab ignoratione ductum fortasse non temere quis arbitretur. Serunt agricolæ, neq; est prorsus annuus sationis prouentus, multaq; interim ante messem accidunt, præter illorum opinionem, & quanquam sunt prognosticorum, ac temporum obseruantissimi, aduersus opinionem tamen illorum, atque obseruationem contingunt non pauca, quæ quidem ipsa æque dicuntur, ac si uredines tempestates, nimbi è certis, constitutisq; minime proueniant causis, ac tum è cœli ipsius, ac stellarum commotionibus, tum ab elementorum inter se alternationibus pro seminum, ac soli ipsius natura, & habitu. Itaque dum fortunam uel accusamus uel causamur, & naturam & Deum ipsum criminamur, etiam calumniose, atque,

ut uerius fortasse loquamur, ignauiam nostram, detegimusq́; crimi nando ignorantiam, simulq; uitæ conquerimur tum imbecillitatem, tum breuitatem, quodq́; tanta etiam causarum ipsarum, cœlestiumq́; progressionum abstrusio sit, ac latibulum tantopere tenebricosum, conditionis penitus nostræ, mortalitatisq́; ipsius ob superbiam, arrogantiamq́; obliti. Verum ad nostra redeamus. Nascitur idem, ut dictum est, homo ad agendum, utq́; agendo assequatur, compareiq́; sibi ea, quæ deesse iam sentiet, unde actiuus est dictus. Cumq́; anima sit corporis ipsius humani perfectio, imperetq́; ipsa corpori (perfectionis enim imperium est) eiusq́; membra, ac partes omnes cum ad agẽdum pariter, ac faciendum sint appositæ, utetur & illis anima, perficiendi, atq; assequendi eius, ad quod intendit, quodq́; auet, atq; expetiscit gratia.

Vsum rationis homini tantum esse concessum.

Huius igitur ipsius animæ triplex cum sit uis, atq; potentia, & uegetandi, & sentiendi, & ratione utendi, uegetatio quidem & herbis & stirpibus cum homine est communis. Nam & illæ quoq; dicuntur uiuere, & quod hac præditæ sunt anima, dicuntur animantes. Sentiendi quoq; uis ipsa communis est homini cum belluis. Sola igitur actione, ac ratione animæ pars utens hominis est unius, huiusq́; ipsius omnino propria. Quo'circa suum ac peculiare hominis est cum ratione agere, illamq́; in agendo sequi, eiusq́; se dictis accommodare. Nulla enim absq; ratione actio est perfecta, finis autem perfectum quiddã est, et perfectissimæ cuiusq; actionis finis etiã perfectissimus.

Finem expeti quia bonum.

Cumq́; sit perfectio de ratione boni, id efficitur, ut finis icirco quia bonum est, expetatur, quodq́; aliud alio perfectius, illud perfectissimũ iudicandum est, quod & idem optimum. Perfectissimum igitur, atq; optimum idem quoq; est, & summum, ac bonorum omnium maxime uel expetendum, uel exoptandum, ad quod omni etiam sit studio contendendum, finisq́; idem ultimus, ad quem cæteri referantur omnes. fructus igitur uitæ humanæ totius actiones ipsæ sunt, ratione temperatæ & rectæ.

De ratione.

Ratio enim regendis, moderandisq́; hominum actionibus idem prorsus exercet ius, eademq́; authoritate utitur, qua in moderanda naui is,

qui dicitur

qui dicitur gubernator, quippe qui clauo inhærens, & uentos explorat, & cursum dirigit, & futuris de tempestatibus solicitus omnia simul circunspectat, & quæ timenda sunt, cauet, & quæ administrāda, quoq; administranda modo, et decernit, & imperat. Quocirca uita ipsa hominis, et in actiōibus homine dignis uersabitur, unde actiua est agnominata, & actionum ipsarum, uitæq; totius ratio dux erit, ac magistra, quando rationalis animæ pars homini solum est concessa, cum animalium cæterorum excellentia, & actiones ipsæ uitam hanc sic constituent, ut qui ita uixerit, & bene uixisse, & finem assecutus iudicetur illū, qui est nobis à natura propositus, ac per usum, habibtumq; ratione dictante comparandus. Qua uia futurus est finis ipse & perutilis, & iucundus admodum, ac natura ipsa humana dignus ac proprius, & à ratione constitutus, atq; in ætate bene constituta, ex eoq; etiam perfectus, quod agendo, ac diu multumq; exercendo fuerit comparatus, deniq; et summus et optimus, & iusti possessoris etiam iusta possessio, qui quidem ipse sit maxime consumato & iudicio, & officio.

Ex actionibus à ratione profectis uirtutes morales constitui.

Ut igitur uegetantis proprium munus est uiuere, sentientis uero sentire, sic eius quæ ratione utitur, agere cum ratione. Usus autem ipse morem inducit, quo fit ut actiones ipsæ à ratione profectæ illum sequantur, sintq; ex eo etiam morales dictæ. Eædem igitur actiones et morales, & secundum rationem progressæ ipsæ quidem uirtutes erunt, quando et rationem sequuntur, & à moribus nomen habēt. Cumq; rationis proprium munus, atq; officium sit, honestatem complecti, sitq; ratio ipsa norma quasi quædam recti, ea deniq; selectrix boni, & iudex honesti, erunt hæ ipsæ morales uirtutes, atq; actiones, tum honestæ, & rectæ tum ad bonum contendent. Honesti uero comes est laudatio, recti æquitas ac iustitia. Est enim rectitudo iustitiæ temperatrix, uel ipsa potius iustitia. Humanarum igitur actionum à ratione profectarum, illiq; se accommodātium finis est uirtus, uel eædem actiones sunt ipsæ sibi & finis, & bonum, quod ipsum homines etiam à natura ducti appetunt, illoq; ut potiantur, contendunt. Cum autem uirtutis ipsius moralis exsistat proprium, ac suum cuiusq; uirtutis munus, & definitum officium, ipsaq; in plureis uirtus secetur partes, quemadmodum ipsum quoq; diuiditur, bonum, sic aliarū

quidem uirtutum alia sunt & officia, & munera, ut temperantiæ, modestiæq;: temperare appetitum libidinis, modumq; adhibere tum uoluptatibus, tum doloribus, quæ non tam animum, quàm corpus ipsum, ac sensus male afficiunt, hominemq; ipsum, qui ex anima constituitur, ac corpore, ut etiam fortitudinis in periculis, ac maxime aspe ris belli laboribus, tum retinere, ac confirmare fiduciam, tum sedare metum, formidinemq; repellere, et confirmato animo mortem oppetere, dum ratio id ipsum suadeat, ut etiam prudentiæ, de qua præcipere hortatu præsertim uestro decreui, atq; itellectus, cuius prudẽtia ipsa alũna est, propriũ ac peculiare est, quãq; in actione, ac re administranda & metiri, & pensitare, & cuncta simul attendere, & ante quàm agendum quid suscipitur et postquam susceptum id est, & in eius progressione quid utile, quid contra inutile, quid sequi, & quid uitare, tum in eligendo, & decernendo, tum etiam in agendo, ac prosequendo debeamus. Cum uirtutis sit huius studium, intellectusq; ipsius officium multo ante, prospiciendi quæ obesse, quæ contra prodesse ualeant, quæ profutura sint, quæue etiam offutura. Quocirca uirtutum omnium & dux, & comes, & magistra quasi quædam merito est à doctis uiris habita, & ore pleniori à peritis, imperitisq; pariter laudata. De qua tamen ante quàm dicere ipse aggredior, quoniam actiones eò spectant nostræ, ut publice, ac priuatim bene uiuatur, uidendum est, ac si non plane explicandum, quod maioris est operæ, innuẽdum tamen, quodq; in pictura usu uenit, adumbrandũ quibusdã quasi coloribus, q̃d sit ipsum bene uiuere, quodq; permulti etiam, non bene solum, uerum beate quoq; quærunt uiuere, an alterũ sine altero sit uiro bene cõstituto per se satis. Ad hæc in quo differre uideãtur, Atq; ubi utriusq; cõpos factus q̃s fuerit, qualis hic ipse sit habendus, quãq; appellatione assecutio ipsa bene, beateq; uiuẽdi sit etiam uocitanda.

Quid sit bene uiuere.

Ex ijs igitur, quæ dicta sunt, efficitur primum ut bene uiuere sit non cuiusq; hominis, sed eius tantum, qui est bene ipse quidem constitutus, deinde ut ipsum bene uiuere, sit bene atq; cum ratione agere, & assidue quidem bene agere, continuatoq; studio, & opera in uita ipsa ciuili, hominumq; societate & cœtu. Neq; enim bene constitutus uir existimandus est aut solinagus, aut sui tantũ studiosus, atq; amator, uiuẽsq; in solitudine. Qui igitur ea aget, quæ et uiro, et ciue digna sunt bono, et patrefamilias frugi, quiq; pietatẽ colet, atq; iustitiã, Deo, patriæ,

parentibus, cognatis, amicis, ipsi hominum generi, quoadeius facultates tulerint, iusta honestaq; præstiterit, qui laboribus, atq; erumnis non cesserit, neq; succumbet aduersis, abhorrebit à turpibus, sequetur honesta, atq; commendatione digna, ipsamq; in primis naturam ratione & duce, & comite, aut hic bene dicetur uiuere, aut nomen ipsum bene uiuendi futile iudicandũ est, atq; omnino uanum. Poteram et breuius complecti definiens, bene illum uiuere, cui nihil desit, uirtutibus omnibus publice, priuatimq; exercendis. Sed magis placuit illum circunscribere. Nam quibus eum circunscribimus, in ijs uniuersis uirtutes ipsæ pro sua cuiusq;, sibiq; subiecta uersantur materia, quæ ubi minime defuerit, nec singulis uirtutibus, nec item uniuersis pro loco, re, ac tempore publice, priuatimq; exercendis, huic quomodo deesse poterunt facultates ad uictum, ad uestitum, ad cultum, ad tutandam, conseruandamq; tum honeste, tum abundanter rem familiarem, ac propriam, qua etiam prodesse alijs ualeat? Atq; hæc quidem ipsa satis esse ad bene uiuendum iudicari recte quidem possunt, cum usus ipse uirtutis sit uel etiam plenissimus honestissimæ uoluptatis, nullaq; exsistat uoluptas, solidior, quàm quæ ex honestis & claris capitur actionibus, eaq; ipsa è fonte uirtutis manet, ut hic ipse bene constitutus uir, comitem ad bene uiuendum secum habeat etiam uoluptatem, seq; & rationis usu dignam. Quod si, ut principi doctrinæ huius Aristoteli placet, summum hominis bonum est agere secundũ uirtutem, eamq; optimam inter alias ac perfectissimam, qui secundũ omnes bene aget, iure meritoq; suo non'ne hic et uere dicetur, & recte iudicabitur bene uiuere? non'ne & ille quoq; ipse optime, qui secundum cæterarum omnium præstantissimam? Pictorum quidem munus, atq; officium est omnium pingere, boni uero, bene pingere, & alius quidem (ut de Apelle tradit Propertius) In Veneris tabula summam sibi uindicat, alius alia in re depingenda. Excellentissimi uero pictorum est omnium, in omni picturæ genere retinuisse excellentiam. An fortasse seruare quispiam illud maluerit in hac, quæ est de bene uiuendo dissertione, quod Græci pariter, ac Latini seruant, ut cum dicatur absolute poëta, Homerus à Græcis, Virgilius à nostris intellegatur? Non quod illi in omni poëticæ genere fuerint eminentissimi, sed quod in heroo tantum maximeq; generoso carmine præferantur. Quando nec exacte in hac ipsa quæstione singula ita sunt quærẽda, ut ab Oratore exigas syllogismum, qui est Dialectici, cum illius sit proprium Enthymema. Et mercator quidem numeros digerit ad utilitatẽ uidelicet, ac mercaturæ usum, ab Arithme

tico uero numerorũ ipſorũ proportio, quæ et quãta ſit, quæritur. Cõmune igitur eſt homini quidẽ uiuere cum herbis, fruticibus, arboribus, itẽ belluis feriſq;, at hæc alitibus, piſcibus, addo & repentibus. Bene autẽ uiuere hominis eſt unius, quia unus ipſe ad agendũ, atq; contẽplãdũ eſt natus, atq; ob utrũq; reliquis excellit, quæ uitæ utũtur muneribus. Huiuſmodi uero excellentiæ poſſeſſio, ut bene, ut perfecte, nequaquam tamen omnibus, uel paucis admodum potius contingit hominibus, ut non pictorum è numero cuiq; aut poëtarum, aut medicorum contingit eſſe ſuo in genere, artificioq́; excellentem. Omnia enim perfecta rara, quod eadem ipſa ſunt admodũ difficilia, quæ quadraſſe ex omni parte, uidetur diuino quodam beneficio, potius quàm humano ingenio, atq; opera contingere, & quadraſſe illa bene inſtituti eſt hominis, non ad ſe ipſum, uerum ad Deum optimum maximum prorſus referre, Ac de bene uiuendo hac nunc in parte hactenus.

De beate uiuendo.

Quod uero ad beate uiuendum attinet, rei huius opinio ac mentio introducta eſt ab ijs, qui poſthabita, deſpectaq́; ratione, uitam admirati ſunt illorum, qui agerent in potentatibus, abundarentq́; copia generis omnis rerum, dum affluenter ipſi uiuunt magis quàm bene, abuunturq́; potius quàm utuntur rerũ ipſarum copia, eamq; non tam ad frugem conuertunt, quàm in ſuam ipſorum, ac rerum ſimul perditionem, ut magis ipſi trahantur à ſenſu, quàm ducantur à ratione. Quod mihi quidem uidetur inde ortum ducere, quod in generatione hominis, prima cum ſit animalis pars ea, quæ uitalis eſt, communiſq́; animantibus omnibus ſequatur autem ſecundo loco pars altera, cuius munus eſt ſentire. Ex hac coniunctione, ac propinquitate hæc ipſa ſentiens uis admirabili afficiatur cupiditate & ſtudio uitæ, ad illaq́; mouetur ſemper maxime, quæ uitæ cõferre cenſeat. Tertia uero pars, quæ à ratione nomen ducat, ſic accedit atq; annectitur ſentienti, ut tanquam perfectior imperare debeat inferiori, ac minus perfectæ. Et ſentiens quidem illa pars, quo uitali propinquius conciliatur, eo minus rationi obſequitur, digrediturq́; ab illa longius, quo uero fit rationali cognatior, eo obedientius rationi ſeſe accommodat. Quo'circa corrupta pars ipſa quæ media eſt, deprauataq́; illud unum quærit, totaq́; in eo eſt, referturq́; ad illud, ut otium ſequatur, turpeſq́; uoluptates. Otium autem aduerſatur negotio, uoluptas mala labori, qui actionum omnium eſt comes. Quid quod ut honeſtũ quod

est, illud hominis tantum est, propter rationem, sic quod turpe belluarum? quippe quæ illa careant, ac magis, magisq; inclinent ad uegetalem. In hac uero ipsa deprauatione illud usu uenit, quod in bilancibus, quarum altera quo propendeat, eo trahit, præcipitatq; secum alteram. Accedit huic malo inhonesta sæpe institutio, maleq; ipsa temperata, quo fit ut relictis actionibus, pessundataq; ratione, illi ipsi ferantur, qui sic affecti fuerint à sensibus magis, quàm ut à ratione temperentur. Nec uero agere illis propositum est, sed cessare, nec rationali dare operam parti, illiq; inhærere, atq; animum colere, sed belluarum more, corpori tantum incumbere, omni studio, & opera. Qua è re uitia illa manant omnia, quæ otij sunt, uoluptatisq; malæ assectæ, tam hominum propria, quàm, ut dixi, belluarum, quæ nunquam quidem quiescunt, nisi cum repletæ sunt, etiam supra saturitatem, à qua grauissime premantur. quibus eo deteriores sunt homines, quod ratione contaminata, rationis ipsius munera conuertunt ad assequendas, atq; abutendas turpissimas cupiditates, copia ipsa rerum sufficiente materiam. Quo in genere uitij atq; in tanta hac declinatione humana ab excellẽtia, tantoq; in abusu cum rei familiaris tum sensus, animiq;, ac rationis ipsius, è Romanis principibus Heliogabalus, Gallienusq; ante alios emineure. Hic igitur abusus, tantaq; & appetitus & rationis contaminatio cum uerteretur in admirationem, extolleretur q; à quibusdam, qui docti, sapientesq; haberentur, cum & illi propter rerum copiam, uoluptatumq; affluentiam tantam, in primisq; ob molestiarum uacuitatem, ac laborũ, beati putarentur, causam attulisse uidentur, beate uiuere ut putaretur esse aliud à bene uiuendo, de quo paulo ante diximus. Quod si beate uiuere est, curis, molestijs, laboribusq; uacantem esse hominem, & inertia, desidia, lasciuiaq; languescere, abutentem & corporis & fortunæ, & animi bonis, tollitur ut uiuere secundum rationem ac uirtutem, sit ipsum bene uiuere. Quota enim uirtus, in qua exercenda non & curæ multiplices, & labores permulti, & molestiæ admodum etiam graues suscipiantur? An quæso quæ obeuntur pericula, qui suscipiuntur à forti uiro labores, uacare eos dicemus, etiam supremum in modum angentibus curis? cum sit aut gladio cõparanda uictoria, aut subeunda mors, cum pugnetur de sanguine, de honore, de libertate, quibus in uita ducenda, ac gerendis rebus nihil sit omnino carius, nihil etiam optabilius. Age temperare appetitum libidinis, sedare dolores, no'ne est in primis difficile? quod si difficile, nunquid non & laboriosum & graue? Itaque labores qui tollunt,

& honestas & praeclaras actiones tollunt, quae sunt uitae ipsius humanae fructus, tollunt & uirtutem, deniq; & laudem, & gloriam, quae lux quasi quaedam & actiones illustrat, & ipsos etiam authores. An non gerere magistratus, atq; in summis uersari honoribus, est quasi se ipsum laboribus mersare, atq; molestijs? de quibus recte quidem dici illud potest, quod in fabulis de illis legitur, qui apud inferos in Phlegethonte cruciantur.

De Voluptate.

Locus autem hic ipse admonet, de uoluptate aliquid ut explicemus, de qua in ijs quoq; libris, qui sunt à nobis scripti de Fortitudine, nõ pauca sunt etiam disputata. Eam scilicet esse duplicem, ducereq; à natura ipsa ortum. Vtilia enim ac bona quaecunq; naturaliter uoluptatem afferunt, & alteram quidem, cuius principia, atque ortus sint à laboribus, molestijs, difficultatibus, post uero incrementum eius, atque progressio sit maxima cum iucunditate & laetitia, alteram uero, cuius educatio sit à mollitie, langore, desidia, exitusq; plerunq; dolorum plenus, ac tristitiae, non raro etiam calamitosus. Atque haec quidem ipsa uoluptatis species uitiorum est comes, ac turpitudinis socia, at altera illa uirtutis, atque actionum omnium, quae sunt secundum uirtutem. Qua enim è re aut maior capietur uoluptas, aut plenior, aut optabilior, aut naturae congruentior, quàm è iustis, liberalibus, fortibus, magnanimisq; actionibus? Quid enim iucundius, quàm pie egisse? quàm in homines benefice? in Deos religiose? Atq; hanc quidem ipsam uoluptatem nulli dolores corrumpere, nulla uis eripere, nulla fortunae procella impellere in scopulũ potest, nostra est, permanebitq; nobiscum, quandiu memoria ipsa, recteq; factorum recordatio permanebit. Deducitur ad Grammaticum ingemiscens, ac plorans puer, eripitur illi ludus, qui eius aetatis est proprius, sentit saepius doctoris, atq; correctoris ferulam, obiurgationesq; grauissimas, cogitur uigilare ad multam noctem, matutino tempore expergisci, in librum incumbere, & omni fere uigiliae, ac diei tempore, nunc ingenium exercere, nunc memoriam, post & uocem, dum recitare quae à doctore accepit cogitur inter increpationes, & scuticam. Quid his omnibus molestius, grauius, tristius, addam & lacrimosius? Haec omnia perpessus est Virgilius, adijce & summas rei domesticae, ac natalis soli angustias. Sed quaenam quaeso maior, quae inquam maior, solidior, exquisitior, optatior, atq; omnis

è parte perfectior uoluptas, quàm cum princeps orbis terarum Augustus, senatus item, ac populus Romanus gentium dominus assurrexit in publico recitanti? Quae Aristotelem comitabatur uoluptas, mulcebatq; instruentem non Athenas modo, non Graciam totam, uerum orbem ipsum terarum uniuersum? aperientemq; secreta naturae ante penitus incognita, ac latentia in abstruso? seq; ipsum reputantem, ac merito etiam gloriantem, sua peruestigatione, suis uigiliis ad ea peruenisse, quae Graecorum aut Aegyptiorũ nullus esset antea consecutus? Quae illius magistrum Platonem, quem Graecia, Sicilia, Italia supra hominem uenerata est, quem Reges propter ingenij excellentiam suspexerunt, admirati sunt populi, coluerunt quicunq; diuinarum, humanarumq; habere rerum cognitionem uolebant, cum omnis recta cognitio ab illius institutiõe, atq; doctrina duxerit exordium. Quod quidem ob meritum id pretij ab hominibus retulit, diuinus ut appellaretur. Sed redeamus unde digressi sumus, confiteamurq; bene qui uiuant, idest qui uirtutem colant, honestisq; uersentur in actionibus, uera illos, perfectaq;, & homine digna uoluptate frui. At uoluptatem illam, quae in popinis, ganeis, plumaq; domicilium sibi constituit, et fallacem esse et imperfectam, & summorum etiam dolorum altricem, atque administram, eiusq; plerunq; fructus esse calamitosos. Cum haec ipsa, quae honestatis est socia, plurimum ubiq; conferat, & ad beate uiuendum, qua de re nunc agimus, & ad felicitatem, quae summum est bonorum omnium. Eam igitur ipsam uoluptatem, quod in animo, honestisq; est actionibus cõstituta, quod tranquillitatis est amica, ac ueri boni comes, quod de tellure Poëtae dicunt, almam iure suo uocabimus. Quin etiam quod rectores urbium, ac populorum principes, locupletissimos item homines, abundare plurimis, indigere nullis cernerent, atq; in uoluptabus agere, beatos uocauere, eadem qua deos appellatione, decepti sane multis de causis. Siquidem nulli hominum generi plura desunt, deestq; illis cum primis animus bene constitutus, ac plerunq; honestus ille rerum ac diuitiarũ usus, qui est secundũ rationẽ, ac rectam et utendi et uiuẽdi regulã, desunt artes bonae, ac rectae praesertim cogitationes, & mentis illa sanitas, sine qua nec beate qs uiuere, nec felix esse potest. At contra ijs abundant, quae nõ modo superuacanea, uerũ etiã perq̃ inutilia sunt, maximeq; perniciosa. Abũdant assentatoribus, lenonibus, malarũ, turpissimarũq; uoluptatũ ministris, qui rapinarũ admoneant, qui ad improbitatẽ impellant, qui etiã ad auaritiã, atq; ad deorũ contemptũ, flagitiaq; ad alia, quae ciuibus priua

tisq́; hominibus uix in mentem ueniunt, illorumq́; prætereunt cogitationes. Videas quosdam in summa copia maxime inopes, alios in maxima potentia, sibi ipsis, rebusq́; suis ubiq; diffidentes, omnia formidare, odio cunctos prosequi, nulli credere, de suspicione, ac metu somnum non capere, hos aut ueneno, aut aperta ui filios sustulisse, illos aut fratres, aut parentes, aut ex coniunctissimis aliquem, quin etiam ipsi sibi qui manum consciuerint. Quis igitur beate dixerit horum quempiam uiuere? Quis uitæ sibi beatæ, felicisq́; eos exemplum statuat? nisi qui illis ipsis fuerit longe deterior, atq; à ratione magis alienus, multoq́; etiam ignorantior? Diuitijs quidem si careas, uocabere tantum pauper, Sin illas cum possideas, minime utare, earũ possessio quem afferat fructum? quibus male si utare, abundas iam instrumento ad omnem & nequitiam, & malitiam, atq; ad postrema quæq; flagitia. Qua è re & diuitiæ pessum dedere sæpenumero diuites non paucos, & principatus, exitium non raro peperere dominantibus. Ac pauperi adesse quidem probitas potest, & recti, atq; honesti studium. At male utenti diuitijs, abutentiq́; principatu, contraria his insunt studia, & artes, atq; cogitationes contrariæ. Itaq; dum falsa creditur existimatione nihil illis deesse, desunt re ipsa plurima, et optima etiam quæq;, eademq́; pulcherrima, sine quibus beate uiui nullo modo possit. At utetur diues & recte, & bene diuitijs, ac rebus partis, utetur & principatu in illo qui est constitutus. Et bene quidem, ac beate ab utroq; & agitur, & uiuitur. Verum beatitudo hæc nõ tam à diuitijs manat, atq; à dominatu, quàm à iustis, honestisq́; actionibus, atq; ex usu, qui sit rectus, ac secundum rationẽ rectam. Nam diuitiarum, ac potentiæ sola quidem est materiæ subministratio, bene uero agendi, atq; utendi recte modus, animi, ac rationis proprium munus est, atq; officium, eiusdemq́; ut recte, sic & perfecte, & cum iucunditate. Itaq; ad beate uiuendum, diuitiæ, ac principatus materiam tantum conferunt, usum autem, rectamq́; administrationem, quæ uirtutis est ipsius forma, è qua laus manat omnis, & boni, & perfecti magistra ratio docet, & animus ipse exercet, temperatq́; bene quidem ipse constitutus, cuius illud proprium est officium. Neq; enim laus statuæ est in ære, aut marmore, sed in artificis opera, idest in opere ab artifice è marmore informato, uel in ipsa potius informatione, lausq́;, atq; suspectio operis ab eo quidem existit, proficisciturq́;, bene qui sculpsit, expressitq́; naturam, minime uero è marmore, ac materia. Tametsi laudari quidẽ potest materia ut apposita, ut peridonea, statuæ tamen perfectio, & uiuenti similis

forma tota est ab informante. Vt autem similitudine magis fortasse utamur propria, laudatur Homeri poësis à forma, non à subiecta re, hoc est Troiano à bello, in quo pleraq; referuntur fabulosa, minimeq; uerisimilia, cum inuenti etiam sint, qui dixerint, nullum illud omnino fuisse bellum, ueruntamen ut bellum ipsum fuerit, utq; Europæ, atq; Asiæ orbis fatis concurrerit, commendatur tamen Homeri poëma à sola informatione, præclarissimaq;, et absolutissima operis totius constitutione. Id quod non ex omni contingit parte in Lucani poëmate, propter formam neq; absolutam, neq; sibi parte ex omni constantem. Etsi materia ipsa neq; conspectior offerri, atq; haud scio, an uberior potuerit. Quo fit, ut beate uiuere nullo modo queat, qui non & ipse bene etiam uiuat, cum tamen beate possit, qui bene. Nam si nec beate, ubi illi defuerint ad bene agendum facultates, semper tamen bene, beateq;, cum recte utenti affuerint. Quam ob rem bene q uixerit, & beate illum, & bene uixisse satis constat. Dici enim uere nequit, bene illum, ac beate uixisse, cui materia defuerit ad agendū. Recte nanq;, & bene, & secundū rationem agentes, et beate, et bene dicuntur uiuere, neq; enim agit, materia cui desit agendi. Itaq; bene, ac beate uiuere non uidētur aliquo modo seiūgenda. Tametsi apud " Terentium populariter ille inquit, uixit, dum uixit bene ad uoluptatem illud referens, uitamq; luxu diffluentem. Quantopere autem luxus sit accusandus, colendi agri studium docet, prudēs enim Agricola, ac rei suæ rationem habens, Luxuriem segetum tenera depascit in herba. Omnis enim superfluentia uitium est.

An qui bene, ac beate uiuunt, dicendi sint beati.

Quibus explicatis restat quærere, num ut qui fortiter agunt, fortes, qui temperanter, temperati, hi ne ipsi beati dicantur, qui bene, ac beate uiuant? Atqui nomen ipsum ducendum potius uidetur à causa potiore. Nam beatitudo fere præ se tantum fert & molestiarum carentiam, & rerum omnium affluentiam, cum maxima etiam uoluptate. Sed nos bene uiuere, uoluptatem esse, nec ponimus, nec esse uolumus, & rerum copia commendatur ab honesto usu. Verum uoluptatem ipsam bene uiuendi comitem esse dicimus, honestarumq; actionū. Honesta autem omnia iucunditatem afferunt. Itaq; quemadmodum uidemus sub sole umbram naturaliter corpus sequi, cum umbra tamen ipsa non constituat corpus, sed ea potius de corpore constituatur sub sole. Sic uoluptas sequitur eas, quæ uirtutem constituunt actiones,

Quippe quæ nunquam discedat à bene uiuendo, non tamen ut bene uiuere, ac secundum rectam rationem agere, susceptum sit propter uoluptatem, sed propter seipsum. Laudantur præclara facinora, ac nobilissimæ quæq; actiones publicæ, priuatimq; commendantur, non quod actiones ipsæ susceptæ fuerint aucupandæ laudis gratia, sed uirtutis. Cum tamen honeste, generoseq; factorum fidelissima ubiq; comes sit laus, atq; commendatio. Erit igitur alio hic nomine, & suo, ac maxime proprio exornandus, quem maiores nostri felicem uocauere, non pauci etiam beatum. Nam & uitam beatam dixere quidã libentius, quàm felicem. Sed nomen ipsum felicitatis magis sibi constat, & hodie apud Philosophantes pro summo accipitur bono. Quocirca ut quid ipsa sit, & quæ felicitas facilius, atq; apertius declaretur, prius qui, & qualis felix sit uir, uidetur circunscribendus.

Qui, & qualis sit homo bene constitutus.

Censet Aristoteles summũ esse hominis, ciuili in societate agentis bonũ, secundum rationem agere, seq;, ac res ad illam suas referre debere, bene uidelicet constituti hominis, & in ea ætate constituti, ut norit, intellegat, sciat, quid ratio ipsa sit, quid secundum rationem agere, qđ sit ipsum quoq; bene agere, et quam ob causam bene sit agendum, qui sit, & qualis bene agendi finis, & quam ad metam actiones dirigẽdæ, cur deniq; ad felicitatem undiq; contendatur. Quo igitur felicitatem ipsam facilius, ac distincte magis intellegatis, qui eam sit adepturus, primo quidem amatorem illum constituimus ciuilis societatis, uiuentemq; in hominũ cœtu, sub legibusq; communibus. Ad hæc studiosum iusti, honestiq;, ac ciuilium consuetudinum, cumprimisq; publici boni, demum referentem ad rectum, honestumq; omnia, idest ad rationem, quæ sola est hominis, habetq; nihil omnino cum belluis cõmune. Secundo autem loco puerum esse eum nolumus, neq; annis, neq; moribus. Nã neq; puerilis ætas capax est rationis, cum uinci se turpibus ab affectionibus patiatur, neq; ciuilibus est apta muneribus propter teneritudinem, atq; inscitiam. Sũmum enim quæri ab eo bonũ oportet, qui & illud noscitet, peruestigetq;, et animum continuo exerceat, in ijs, quæ rationis tantum sunt, ac secundum eam ipsam & agenda, & cogitanda, cuius etiam uestigijs ubiq; inhæreat. Nã pueriles in sene mores, multo quàm ætas ipsa puerilis, minus sunt consequendam ad felicitatem idonei. Qui igitur ita sit affectus animo, bene eum constitutum dicimus, quodq; bene constitutus sit, adipiscendæ fe

licitati omni è parte idoneum, muneriq́; tanto appositum. His igitur, talibusq́; erit artibus initio præditus is, quē nos quidem assequendā ad felicitatem instruimus, idest ad comparandum summum mortalium actionum, ac desyderiorum omnium bonum, nec solum summum, uerum etiam honestissimum, ac multo maxime iucundū. Huic item ipsi inesse, atq; adesse uolumus partes, ac uires omnes corporis integras, beneq; ualētes. Ager enim glareosus, atq; ex arena constās, male etiam situs, minime est fertilitati accommodus. Præterea corporis ipsius speciem cum dignitate. Turpitudo enim, atq; deformitas ꝑ ridicula est. At felicitas nihil in se habet ridiculū aut despicabile, cū sit ipsa maxime per se admirabilis propter raritatē, atq; excellentiā. Itaq; fœda hominē facie, ac deformi corpore, adipiscendæ felicitati esse haud satis idoneū, Vatinius ille declarauit, ꝗ non risui solū, atq; contēptui permultis è partibus erat expositus, uerū etiā cunctis ferè ciuibus odio fuit, atq; inuidiæ. At felicem et admiramur oēs, & colimus, et summo in pretio habemus. Quis autem magistratus, aut honor tantam præ se fert maiestatem, quanta felicitatem comitatur et authoritas, et dignitas, et reuerētia? Vt igitur partes ipsæ omnes corporis bene, decenterq́; dispositæ, et conformatæ speciē constituunt, species uero ipsa undiq; sibi constans primo indolē, post uero dignitatē, atq; exspectationē, sic partes simul singulæ, quæ quoddā quasi corpus maxime absolutū, felicitatem constituunt, necesse est undiq; sint oēs & uniuersim, & particulatim bene, decenterq́; appositæ, et cū dignitate collocatæ, etiam ad ornatum, et cultum, nedum ad formā ipsam, & speciē constituendā. Itaq; nec nobilitas huic deerit, nec genus, aut maiorū commendatio, domesticaúe ad uirtutem exēpla. Volumus enī quod Cicero in inquirendo, ac describendo oratore facit, ꝑficere felicem, qualis fortasse fuerit nusquā inuētus, qui tamē esse, et qualis debeat, aperte ut intellegatis, nihil illi neq; corporis, animiq́;, neq; externis è bonis ꝗbus opus est, aut quod deceat omnino defuturū, Sciatisq́; ut summum, sic rarissimum, & adeptu difficillimum bonum esse felicitatem. Sed ꝗd admiremur hæc in ea, de qua nunc agimus, felicitate? Cū natura ipsa in corporis, sensuumq́; absoluta constitutione fabricāda sic laboret, ut perfecta undiq; species nullo unquā in homine cōperta fuerit, aut uisa, & siquando uisa, non tamen diu sibi constans, cum omnia sint in motu posita, nec eodem in loco, status illorū paulo sit etiam diuturnior. Erit igitur huic ipsi homini, quem, ut dictum est, quasi ad felicitatem instituimus, genus clarum, parentes etiam clari. Nam etsi tum Poëtæ, tum rerum gestarum scriptores ad Romuli

accumulant excellentiam, quod fuerit Marte genitus, atq; à lupa edu catus, tamen quibus credas Romulum agitatum doloribus, quaq́; ira percitum, cum ab Sabinis hostibus palàm increpitaretur, conuitiantibus mentitum Dei genus, natum ex incesto coitu, incerto patre, nutri ce maxime fœda, & fera alitum. Quid enim ciuili in uita opprobrio sius, q̃ non legitime esse genitum? q̃ ferarũ more, ne dicam à feris esse eductum? ut Romulum, ac Cyrum ferunt. Cum contra ad Gracchorũ exquisitam laudem, magnã accessionem fecerit Cornelia mater. Et quoniam felicem hominem, ut Cicero eloquentem, perquirimus, quis nã exstiterit artifex, qs inquã aut artifex, aut faber exstiterit, mate ria si defuerit, qs deniq; perfectus, ni materia ipsa parte ex omni ido nea fuerit, et accommodata? quæq; nõ solũ bene informari possit, ue rũ etiã eleganter, digne, conspecte, pulchre? Quid uero dignius, aut elegãtius, quid itẽ felicitate pulchrius conspectius'ue? Quo'circa ades se huic uiro materiã uolumus, diuitias scilicet, atq; externa bona, qui bus pro materia utatur, quæ si fuerint paterna, auitaq́;, sintq́;, ut uul gus definit, non parta labore, sed relicta, felicitatem multo qdẽ ille ipse sibi comparabit facilius. Sin et materia quoq; ab illo ipso p uirtu tẽ, honestasq́;, atq; homine dignas cõparabitur actiones, felicitas ipsa, sua nimirum illius, & propria, peculiarisq́; magis fuerit, tituloq́; magis legitimo uindicata, ut qui nati à naturaq́; quodammodo in stituti ad uirtutem sunt, & à seipsis perq́; semet ad illam se accommodant, laudabiliores, atq; admirabiliores multo sunt, itemq́; conspe ctiores, quàm qui ab institutore, ac magistro aliquo. Ipsas uero diuiti as, externorumq́; bonorum abundatiam, ad copiam referri, non ad superfluentiam, ac luxum uolumus. Nam si felicitas uirtute maxime comparatur, perq́; honestas, ac rationabiles actiones, ipsa uero uirtus mediocritas cum sit quædam, & copia quoq; bonorum, ipsaq́; esse ma teria mediocris debet. Est enim superfluentia, ac luxuries uitium è ni mio profectum, è quo & ægritudines tum animi, tum corporis ma gna è parte profluunt. Ipsa uero externorum bonorum, ac maxime diuitiarum mediocritas, erit eiusmodi, ut nihil possidenti desit, ut satis ipsa sit, beneq; sufficiat opportuna omnia, & quoties usus uo cauerit, sit etiam præsto'. Neq; indignabimur quod formosa in muliere usu uenit, estq́; commendatione dignum, ut sit etiam honeste ornata, ac decenter culta. Etenim ut in corporis bonis uires requiri mus, partiumq́; omnium corporis ualentiam, ac bonum robur, non tamen ut quẽ nũc ad felicitatẽ dirigimus, is habeat Milonis robur, aut Ladæ celeritatem. Nã nec felix hic ipse, de quo agimus, ad currendũ

in stadio

in stadio natus est, uerum si currendum forte fuerit, bene curret, neq; ad ferendum humeris taurum, quod ne baiulatoris quidem munus est, aut fossoris, nedũ ut sit bene constituti ciuis. Sed quoties usus, honestas'q; uocauerit, & clypeum feret, & iaculum, beneq; & iaculabitur, & pugnabit sub clypeo. Sic bonorum externorum sua quædam est mensura, quæ tamẽ plena sit, abunde'q; cumulata, atq; ubi, & quoties opus fuerit, suppeditet usui materiam etiam uberẽ, honestis'q; actionibus. Eaq; ab usu honesto, & recto magis est terminanda, quàm dialecticis disputationibus. Et quoniam huic ipsi, quem circunscribimus, ducenda uidetur uxor, proles'q; honeste suscipienda, ne aut naturæ aduersetur, aut legibus, ea quidem ita suscipietur, liberis ne careat, quin ut plureis etiam habeat, qui tamen singulis fœturis gemini si nascantur, aut trigemini, bene quidem cum illo actum fuerit, non tamen ut aut hoc illi sit desyderandum, quod quidem uerendum est potius, aut si contingat, non in bonam uertat partem. An fortasse ut absq; centenis esse liberis felix poterit, quippe qui etiam sine filiorum Herculis numero felix quidem erit, sic absq; diuitiarum superfluentia, atq; luxuriæ? Nam & nimia lux prospectum eripit, qui tamen esse absq; luce omnino nequeat. Itaq; ut uires corporis eiusmodi esse uolumus, quæ bene, & ualide sibi constent, ad obeunda animi imperia, corporis'q; ipsius munera, sic et diuitiarum, externorum'q; bonorum copiam talem, ac tantam, quæ abũde etiã suggerat necessaria, quoties usus, honestas'q; postulauerit, et recte agẽdi ratio.

Quid, & quale sit satis.

Nec uero hoc ipsum quod recte quidem satis dicatur, quod'q; recentioribus à Philosophis sufficiens dictitatur, sic intellegi uolumus, ut qđ indusiarijs, sutoribus'q; contingit, satis habere materiæ putetur, dum tantum ei sit alutæ, ut inde calceus, tantum panni, ut inde pallium fieri possit, ultra uero nihil omnino sit reliquum. Quin & sutorem bonum, quo concinnet calceum etiam bonum, è lato corio, ac pelle, & indusiarium è panno superante & amplo, alterum calceum incidere, alterum uestimentum malumus, ut reliquiæ etiam supersint, ne' ue laborare uideatur inopia. Ne mihi quidem conuiuium illud esse uideatur, nec conuiua lautus, aut splendidus, è quo, discubitum ubi fuerit, nihil supersit reliquiarum in mensa. Prædia quoq; ita habentur à locupletibus, & fortunatis ciuibus, ut non familiæ solum fundant quæ satis tantum fuerint (inde enim fundi dicti) uerũ ad usum

satis et sufficiens

Fundus

quoq; uberiorem, largioreq́;. Bona igitur externa, quæ procedenti ad felicitatem pro materia seruiant, ad possidendum, utendumq́; secundum rectam rationem, & ipsa quoq; copiosa, & possidente digna erunt, perq; utenti accommoda.

De bonis corporis.

Corporis quoq; bonorum ea habenda est ratio, ac tenenda regula, ut species ipsa eiusq́; constitutio sit & decora undiq;, & partes tum singulæ, tum simul cunctæ sint ad munus quæq; suum appositæ, etiam sua cum dignitate, & gratia. Nam si tota species decora, et partes singulæ erunt item decoræ. Igitur ubi conformatio ipsa corporis, posituraq́; partium omniũ, undiq; fuerit absoluta, ac uires ipsæ integræ, neq; Milonis robur, Ladæq́; si affuerit celeritas, felicitatem multum adiuuant, neq; si defuerint, labefactant illam. Quippe quibus nullo pacto felix indigeat, ac multo minus Pyrrhi Epirotarum regis pollice, aut eius oculis, qui è Lilybæo Siciliæ classem Carthaginiẽsi è portu soluentem conspicabatur, dinumerabatq́; uelorum numerum, ac nauium seriem. Hoc est igitur quod Aristoteles, quiq́; alij illum secuti de moribus disserunt, pingui aiunt Minerua agendum in ijs esse, uidelicet dissertionibus minime dialecticis, sed quas probare usus, & commendare ratio ciuilis possit. Igitur cum de fortunæ idest externis, deq; corporis, quæ necessaria uisa sunt, bonis disseruerimus, ad animi transeamus bona, quæ aut ipsa felicitatem constituunt, aut eadem ipsa potius sunt felicitas. Tria enim tantum bonorum sunt genera, ciuili ab homine, beneq; constituto, ac ciuili in societate uiuenti quærenda, atq; expetenda. Nam quæ ad Deum spectant, atq; ad eundem ipsum hominem, utpote cum cœlitibus communitatem quandam habentem, alterius fortasse quàm ciuilis facultatis, disciplinæq; munus fuerit id ipsum quærere. Tametsi qui iuste erga homines sese habet, erga deum quoq; ipsum pie, reuerenter, religioseq́; sese habeat necesse est. Quando absq; religione, deiq; optimi maximi cultu felicitas exsistere nullo modo potest, nec ratione aliqua comparari.

Felicitatem pertinere ad hominem tantum.

Bona igitur illa, de quibus est iam dictum, animi bonis inferiora sunt, minusq; præstantia, illiq; ob hoc subseruiunt. Quo enim aut in furioso robur, nisi ad maiorem eius infelicitatem? aut in torpenti, &

stupido diuitiæ, præter quàm ad infamiam? qui neq; illis utatur, neq; sciat omnino uti. Nam furiosus ignem illis immiserit, se'q; post iniecerit conflagrantibus. Cũ igitur animi, externis præstent bona, illa'q; sint ad usum tantum comparanda, usus autem ipse minime laudetur, nisi fuerit ratione temperatus, hæc uero ipsa temperatio animi cum sit rationi sese accommodantis, nimirum animus est, ad quem alia illa omnia referantur. Homo igitur cum sit ipse ad agendum natus, solus'q; animalium omnium ratione præditus, animi profecto, qui in homine ipso præstat, præluceti'q; actiones, bonum illud, ad quod alia referũtur, aut ipsæ adipiscentur, hoc est per eas ipsas homo, aut actiones ipsæ erunt ipsum illud summum, & honestissimum bonum, ac maxime omnium homini expetendum. Quem quidem hominem solum utiq; qua parte anima rationalis est, seorsum ab alijs rationale constituit animal. Quo fit ut homo solus appellari, & esse felix possit, quando ratione solus utitur, ijs'q; actionibus, quibus solis felicitas comparetur.

Actiones ipsas oportere honestas esse.

Quæ, quoniam non modo summum humanorum est bonorum omniũ, cum cætera ad illam referantur, uerum etiam honestissimum, oportet ipsas quoq; actiones ubiq; ad honestatem sese adiungere, neq; ab honesti curriculo pacto ullo deflectere. Quid quod ciuili in consuetudine, & uita tum honestas, tum iustitia primum obtinent locum? Igitur si ciuile, & humanum est bonum felicitas, & actiones esse humanas oportet, uidelicet tum honestas, tum iustas, cum honestas turpitudinis, iustitia iniquitatis, improbitatis, uiolentiæ, rapinæ'q; sit aduersaria. Quo'circa qui ad felicitatem instituitur, & honesti, & iusti erit cum primis studiosus, quæ duo & uincula sunt societatis humanæ, & per ea actiones ipsæ commendantur. Ad hæc rationis eius, quæ in ciuitatibus uersatur, uita'q; sociabili, prima est iusti, atq; honesti cura. Neq; enim consistere aliter humana societas, hominum'q; ipsorum inter se cœtus ualeat, nedum ut absq; illis consequi felicitatem quis nequeat, quæ quidem aut fortasse nulla in solitudine agenti contingit, aut multis è partibus manca, et mutila. Videte obsecro quanta uis sit honesti, quod maiores illi nostri laudatissimi uiri cum laudare insigni aliquam specie mulierem uellent, honesta eam facie esse dicerent, et cum genus cuiuspiam, ac familiam commendare, honestis illum è parentibus ortum prædicarent. Iure igitur actiões cum primis sunt ab honestate commendandæ, atq; à iustitia, quæ uincu

lum est ciuitatum omnium, totius'q; societatis humanæ, qua sine neq; rectum, neq; æquabile, neq; quod inolescat, & crescat cum diuturnitate aliqua prorsus est nullum. Id quod in bona, & mala corporis ualetudine declaratur. Inæqualitas enim humorum, uis'q; illorum intemperantior ægritudinem gignit, secus uero æqualitas sanitatem. Quid quod rectum præter iustum omnino est nullum? recta enim quæ sunt, plus minus'ue in hanc, quàm illam in partem dextra sinistra'ue nullo modo declinant. Et in altero quidem hoc est nimio, exceditur, quod est uim afferre, In altero peccatur deficiendo, parúq; reddendo cuiq; quod suum est. Et quoniam iusti, honesti'q; potissima habetur ciuilibus à legibus cura, fuitq; uel maximum hoc ipsum illorum studium qui leges condidere, eundem hunc, quem ad felicitatem dirigimus, uolumus ciuilium legum maxime studiosum esse, ad easq; actiones illum suas publice, priuatim'q; accommodare, ut non solum sciat quid patriæ, quid parentibus, quid ciuibus quoq;, uerum etiã quid aduenis, atq; peregrinis debeat, quo munus implere, atq; officium suum omni è parte ualeat. Est enim felicis hominis maxime proprium officium & bene agere, et erga plurimos bene agere, idq; assidue, & cum iucunditate. Iure igitur indoluisse fertur Scipio Africanus, quod amici diem amisisset, in quo beneficium contulisset nemini. Itaq; quod natus sit hic ipse sociabilis, erit societatis conseruandæ omni qua possit arte, atq; officio studiosus, conferẽs publice, priuatim'q;, multis & dando, et benefaciendo, quantum tamen facultates tulerint, delectu adhibito, atq; usu à ratione temperato. In primis autem dabit operam amicitiæ tum comparandæ, tum etiã honestis artibus conseruandæ. Habetis iam qualem eum esse oporteat, quem bene constitutum dicimus, adipiscendam'q; ad felicitatem idoneum.

Bene constitutum hominem, nec puerum, nec adolescentem esse posse.

Quod autem pueritia præter ludos, quædam'q; ætatis eius delinimenta, aliud quærat, aut probet nihil, quod'q; adolescentia quoq; plerunq; inhonestas sequatur uoluptates, quibus capta regendam sese turpibus permittit cupiditatibus, accedat oportet ijs, de quibus iam diximus, ætas apposita, ac peridonea honestis, laudabilibus'q; actionibus, rectis'q; à ratione temperatis, & quarum ratio sit magistra, dux uero prudentia. Puerilia nanq; oblectamenta uana sunt, & ludi ipsi cessationes quasi quædam esse debent, ac breue quidem tempus, ab

actionibus uacandum, ad quas geniti à natura sumus. Conceduntur autem pueris ludi, non aliter, quàm equinis pullis uacationes à ferē dis oneribus, quod nondum eorum corpus sit deuehendis illis bene aptum, hoc ipso quem bene esse constitutum uolumus, prorsus indigni, ni quantum spectent ad relaxationem animi, uiriumq; refocillationem, quo post ualentior redeat ad pulchra, et se digna munera obeū da. Omnis igitur cessatio ab agendo turpis, nisi quæ relaxationis, ac reparandarum uirium gratia, perinde ut somnus ipse, qui à natura tributus est, quo per eum cessetur à laboribus, ad quos fiat postea reditus recentiori cum uigore, & robore. Ad hæc pueri, adolescentuliq; propter teneritudinem, rerumq;, ac uitæ ignorationem, nec cognoscendæ apti sunt ueritati, neq; percipiendo honesto, minimeq; accipiē dis rationis præceptis, sequendisq; illius monitis, quod uirtutes etiam morales sint in mediocritate positæ, sitq; ætas illa maxime rudis, plusq; in ea polleat appetitus, quàm ratio, quàm mens ipsa, quo fit ut à malis rapiatur cupiditatibus, decipiaturq; honesti, ac recti specie, à prauo, turpiq;. Quocirca propter ignorantiā labuntur, ac peccant.

Oportere agentem intellegere, scire, & uelle.

Has itaq; ob res & intellegentem, & scientem, & uolentem esse oportet eum, qui ad agendum moueatur, ut agere cum laude possit, rectamq; sequi rationem. Nam neq; agere recte potest, qui parum intellegat, quid sit rectum, neq; honeste, qui honesti naturam ignoret, neq; sponte, qui à prauis trahatur affectionibus. Demum neq; exercen dis honestis delectari, qui ignoret, quæ sit natura uoluptatis, quæ etiā homine ratione utente digna, neq; felicitas ipsa quid tandem sit, noscit, aut quo itinere ad illam accedatur, perinde ut nec est, nec esse miles bonus potest, qui ignoret, quæ sint strenui militis partes, suaq; ipsius munera. Itaq; quo actiones ipsæ perfici ualeant, earumq; fructus maturescere, annis opus est solidioribus, qui in puero, atq; adolescente sunt infirmi, quibus in ætatibus uoluntates maxime inconstantes sunt, atq; assidue fluctuant. Cum actiones nullæ, nulla facinora laudari iure possint, quæ non sponte fiant, proficiscanturq; à uoluntate maxime libera, suiq; iuris, atq; omni è parte confirmata.

Qui sit uir felix.

Igitur qui assidua, recteq; continuata opera, et studio pro loco, tem

pore, atq; facultatibus sciens ipse, uolensq;, ac libens honestis uersabitur in actionibus, uirtutis gratia, ac benefaciendi studio, rectamq; sequetur in cunctis rationem, ad eamq; ubiq; seq;, actionesq;, cogitationes quoq;, ac curas accommodabit suas, corporisq;, ac fortunæ bonis honeste, abundeq; affluentibus secundum rectam utetur rationem, ut & bene, & beate his ex ipsis uitam ducat, publicis, & priuatorum commodis intendens, dei optimi maxim in primis memor, animiq;, qui ipse in bonis uiris numen est quasi quoddam ubiq; familiare, & præsens, nimirum felix hic & erit & merito ab alijs censendus est, quales uiri, quod quam rarissimi aut nulli potius sunt usquam inuenti, quodq; diuinum prorsus quiddam magis quàm humanum uideatur esse felicitas, iccirco cœlitum muneri ab antiquis hoc est ascriptum. Et uero quid diuinius, quàm uitam omnem exercere in pulcherrimis cogitationibus, atq; in benefaciendo? quo quid maius habeant cœlites, nullius etiam opportunæ rei esse indigentem, quin habere abundanter, unde benefacias quamplurimis.

Felicem fieri non posse miserum.

Quo fit, ut felici cui semel esse contigit, is esse post miser nulla conditione queat, cum sese quocunq; uerterit, mens, cogitatio, recordatio, animus ipse sibi conscius, lucem illi offerat, ac diem absq; ulla caligatione, et nubibus, uel potius tanquam quibusdam in speculis repræsentantem innumerabiles operas, infinitas actiones suas, diuinarum quidem actionum maxime similes, publice, priuatimq; benefaciẽdi. Quodq; ita quidem uixerit, ut & bene ipse, & beate uixerit, nec quicquam omnino egerit, aut prætermiserit, cuius ipse ducatur pœnitentia, cupiatq; id infectum, quin mentem ipsam exercendo, diuinarum, atq; humanarum rerum naturas consyderando id quoq; consecutus fuerit, ut quod maxime diuinum est, mundum omnem, quæq; mundo contineantur, ingenio ipse suo subiecerit, habueritq; comprehensa. Tãtum igitur abest, quo fieri miser queat, ut in illis ipsis rebus, quæ afferre miseriam uideantur, præ se ferat animi sui generositatem, & fortitudinem illam quidem insuperabilem, summa cum toleratione illarum, ac despicientia, non quod illas non sentiat (est enim homo, nec quisquam magis sentit aduersarium, quàm qui uersatur in acie, ac manum conserit) sed quod felicis est hominis eum sese gerere, ut miser fieri nequeat. Neq; si quædam contingant, quæ ab agendo uel repellant eum, uel impediant, quo minus bene agat, iccirco de gradu

decidet, atq; conculcabitur. Neq; enim muscae aculeus pictorem ducentem peniculum, in digito si insederit, tantopere aut turbabit eum, aut molestia tanta afficiet, ut retrahere ab incepto illum opere aut omnino ualeat, aut ne pictor ille ipse sit, possit efficere, diuertatq; penitus à pingendi officio. Maior est res, mihi credite, felicis uiri status, quàm ut excuti ipse ex illo queat. Quod si aduersitates maximae illae quidem ipsae fuerint, atq; Aetnae montis & onus, & incendium secum ferant, sub onere tamen illo minime succumbet, quin illud contentis etiam uiribus perferet. Nam quanquam agere fortasse, quod suum esse intellegit, quodq; est solitus ipse nequit, illud tamen aget, obtinebitq;, ne superetur ab onere, corruatq; sub sarcina, praestabitq; aeque, ac fortiter perferendo sese omnino inuictum, atq; insuperabilem, etiam aduersus flammarum globos, & saxa igne liquefacta, quae montem eum uomere Poëtae tradunt. Quo quid maius? quid etiam diuinius? efficietq; quod Sol ipse, ut quò radios inferre suos neqt, splendorem refulgendo immittat, qui è radijs eius manat, quo tenebrae discutiuntur. Non poterit itaq; uir felix his aduersantibus assueta munera, honestissimaq; quibus insueuit, praestare officia. At illud summa cum admiratione praestabit, ut malis urgentibus, atq; undiq; incursantibus, cum tempestates adeo etiam foedae ipsae fuerint, ut Eripiant subito nubes, coelumq;, diemq;, generositatis tamen ipse suae, atq; fortitudinis lumen etiam quamclarissimum uel profundissimis ostendat in tenebris. Agricola ubi uidet ab imbribus repelli se, atq; tempestatibus, ab arandi aut sarriendi officio, manum retrahit ab aratro, & sarculo, ac sub proximum sese tectum inferens, aut sub dio ipso, arboreue sub aliqua, baculo innisus perstans, tantum animo turbatur, aut frangitur, ut nonnunquam etiam renidens obloquatur hactenus, & coelum, & nubes suum quoq; facere officium esse permittendum. Nam quae de Hercule à Poëtis referuntur, totq; ab illo exanclatis laboribus, huc omnino spectant, ut qui semel felix, nullo pacto effici miser queat. Quod quia supra hominum putetur uires exsistere, diuinum ex hoc & habetur illud, & iudicatur, unde & Hercules inter deos à mortalibus fuit relatus. Quod autem fabulosa haec habeantur, qui audit uocem illam Laurentij dicentis inter carbones quamcandentissimos, Verte iam, assum hoc est, intelleget profecto, maiora his ab historicis etiam Christianis, hoc est nostris referri. Merito igitur diuinae rei compos effectus, felix dicitur, qui quod deorum est proprium, miser effici prorsus nequeat, nec ipse permutat. Cum igitur felix uir sit huiusmodi, summumq; hominis bonum

sit animi seu operatio (ut qui recentius Philosophati sunt, loquuntur) seu ἐνέργεια, ut Aristoteleo, & graeco utamur uerbo, siue effectio, quod uerbum satis placet, ducitur enim ab efficiendo, ut officium siue perfunctio, siue actio secundum uirtutem, aut si plures sunt uirtutes, secundum optimam quidem, ac perfectissimam, nimirum felicitas ipsa huiusmodi quidem effectionibus, atq; artibus ab homine & comparabitur, & iure censebitur comparata. Ac felix ipse bene, & recte & uiuet, & aget, & uiri, ac ciuis boni fungetur muneribus, in primisq; uirtutes colet, ipsamq; illam maxime perfectam summa, singulariq; continuatione, caeterorumq; cum ciuium excellentia, in eoq; uinci se ab alijs minime patietur. Externis quoq; bonis satis abundabit, recte illis in publicas, priuatasq; commoditates, atque honeste utens. Idem etiam aduersos, atq; acerbos casus aequissimo feret animo, praestabitq; inconcussus, immotusq;, secutus uitae praesertim genus illud, quae uirtute ex ipsa merito agnominetur perfecta.

Quae sit uita, ac uirtus perfecta.

Quo fit, ut quaerendum adhuc uideatur, quae sit uita perfecta, quaeq; item uirtus illa caeterarum omnium maxima, & optima, & supremum in modum perfecta. Quibus perscrutandis, offeret sese duplex fortasse genus felicitatis, alterũ uitae eius, quae tota uersatur in agendis rebus, quamuis perfici ea sine mentis agitatione, atq; officijs, nullo pacto queat, alterum uitae, quae maxime quidem contemplatur, in eoq; uersatur tota, etsi ne haec quidem ipsa seperari omnino ab agendi potest muneribus. Homini enim utrunq; à natura est insitum, ut et agat, & mente perspiciat, atq; ita quidem insitum, ut alterum alterius auxilio indigeat. An quaeso quispiam mentem occupatam in maximis, ac pulcherrimis perscrutationibus, inquirendisq; officijs habebit adeo, ut loquendi usus & conferendi cum alijs cogitationes suas, communicandiq; uitae consilia, sit ei omnino nullus? nullus etiã rerum aliarum, quae naturales sunt, & sine quibus uiui nulla ratione potest? An igitur in uita, quae actiua dicitur, qui honeste uersabitur, rectamq; ubiq; sequetur rationem, morales complexus uirtutes, praeditus & ipse corporis, atq; externis bonis, quibus recte, beneq; utetur, animiq; & rectis, & bonis effectionibus insistens, seq; pro loco, tempore, ac facultatibus honeste gerens, patriae, parentibus, liberis, amicis, ciuibus, peregrinis opera sua assidue, atq; accommodanter conferens, an quaeso fine hic suo fraudabitur? At non est perfecte

contemplatus, primum nec recte, nec honeste agere, nec recta cum ratione, nec secundum uirtutem quis potest, nisi ipse quis sit, & qua conditione, quem etiam ad finem genitus, & cognouerit, & bene etiam fuerit contemplatus. Prima enim recte agendi ratio est, ut rectũ ipsum quid sit intellegatur, deinde delectum, ordinem, mensuram quomodo adhibebit? quomodo temporum, locorum, facultatum, & sui, & aliorum rationem habebit? nisi ea omnia diu, multum'q; cogitando, pensitando, ultro, citro'q; uolutando, bene fuerit, exacte'q; secum, ipsa'q; cum ratione commentatus? ut ea mihi uideatur fere ha benda felicitatis ratio, quæ & doctrinæ, & scientiæ, qua in re si nõ omnia usquequaq; fortasse inter se quadrant, tamen in hac, ut dictum est, quæstione non est exactiore agendum Minerua. Scẽtia est, quæ habet rerum naturæ omnium cognitionem & dei, & uniuersorum, quæ cœlo, tera, aquis, aëre continentur, ex ijs'q;, & ab ijs gignuntur. Erit fortasse aliquis, qui rerum harum omnium assequatur cognitionem, eamq; perfectam, hic erit ille omnino perfecte sciẽs, cui nihil deerit ad ueram, & perfectam scientiã. Qui uero ex hac ipsa maxima, & perfectissima scientia ea fuerit adeptus omnia, quæ ad Physicam cognitionem spectent, non'ne hic eam assecutus dicetur sciẽ tiæ partem, quæ ad Physicam cognitionem spectat? non'ne & ipse physicus cognominabitur? Qui Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astrologiam, non'ne Mathematicus? Verum transeamus ad disciplinas paulo humaniores, magisq; ciuiles. Ex Oratoria facultate è latinis hominibus assecutus est Cicero, quantum asseq maximus Orator potest in agendis causis, in explicandis rebus, quas scribendas suscepit. In describendis uero rebus gestis Liuius, ac Sallustius. Itaq; ille suo in genere summus Orator, hi diuersis tamen artibus suo in genere summi Historici. Nihil igitur aut Physici, aut Mathematici? nihil aut Aristoteles, aut Plato, aut Ptolemæus? nihil hi, quos dixi, Cicero, Sallustius, Liuius sunt assecuti, quod horum nulli integram, totam'q; sunt scientiam complexi? Immo & assecuti sunt, & de hominum genere optime meriti, ostenderunt enim, uel fecerunt ipsi potius uiam alijs, ut assequi idem ualeant. Quamobrem & sunt, & diutissime erunt in hominum admiratione, & cultu. Sunt igitur ut sciẽtiarum, & doctrinæ gradus quidam, sic & felicitatis, quod ni esset, frustra & natura nos ad agendum procreasset, & actiones uanæ ipsis cum uirtutibus simul essent. Atqui uanæ minime sunt, nam & uictor uictoriam adipiscitur, & magistratus honorem, uictoria uero tanta erit, quanta uictorum hostium multitudo, ac subactarum gen-

tium. Honor quoq; pro amplitudine magistratus ipsius, qui si fuerit summus, & honor ipse summus, sin mediocris, & honor quoq; ratio nis eiusdem, pro nobilitate etiam, ac magnitudine patriæ, ac populo rum. Fuit P. Scipio natus in urbe Roma, urbium omnium maxima, & gentium plurimarum domina, nobilissima è familia, clarissi-misq; è parentibus, & cuius pater, patruus'q;, ac maiores domi mili tiæq; multa, & magna gesserint, ipse bellorum confector, uictor'q; du cis omnium maximi, qui ante se fuissent, triumphator deniq;, & pa triæ, Italiæ'q;, ac Romani imperij liberator, instaurator, erector. Cō-tinentiæ, fortitudinis, pietatis, diuini cultus, liberalitatis, moralium'q; uirtutum omnium exemplum, & specimen, doctrinarum, ac rerum naturæ cognitionis maxime studiosus, quippe qui summos qui tunc es sent & Philosophos, & Poëtas secum habuerit, fuerit'q; illis fami-liarissime usus. Ac post tot, tanta'q; à se gesta in rerum inquisitione, naturæ'q; contemplatione, eius'q; ac rerum plurimarum cognitione conquierit, ut'q; idem ipse ducibus alijs, ac bellorum administratori-bus, & continentiæ, & fortitudinis, & gerendi belli sese exemplū præbuerat, sic in quiete, ac maxime honesto otio, ciuibus item suis ho-nestissimarum artium, studiorum'q; immo orbis totius ciuibus, atq; il lis omnibus, bene qui uolunt uiuere, uiriq; boni esse, uirtutum'q; fieri, & authores, & patrocinatores. Talis hic igitur, ac tantus uir erit' ne à suo, ac naturali fine repellendus? tantis à se cum laboribus, ac laudibus comparato? At expertus est ciues ingratos. At quo ipse ani-mo tulit ingratitudinem? maxime scilicet forti, & popularis ignorā tiæ contemptore Etenim in se coacta, & in aëre sub Solem diffusa nubecula, nec illi lucem eripit, nec diem fœdat. Quin ingratitudo hæc causam illi ad felicitatem perfectius adipiscendam attulit, quod ab gerendis rebus, urbanis'q; administrationibus, quibus abunde fuerat iam perfunctus, ad uitæ humanæ consyderationem, rerum'q; cognitionem naturæ, summa cum honestate, et laude auocauerit, qua in contemplatione & quiete est postea mortuus, perpetuo cum testi-monio Europæ, Africæ, atq; Asiæ hominum. M. Aurelius Antoni-nus Augustus, siquis unquam alius, genus hoc ipsum felicitatis maxi me integrum & bene agendi, & contemplandi summa etiam cum perfectione uidetur consecutus. Nam & rei publicæ Romanæ omni-um, quæ unquam fuerint maximæ, & præclarissimæ præfuit, uel orbis potius imperio, quandiu uixit, atq; ex quo die imperator crea tus est, præfuit, atq; ita quidem præfuit, in eoq; administrando men-tem sic secutus est, atq; animo contemplatus ea, ad quæ natum se in-

tellegebat, nec à rebus tamen gerendis sese auocans, neq; à peruestiganda rerum natura, ingenijq; nobilibus studijs, ut ob maximã, maximarumq; rerum cognitionem sit Philosophus cognominatus, & optimam ob administrationem, pater fuerit & senatus, & populi, & imperij totius habitus. Cuius dicta, factaq;, uita deniq; omnis fuerit suprema in hominum admiratione, & cultu. A' quo & senatus, & populus uiuendi regulam, legesq; acceperit. Quiq; ipse sibi in imperio, & in uita omni, cum domestica, tum ciuili uiuendi regula, ac lex fuerit. Atq; ut omnium ipse maximus, sic etiam & optimus, & sapientissimus communi omnium sententia iudicatus, & habitus. Quiq; & moriens fuerit ob merita inter deos relatus, templaq; ei sint posita, & sacerdotes decreti, uidelicet in uitæ testimonium, & commendationem. Nam de uxore parum continente, ea sibi animi æquitate consuluit, ut suadenti acerbius aut morte, aut repudio in illam animaduertendum, responderit. Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem erat imperium Romanum. Oportet autem in toto hoc tractatu, qui humana de felicitate habetur, meminisse, ea nos conditione genitos, ut mortalium simus, non cœlitum è numero, quiq; & moueamur, & afficiamur, & perturbemur, casibusq; subijciamur fortuitis, ita tamen ut prosterni minime, aut expugnari prorsus ab illis patiamur. Quando enim tanta exstitit aëris perturbatio, ut non Sol tandem radios suos immittens & nubes dispulerit, & aërem serenum reddiderit? An quod tempus præstat, ut nullum quamuis magnum non sedet animi dolorem, non etiã præstabit & ratio, & animus ipse bene, fortiterq; institutus, ac rerũ humanarum memor? quod fortissimi quiq; uiri præstitere, eorumq; officium est præstare.

De uita perfecta.

Sed, ut dixi, quæramus adhuc quæ nam sit uita perfecta, in qua felix ipse uersetur, ut alterum quoq; felicitatis genus quod sit, et quale etiã, ostendamus. Videtur autem perfectum id esse, quod undiq; sibi constat, impletq; omnes numeros. Atqui ratione hac, felicitas utraq; è uita agente, & contemplante comparata, quod homo sit ad utrunq; à natura genitus, & integra quidem est, & perfecta hominis in societate humana uiuẽtis felicitas, cui et corporis, et fortunæ bona assint, quanta satis sunt, eaq; ad copiã, et animus semper in actionibus honestis, pulcherrimisq; agitationibus cum iucunditate uersatus, uel illis

potius deditus, q et fruatur recordatione præteritarum actionum, re
ctéq; à se factorum, sitq; in bene collocandis officijs, & cum ratio-
ne administrandis rebus frequens, assiduus, atque indefatigatus, ut
nec tamen propter cōtēplationis studia distrahatur ab agendo publi
ce, ac priuatim bene, nec propter actiones, à rerum humanarum na
turæq; peruestigationibus, contemplandis'q; ab illis, ac mente, &
animo perfruendis. Sed fortasse perfectum ipsum alia ratione quæ-
rendum est in hac ipsa perfectæ uitæ quæstione, ac uirtutis etiam
perfectæ, dicendum'q; uirtutem contemplandi esse per se præstantio-
rem quàm agendi, quod minus perturbari queat, & cum paucioribus
indigeat, & mentis illa delectatio, uel perfunctio potius an magis frui
tio (ut Christiani loquuntur Theologi, quod uerbum & grammati
cum est, & recte deductum, à uerbo enim fruor, teste etiam Priscia
no, deducuntur indifferenter fructurus, & fruiturus, unde fruitio)
integrior ipsa sit, firmus'q; sibi constet, neq; quæ in uita contingunt
actiua obnubilationes serenitatem tantam obscurare, ac fœdare ha-
beant. Qua é re & uitam quoq; esse præstantiorem, & quia sit
præstantior, etiam perfectiorem. Etenim inter homines bene agere nō
est ab homine ipso, humana'q; à natura discedere. At mente, indaga
tione'q; rerum maximarum cognitionem complecti, et earum causas,
naturas, ac rationes habere comprehensas, mundum'q; ipsum cogitatio
nibus subiecisse, ac perquisitionibus suis omnem, quæ summa quidē
sapientia est, hoc profecto supra hominis uidetur esse conditionem, ac
cedit'q; ad diuinitatem, quando hac ipsa uia cœlitibus maxime simi-
les efficimur. Itaq; quanto diuina præstantiora sunt humanis, & uir
tus, & uita, tanto etiam ipsa præstantior, ex eoq; etiam perfectior. Be
ne igitur dictum comparari felicitatem per uirtutem perfectam, etiā
in uita perfecta. Vos uero optimi uiri meam hanc dissertionem sic o-
mnem accipite, ut cum de qualitatibus corporeæ constitutionis habetur
sermo, biliosum, aut pituitosum aliquem dicimus, non quod non alijs
quoq; constitutus sit ex humoribus, uerum quod uel bili pel pituita
abundet amplius, sic uitam contemplantem, atq; indagatricem non
adeo perscrutandis cognitu dignis rebus deditam ut nihil omnino
agat, quando, quod homo est & inter homines uersatur, & oratione
erga illos utitur, & cogitationes alijs etiam aperit, & ostendit suas,
& docet, & monet, & hac uia benefacit etiam quamplurimis, &
ignorantiam, ruditatem'q; ex aliorum pectoribus excutit, tum dis-
serendo, tum etiam scribendo, ac transmittendo ad posteros inuenta,
& comentationes suas æternitate dignas. Quo effectum est, ut etiā

fruitio

fortiter, prudenter, continenter quæ gesta ab alijs, atq; administrata fuere, ea quoq; contemplantium studijs, atq; opera perpetuitati commendentur. Sed ita quidem accipite, ut contemplator ipse supremum in modum uersetur in exercenda, & colenda mente, sitq; eius commentationibus maxime, atq; etiam constanter deditus, atq; ita quidem deditus, ut pene illis uideatur affixus, Nequaquam tamen ut ab humana societate abhorrens amicitias fugiat, parentibus morbo, aut egestate laborantibus opem, operamq; suam ferre deneget, patriam periclitantem, cum possit, non adiuuet, tueaturq;, consilium honesta in causa petenti dare renuat. Quæ si non præstiterit, & impius, & maxime iniustus sit, uiuendiq; genus hoc eius sit uel maxime detestandum. Nec uero hac nos potissimum in parte de illis loquimur, qui negotijs humanis omnino relictis, deo famulantur, diuino tantum cultui intenti. Verum cum omnis hæc oratio suscepta sit de homine ciuili, atq; in societate uiuenti, qui ita se societate ab ipsa retraxerit, ut præter mentem indagationemq; aliud curet nihil, in solitudine ac sibi soli uiuens, ferino etiam more magis quàm humano utens, felicitatem quo nam modo consequatur? summum scilicet humanum ac ciuile bonum, cum in ciuitate neq; uiuat, neque boni aliquid in commune conferat, atq; ab hominis uita transferat se ad ferinam. Itaq; hic ipse contemplator sequetur in illo ipso uiuendi genere etiã munera, atq; officia boni uiri. Scimus non paucos defessos rebus urbanis, senectute iam aggrauante, relicta urbe se se in agrum contulisse, illicq; uitam egisse tranquilliorem, laboribusq;, ac ciuili uita iã defunctis uiris dignã, eosq; nihilo secius et uiri boni, et senis probi, & ciuis de patria bene meriti munia, non ita quidem abiecisse, ut à se ipsis omnino discesserint, ac bonitatem, probitatem, patriæq; charitatem sic exuerint, ut consilia, responsa, sermonem deniq; suum adeuntibus denegent, seq; ab illorum conspectu subducant. Quod qui faciunt, ut in agros se conferant (nam id facere sæpenumero aut ingrauescens cogit ætas, aut tempora ipsa, propter malum rei publicæ statum, suadent, cum nec publicis in actionibus ingenij uis elucescere, nec locum retinere uirtus suũ possit) uidentur terræ bene cultæ usum ac morem secuti, cuius bene quidem aratæ, multaq; diligentia occatæ, sartæ, expurgatæ, ut fructus est seges, sic actionum plurimarum fructus est cessatio à laboribus, requiesq; in colendis tantum mentis agitationibus, & præteritarum actionum perfunctione, & præsentium perscrutationum otio, ac uoluptate, & (de qua dictum est) fruitione. Quo quid aut optabilius, cum in

portum peruentum iam sit? aut suauius, cum ad quietem, & otium, qui fructus non inexpectati laborum sunt præteritorum omnium? aut perfectius, cum nihil iam sit reliquũ, quod desyderari queat? præterquam si indignemur emori, quod quidem ipsum est uelle naturæ repugnare, & uitæ bene actæ fructum suum amittere. Quod si perfectum, de quo nunc agimus, accipiendum forte icirco est, quia sit ad finem iam peruentum (finis enim perfectio est) uita hæc ipsa, de qua loquimur, quod ad finem sit iam peruentum actionum, sitq; requies constituta in mentis suauissimis commentationibus, iisdemq; cum recte actorum memoria perfruendis, erit icirco perfecta, & uirtus, quæ ei ætati aduenit perfecta, & uitæ totius fructus etiam perfectus, & ætas quoq;, quam senilem esse necesse est, propter defunctionem rerum antea actarum, usumq; rerum maximarum, ac diuinorum, humanorumq; cognitionem, summamq; ob sapientiam, etiam ipsa perfecta. Quod enim parte ex omni consumatum, atq; undiq; affabrefactum est, id uere, recteq; pfectum dicitur. Atq; hæc qdẽ uita talis omnino est, iureq; perfecta dicenda. Qui uero fructus, quæ etiam uoluptas capiatur, ubi ab administrandis maioribus rebus, ciuilibusq; negotiis pertractandis in hanc quietem, et tanquam in portum ex alto mari sit applicatum, poterunt uberius dicere, & certius testificari quibus contigit, & fortunæ flatu secundiore uti, & maiores res, atq; in excelsiore loco positas administrare, & tanquam in luce uersari maximorum, maximeq; illustrium negotiorum. Ego uero in genue quo uobiscum agam, meaq; pro consuetudine, nam & uos ipsi uitam, mores, studia, actionesq; iam nouistis meas, nunc demum ante actæ uitæ capio, laborumq; præteritorum, quos plurimos ac maximos inter agendum subii, fructum etiam suauissimum. In tranquillissimo enim otio constitutus cœlitum mihi ipse uideor sortitus uitam. Nam septuagenarius iam, ualido corpore, bonis externis, quantum satis est, modestiæ præsertim meæ suffultus, animũ solum exerceo, eumq; continenter, præterquam cum, nec tamen quotidie, uillam inuiso, & hortos, gladioq; expurgo arbusculas. Mente autem sic fruor, ut solam hanc meam esse ducam, soli huic inhæream, eam unam exerceam, ac colam, quotidie aliqd ætate hac studiisq; meis dignum contemplatus, cogitationes ipsas meas aut scriptis mandans, aut cum amicis eas conferens. Meaq; hæc exercitatio, curaq; quam suauissima contemplandis diuinis, atq; humanis rebus tantum est intenta, ni uobis fortasse secus uideatur, quod huic sacello adornando sim intentior. Sed concedatis hæc Adrianæ uxori, quam uiuam me-

rito amaui plurimum, & mortuam monimentis his prosequor. Is'q; (ut dixi) fructus est, & quidem bene suauis eorum omnium, quae & iuuenis olim egi, & nunc senex ago. Ipsius'q; ante actae uitae recordatione magis magisq; incendor, tum ad res cognitu dignas, quae'q; sapientiam constituunt, maiori quodam studio perquirendas, tum ad suauissimos illos fructus, qui inde proueniunt perfruendos. Nanq; ut scitis, adolescentulus patria cedens propter ciuiles dissensiones, magna rei domesticae iactura facta, ob aduersariorum impotentiam, ad Alphonsum me Regem in Hetruriam contuli, aduersus Florentinos bellum gerentem, & cum illo haud multo post Neapolim. In qua literis ita dedi operam, ut annos natus uix quatuor & uiginti etiam inter senes, eosq; qui in literis consenuerant, iudicarer excellere. Alphonso inde mortuo, cum à Ferdinando eius filio arcesserer, graui bello implicitum, eum plureis annos grauissimis cum laboribus, atque erumnis maximis sum secutus. Inde Alphonsum etiam filium iubente patre. Quibus cum ita uixi, ut eorum causa pericula etiam non mediocria adierim. Inter quae tamen diutius uersatus non pauca etiã scripsi. Quod'q; uel cum primis fuit difficile, attritis, ac pene ad internitionem perductis Ferdinandi rebus, bis inter illum, et Innocentium octauum Pontificem maximum exortum, & conflatum bellum composui. Ferrariensi uero in bello, quod acerrime illatum à Venetis fuerat, eum me gessi, ut mea potissimum opera, meis q; consilijs in ipso belli ardore secuta pax fuerit, cum Italiae totius quiete, & otio. Ex eoq; in rerum administrationibus & Ferdinandi, & Alphonsi, ita domi, militiae'q; me ipsum gessi, ut primum locum in deliberandis, & consultandis rebus, capiendis'q; consilijs permultos annos tenuerim, ea cum integritate, & fide, ut meis de administrationibus neque tunc sit questus, neq; hodie queratur ullus. Quin palàm multi, clàm omnes & damnant tempora, & fortunam accusant, quod Caroli Octaui Gallorum Regis aduentus, qui regnum hoc Neapolitanum occupauit, quamuis annum uix illud tenuerit, ab regijs me, ac regni administrandis rebus omnino distraxerit. Quae profecto res quieti, & otio huic meo, menti'q; perfruendae causam attulit. Est'q; deo optimo maximo gratias ex hoc ut agam. Nam, quod uos ipsi scitis, ter sub Ferdinando cedere negotijs cum tentassem, quod mihi ab illo nullo modo fuit concessum, hostilis uis diuino quodam beneficio mihi otium peperit, publicis'q; ab negotijs cessationem. In qua, ut dixi, fruor ante acta uita, nihilo tamen administrationibus ex ipsis locupletior factus, mentem autem

Pontanus non natus Neapoli, sed oppido Spoleti, quod Pons dicitur.

ipsam sic exercens, & colens, ut è procellis illis maxime turbidis, in portum quietissimum pariter ac securissimum sim delatus. Quo in otio & cœlitibus ipsis mihi frui uideor, & in ea tranquillitate uiuere, ut et nunc demum, et mihi ipsi, non regibus uidear omnino uiuere. Possum itaq; ex me ipso fidem uobis facere, bene constituto homini nihil esse optabilius, quietius, felicius, q̃ ubi ab negotijs, ciuilibusq; administrationibus honeste secedenti otium contigerit, in quo mente fruatur, idest diuinorum numinum familiaritate, atq; amicitia. Sed iam tempus est, alterum illud felicitatis ut aperiam genus, quod sit, & quale, quodq; & merito perfectum dicatur, & sit suo iure summum bonorum omnium, finisq;, & ultimus & perfectus.

De perfecta felicitate.

Animalia cætera præter hominẽ omnia, quod ratione careant, ac mente, felicitatis sunt expertia. Itaq; hominis solius proprium, ac peculiare bonum est felicitas. Cuius adipiscendæ causa, est ad rationem omnino referenda actionum cunctarum directricem, ac magistram, atq; ad mentem, per quam cœlitibus ipsis cognatione quasi quadam iungimur. Itaq; quod ratione, menteq; differimus à belluis, differimus etiam felicitate. Contra uero & quidem non pauca docent, cœlitibus hominem esse quamfamiliarissimum, maximeq; acceptum. Atq; ut ex uitæ communitate, ac sensuũ, quædam quasi familiaritas exsistit homini cum belluis, sic è cœlestium cognitione, ac diuinarũ maxime rerum quædam etiam emanat cum cœlo, cœlitibusq; communitas, quodq; uix ausim dicere, agnatio. Quocirca illud ipsum, quod hominem belluis coniungit perinde ut uitale, atq; sensorium & uocatur, & est, sic & est, et uocari diuinũ debet, quod hominem dijs conciliat, atq; amicum facit. Inest igitur homini, quod diuinum quidem ipsum sit, aut eorum, quæ homini insunt, maxime diuinum aliquid, aut diuinitati simile ipsum admodum. Nihil autem cœlitibus tam simile, aut quod diuinitatem tantopere repræsentet, q̃ mens, nihil deorum actionibus tam cognatum, q̃ mentis illa ipsa sapiens agitatio, & studium, nihil, quod ex omni adeo parte cœlestem, ac diuinã illam beatitudinem referat, quàm mentis ipsius beata, & felix illa perfunctio, quæq; nostris à Theologis fruitio recte dicitur. Igitur si deorum est tranquillitas, quies, oblectatioq; maxime sedata, & à curis, solicitudinibusq; omnino abstersa, & uacua, hæc eadẽ ipsa sedatio, oblectatio, atq; tranqllitas, quies itẽ, quãdo nihil quæritur, q̃a nihil deest,

diuina prorsus

diuina prorſus ea eſſe res uidetur, per quam felicitatem adipiſcitur, uel ipſa potius eſſe uidetur felicitas, quam neq; afferunt principatus quamuis ampli, neq; diuitiæ etiam perquam multæ, neq; ſenſuum de linimenta uel omnia ſimul cumulata, non uires corporis etiam uaſtiſ ſimæ. Habent enim ſecum plus triſtitiæ, quàm iucunditatis, moleſtia rum, quàm uoluptatis, laborum, quàm quietis. Demum hæc ipſa, et ſimul cuncta, & ſeperatim ſingula plena ſunt ſatietatis, atq; pœnitu dinis, Et ſatietas quidem affert faſtidium, cum felicitas, quid nam aut faſtidium ſit, aut ſatietas, ignoret penitus. Pœnitudo uero infectum cu piat, quod eſt iam factum, contra felicitas, quæ eſt cum uoluptatis ue ræ, ac ſyncœræ perfunctione, quo nã modo infectũ cupiat quod quidẽ et ſit, et eſſe utiq; intellegatur tum optimũ, et pulcherrimum, tum etiam iucundiſſimum? Ad hæc mens ipſa diuina prorſus res eſt, at ſenſoria delinimenta animalium ſunt, quorum uita etiam quambreuiſſima. Nam bona externa fortunæ ſunt addicta, eaq; incerta, minime pro= pria, quorum è poſſeſſione facile eijciamur. Potentatus, ac magiſtratus periculoſi, præcipites, moleſtiarũ pleni, calamitoſi. Mens uero ſibi ſua, & propria eſt, hominiq́; cũ cœlitibus communis, et cuius natura ſit in uiolabilis, expers calamitatis, ac periculorũ omniũ, ipſáq; ſibi, et abũ de cuncta ſufficiens, et hominem ipſum ex ſe ſe perficiens, et cũ omnia complectatur, et proficiſcatur, penetretq́; quò uelit, nullis tamen ipſa finibus circunſcribitur, niſi q̃bus cœlites ipſi, nec ſpatijs coërcetur alijs. Quin etiã uirtutes, quæ de moribus nomen habent, comparanturq́; agendo, materia ſi defuerit, exterioráq; adminicula, fruſtra qui- dem annitentur, eruntq; illarum conatus omnino irriti. Quis enim erit liberalitati locus, atq; magnificentiæ, pecunia ubi defuerit? Quis iuſtitiæ, ubi ad retribuendum nullus fuerit omnino aditus, aut op- portunitas? Ad hæc iuſtitiæ munus, atq; officium erga alios exſiſtit, qui ipſi ſi deſint, nullus prorſus eius ipſius erit uſus, nulla effectio. Aſt mens ipſa ſola, ac ſine alio contemplatur, munusq́; & exercet, et perficit ſuum. In periculis potiſſimum bellicis perficitur fortitudo, q̃d ea nulla ſi offerantur? Quid quod corporis quoq; auxilio ac uiri- bus opus eſt forti, ſine quibus nauare operam omnino ſuam nequeat, cum contemplantis opera illis uix indigeat, niſi qua contemplator ipſe homo eſt, exſiſtitq́; è corpore, in quo mens ipſa refulgeat, quemadmo dum ſolaris in mundo refulget lux. Nam mens, qua diuina ipſa quidem eſt, eo minime indiget. Itaq; morales uirtutes humanæ ipſæ quidem ſunt, quæ uero uerſatur in contemplatione uirtus, prorſus di uina, quippe quæ cœleſtium numinum, deiq; ipſius eſt munus. Et

enim cœlites cum ipsi & sint, & uitam uiuant sempiternam, nec dormiunt profecto, relanguescuntq; cessando otio ipsi dediti, nec nauigationem exercent mercaturæ gratia, ut quæ deesse sibi sentiunt, ijs comparatis, post quiescant, atq; abundent otio & quieto, & marcido, nec bellum gerunt, ut pace parta, uiuant securi, quibus nullus insit metus, nulla cupiditas. Ni fortasse assentiri Homero uoluerimus iocanti in carmine, & res humanas ad deos transferenti, Illud tamen pie, sanctéq; suadenti, habere deos rerum mortalium curam, illasq; moderari, & regere. Reliquũ est igitur cœlites ut ipsi contemplẽtur, sitq; illorum propria contemplationis perfunctio, atq; fruitio. Quod cum ita sit, uita hominis, quæ uersatur in contemplationibus, & cuius officium est mentis ipsius cultus, atque effectio, cœlitum nimirum uitæ est perquam similis, & quia diuina, idcirco & potior, & præstantior quàm humana, quando hæc quidem hominis, qui mortalium est è genere, illa uero dei, ac per se quidem nullius indiga, nisi qua (ut dictum est) contemplator ipse homo est, & uita animali, eaq; ad breue tempus utitur. Itaq; ut contemplantis hominis uita est præstantior cœlitum ob similitudinem, sic & uirtus, ipsáq; mentis effectio, hoc est contemplatio, est etiam præstantior, igitur & perfectior, tantóq; etiam perfectior, quanto diuina sors præstat humanæ, estq; ea perfectior, tum propter boni perfunctionem absq; perturbatione ulla, tum uel maxime propter æternitatem uiuendi. Habetis iam quid sit & uirtus perfecta, & uita etiam perfecta, & genus hoc felicitatis, quæ à contemplando nomen accepit, quantum etiam, & quo modo ab illa differat, ad quam ciuiles uidentur actiones contendere. Quocirca, bene, exacte, uere, atq; enucleate ab Aristotele philosophantium omnium consumassimo uiro definitum est, felicitatem mentis esse effectionem, secundum uirtutem perfectam, atq; in uita perfecta, cum pfunctione uidelicet ante actæ uitæ cognitionéq; diuinarũ, atq; humanarum rerum, eorumq; fruitione omnium. Et quoniam Christiani ipsi sumus, cum spe etiam cœlestis uitæ, qua ipsis quoq; cum cœlitibus, æuo sit fruendum sempiterno.

Hæc habui apud uos de felicitate quæ dicerem, quam tamen Christiani alia quadam uidentur ratione, & uia quærere, uitam omnẽ, uitæq; ipsius actiones ad deũ referentes. Quam ob rem & mortuos qui pie, caste, religioséq; deo addicti uixere, cultuiq; eius dedicati, aut pro religione mortem oppetiere, beatos eos uocant, & felicitate cum cœlitibus frui, beatéq; cũ illis agere uolunt. Pontifices item, antistitesq; beatam quoq; ducere uitam hanc putantur, qui integritatem secuti, mo-

rumq́; ſanctitatem, deo famulantur. Nec profecto aliter de religione, religioſisq́;, & caſtis ſacerdotibus eſt cenſendum. Mihi uero ipſe ſic perſuadeo, ſi non felicem (nam humanæ felicitati opus eſt quampluri mis) beatam omnino illos uitam agere, ac uitæ huius fructum aſſe-cutos. Siquidē quãtum honeſtæ uitæ ſatis eſt, procul ab ciuilibus mole ſtijs, ac laboribus, de tẽplorũ bonis, ac fortunis abſq; labore, ſine ſudo re ullo, eis ſuggeritur, & actiones, curas, cogitationesq́; ſuas omnes diuinum in cultum conuertunt, ſacrisq́; tantum rebus dant operam, pie ipſi, ſancteq́; inſtituti, qua ratione hominum quoq; generi dum pie uiuunt, dum ſacra caſte adminiſtrant, deum propitiũ, atq; placatum reddunt. Verum enim humana felicitas, qua uidelicet homines ipſi ſu mus, qua ad agendum, atq; ad contemplandum nati, qua uita ipſa in hominum ſocietate agitur, ipſiq; mortales ſumus, illis ipſis, quas at tigimus, alijsq́; etiam rationibus ab antiquis Philoſophis eſt quæſita. Permulta quoq; felicitatem circunſtant alia, quæ magis fortaſſe ad ho minum aliorũ opinionem, quàm ad eos ipſos, quos felices dicimus, ui deantur referenda. Nemo enim felicem putat eum, qui ſit mortuus, quippe cum ſit uiuentium felicitas, tamen ſpectare uel multum ciues alij ad eam arbitrantur, ſi poſt felicium uirorum obitum, liberis inte gra pmãſerint bona, honores, amicitiæ, tituli, taliaq́; permulta. Suus tamen & felicitati ſtatuendus eſt terminus. Ad hæc felicitas mini-me opinione, uerum re ex ipſa conſtat, comparaturq́; ijs, de quibus ſu pra dictum eſt artibus. Et mors quidem ipſa felicitatis eſt humanæ terminus, deſinitq́; ſtatim homo eſſe, ubi quis fuerit uita functus. Re liquum eſt de Prudentia ut diſſeramus, quæ ſola cum in moralibus uerſetur actionibus, actiones noſtras omnes pariterq́; & publicas, et priuatas, ciuilesq́; ac familiares dirigit, ac componit. Quia uero ad ueſperaſcit iam, ac ſatis multa hodie dicta ſunt à nobis, & meus hic ipſe dicendi ueſterq́; ac cæterorũ, qui hic aſſunt, audiendi labor aliũ in diem, conſeſſumq́; in alium reſeruetur.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE PRVDENTIA LIBER SECVNDVS.

CONGREDIENTIBVS HANC In ædiculam uobis Tristane Caraciole, ac Francisce Puderice, deq; more consessus huius differentibus de uirtute, ac de hominum moribus, assum ipse promissa seruaturus, quorũ debitorem hesterna me disputatione constitui de Prudẽtia uidelicet disserturus, re sane q̃ difficili, nostrisq; à maioribus aut parum explicata, aut minime omnino tractata luculẽter. Verũ ante quàm rem ipsam aggredior, permulta quidem perinde ac rei ipsius magnitudo fert, explicabo, digressim quidem, sed tamen (ut ita dixerim) pedetentim progrediens. Ac primum quidem dicere nequaquam uerear, ut ab homine humanitatem, sic à uiro dictam esse uirtutem. Cumq; tum stirpes, herbæq;, tũ pecudes, brutaq; animalia genus quæq; suũ habeant, solius tamen hominis moralem esse uirtutem, Quippe cũ nec brutorum genere, nec stirpiũ animantiũq; cæterorum homo contineatur. Atq; ut nare suũ est pisciũ, uolare auium, propriũ deniq; generis cuiusq;, ac peculiare quoddam munus est, sic solius hominis peculiare, ac propriũ officiũ esse agere, uersariq; in negotijs obeundis. Actiones uero ipsas atque agendi uim hominis naturæ sic inhærere, ut in morem, qui habitum post constituit, conuertantur. Qua è re uirtutes ipsæ morales sint dictæ, agendo enim, atq; assuescendo comparantur. Cumq; homo ex anima constituatur, ac corpore, placuit maioribus nostris, uirtutes ipsas ad animam omnino debere referri, animamq; ipsam trifariam partiẽdam censuere, in eam, quæ alat, quæ sentiat, quæq; ratione utatur. Ac primam quidem illam, cuius tantum est alere, inesse solã herbis, ac stirpibus, quæ quod loco minime moueãtur, soloq; infixæ sint hac ipsa tantum uia alimoniam sibi comparent. Secundam uero cum altrice illa uegetabiliq; coniungi, atq; in unum coactam, constituere animal, quod à potiore quidem parte sit sentiens appellatũ, quodq; & loco moueatur, et incedat, pro insita generis eius cuiq; ui ac natura. Duabus his naturis tertia illa innexa, quæ rationalis est ab indita ratione dicta tertium constituit genus, quod excellentiã ob ipsam uocatum est rationale, perinde ut alterum illud à sensu sensuale, cæterum homine ab ipso, humanum quoq; appellatum est genus, utq;

deorum quæ

deorum quae sunt ea dicuntur diuina, sic quae hominum sunt, huma na. Quo fit, ut quemadmodum actiones ipsae humanae quidem sunt, idest hominum, sic etiam et uirtutes, quae agendo cōparantur, quodq; ipsos inter homines qui excellunt, dicti à latinis sunt scriptoribus ui ri, inde excellentia quoq; ab ipsa uirtus est agnominata. Nec uero me praeterit ab iisdem quoq; scriptoribus & aquarum uirtutes, & arborum, atq; herbarum dici, quod licenter quidē dictum, nō est qui neget, quadamq; sub similitudine uocum, ac translatione, Vt cum legitur,

Nare per aestatem liquidam conspexeris agmen,

Transtulit enim Poeta eximius ad apes motum illū, qui proprius est piscium, & Pelagoq; uolamus, ad homines, cum uolatus ipse tan- tum sit auium. Quoniam autem anima (ut dictum est) ipsa in treis diuisa est parteis, nec primae illius partis munus est aliud quàm ale re, crescere, procreare, secundae uero cernere, olfacere, audire, gusta- re, tangere, neutiq; in harum animae uirium aliqua, quae ab aliis potentiae, potestates ab aliis dicuntur, neque in cunctis simul, collocari uirtutes ullo pacto morales queunt. Etenim uires illae, quae natura ab ipsa sunt insitae, quae è re naturales uocantur à Physicis, nec rationi subiiciuntur, nec rationis ductu, de statu modo aliquo dimoueantur suo, cum tamen haec ipsa ratio nostras & dirigat, & moderetur actiones. Ad haec quod ualenti quis utatur stomacho, quodq; proce- ram excreuerit in staturam, sitq; abunde etiam foecundus, neq; ut temperatus laudari, neq; ut liberalis, fortis'ue, aut potest, aut debet, neq; ut intemperans meticulosus'ue, aut ut auarus accusari, huiusmo di enim uirtutes, ac uitia morum sunt, haudquaquam naturae. À sensibus quoq; quantumuis acutis, aut contra obtusis nemo ut bonis, ac probatis institutus moribus cōmendatur, aut ut turpibus improba tur, ac peruersis. Licet autem sensuum sit ipsorum etiam abusus, o- mnis tamen improbatio inde ducat ortum, quod ab ipsa fuerit ratio- ne recessum, cuius subductu, atq; imperio nullus huiusmodi contin- get abusus. Siquis enim aut surdus matris utero prodiit, aut caecus, ui tio id naturae dari solitum est, non homini. Contra uero eidem na- turae laudi siquis praeter caeteros, & acutius uideat, et prospiciat etiā longius, Etenim habetius cernere, aut perspicacius, naturae ipsi attri- buitur, quod in pueris ostenditur, qui acutius, & in senibus qui ob- tusius uideant, cum iisdem in senibus summa inesse soleat pruden- tia, summusq; rerum humanarum usus, atq; peritia, quibus in rebus adolescentuli manci prorsus reperiuntur. quid quod nullo docente, nul

lo etiā institutore adhibito, sed natura tantum monstrante, insitáq; à
ui, sensibus ipsis utimur. Cum uirtutibus comparandis opus sit insti-
tutoribus, ac magistris. Nemini præterea ut olfaciat, audiat, gustet, di
gladiandum est, cum fortibus uiris, ubi ratio ipsa tulerit, sit etiam
in acie occumbendū. Nanq; sensibus ut utamur, natura ipsa magistra
nobis est, non ratio. Quod in belluis manifesto apparet, quarum sen
sus nullo prorsus rationis beneficio, quàm qui hominum, esse plerūq;
consueuere uegetiores. Videlicet cōparandis uirtutibus, non in pluri
mis obstandum est, ac repugnandum naturæ? cum nulla tamen na-
turæ inferenda uis sit, adhibendáue repugnantia, quo aut aurium
utamur, aut oculorum officijs. Quocirca uirtutes hæ, de quibus nunc
habetur sermo, neq; à natura illa animantium genitrice nobis insunt
(quid enim probitati, continētiæq; cum stirpibus?) neq; à sensibus, quo
rum opera nullo nostro conatu adhibito, ipsa tantum per se suoq; exsi
stit impulsu. Reliquum est igitur ut uirtutes, ac uitia, de quibus uel
probi habemur, uel improbi, commendamurq;, aut uituperamur, ad-
eam sint animæ partem referenda, cuius propria est ratio. Si enim re
ctam prudentia sequitur rationem, ipsiusq; rationis peculiare offi-
cium est, à recto non recedere, quo relicto in defectum abire, aut
in exsuperātiam est necesse, cum sit ab ipso detorquendum itinere, ni
mirum ratione utentis animæ, laus hæc est propria, cum propria eti
am sit hominis, qui animantibus ex omnibus solus est illius parti-
ceps, solus etiā intellectu præditus, ac mente. Quæ quoniā sola est ho
minis, hæc ipsa quoq; ad omnem excellentiæ humanæ partem sola est
amplectenda, ad eamq; et agendi, & contemplandi munus omne re
ferendum. Quo fit ut duplex etiam in homine uirtus exsistat, altera
contemplatrix ipsa quidem, semotáq; ab actionibus, altera uero actio
nibus ipsis usq; dedita, ab illisq; merito agnominanda. Quam ob rē
intellectus & ipse, qui utranq; complectitur uirtutem, est etiam di-
stinguendus in agentem scilicet, & contemplantem. Cæterum è tri-
bus animæ partibus, cuiq; pro sua tamen natura appetendi uis est in
dita, et si de altrice, & progignente illa tacendum parte in hac o-
mnino uidetur. Quomodo enim appetat, quæ nec sentiat ipsa quidē,
nec cognoscat? Itaq; sensualis illa in ea prorsus inclinanter & mo-
uetur, & fertur, quæ sibi ipsi profutura esse sentiat, quæq; adepta ubi
fuerit, appetitio tunc ipsa & sedatur, & conquiescit. Inest igitur ho
mini duplex appetitus, à sensu quidem alter, alter uero à mente,
atque intellegentia. Et qui à sensu, ipse quoq; duplex est, alter cupi-
ditati sese accommodans, alter iræ. Concupiscimus enim bona quæ

apparent, quibus adipiscendis, quamuis difficultas sæpenumero proposita sit, labores tamen maximi, periculaq; grauissima etiam sponte subeuntur. Etenim commotio ipsa, quæ est ab ira, ad difficilia, eaq; ærumnosa, & ardua nos impellit, quæ uero à cupiditate, ad grata, ac periucunda. At appetitio illa, quæ mentis siue comes, siue cliens est, & assecla, simplex est duntaxat, ac Latino nomine uoluntas. Itaq; quod ea propria est hominis laus, quæ à mente proficiscitur, qui administrandis rebus dant operam, ubi longius ab ea discesserint, ut dementes passim increpantur, atque insani, quod ab illa agendi sanitas omnis manet. Virtutum itaq; moralium in ijs sedes est constituta, nanq; aut in ipso tantum constituuntur intellectu, ut prudentia, aut in appetitu, intellegentiæ comite, ut iustitia, aut in ea appetitione, quæ cupiditatis est alumna, accommodat se tamen rationi, illiq; obsequitur, ut temperantia, aut in irascibili, qualis est fortitudo. Nesciam tamen quomodo prudentia ipsa mediam quasi quandam inter eas sese uirtutes exhibet, quæ hinc ab intellectu, illinc à moribus nominantur, quadam cum sua ipsius communitate. Quo'circa nec moralis proprie dici uirtus potest cum ab intellectu ducat ortum, nec etiam improprie, cum nisi in bonis, ac probatis uiris inesse nequeat, quando uiri boni sunt à moribus tantum rectisq;, atq; honestis ab actionibus appellati, ab ijsq; etiam probantur. Quia uero ubiq; à calumniantibus cauendum est (nullum enim tam catum est, tamq; appositum dictum, ad quod uiam non sibi faciat cauillatio) non pigebit, in hoc ipso dissertionis nostræ principio, & tanquam limine, quasi testatum relinquere, licet sensus ipse sit à sentiendo deductus, licet sentire cum brutis sit nobiscum commune, qui aliud quidem genus constituimus, tamen hoc ipsum sentiendi uerbum, & de illis quoq; recte dici, usurpatumq; sic esse à maximis, præstantissimisq; Philosophis, quæ mentis quidem sunt, atq; intellegentiæ, ne dum sensualis naturæ, ac ferinæ, Vt cum legitur, male de animæ immortalitate sensit Epicurus, & neglegendum non est, quid de nobis quisq; sentiat, & uicit in senatu Catonis sententia, & Aristotelis sententia est, ac Platonis. itaq; uerbum sentio, à quo est sententia, etiam ad ea, quæ mentis sunt, ac iudicij, usurpatissime accommodatur, Idq; inde mihi uidetur profectum, quod duplex cum sit appetitus, alterq; à sensu, ab intellectu alter. Is qui exsistit à sensu, suapte natura rationi obtemperat, illiq; sese adiungit, etsi ueteres illi parum adhuc expoliti rerum naturæ indagatores, quæq; sensus, quæq; intellectus sunt, eadē solius sensus esse censebant. Nec uero hac potissimum in parte omit=

sentire nō tantū est sensus sed et intellectus

tendũ duximus, concessum esse Grammaticis dicere actiuum, ac passiuum, inceptiuum, ac meditatiuũ uerbum, genitiuos item, atq; ablatiuos casus, Rhetoribus demonstratiuum, ac deliberatiuum genus, rerum scriptoribus natiuum saxum, satiuum holus, furtiuam pecuniam, Dialecticis affirmatiuam, seu dedicatiuam, ac negatiuam enunciationem. Philosophantibus uero secundũ hanc ipsam similitudinẽ, negari nulla prorsus cum ratione debere, quo minus uegetatiuam dicant, & sensiuam animam, alterum à uegetatu, alterum à sensu (nã sensitiuũ omnino est barbarũ, quod origine careat) itemq; ab intellectu intellectiuum à generatu generatiuum, & huiusmodi multa. Nam quanquam & generans, & intellegens, & sentiens, & uegetans, recte admodum, ac latine dicitur, tamen hæ terminationes cum sint participantium uocum, non tam uidentur explicare insitam illam rebus quibusq; uim, quàm actionem ipsam cum intellectiuus, atque actiuus, quod nominum habeant terminationem, illam ipsam uim uocibus insitam, manifestius indicent, declarentq; significantius. Sed nos legem nec Philosophis statuimus, nec rerum scriptoribus. Sequatur facultatem libere, ac dicendi genus quisq; suum. Ipse uero arbitratu meo, quæ à recentioribus usurpãtur Philosophis parum ubi probabuntur, constituam mea mihimet uerba, ueluti à sensu sensiuum animal, & sensualem, ac uegetalem naturam, perinde ut rationalem, atq; animalem. Hæc habui quæ de Prudentia dicturus, apud uos, aliosq; qui hic assunt, tanquam iaciendis præfarer fundamentis. Itaq; ad illa statim transeo, quæ secundo loco uidentur explicanda, ac prius quidem quàm, & quæ & qualis prudentia ipsa sit, dicere iam aggredior.

sensiuum, et non sensitiuũ

P RINCIPIO SATIS CONSTAT Prudentiam, de qua dicturi è uestigio sumus, uirtutem quidem & ipsam quoq; esse, quippe quæ dux sit, atq; magistra cæterarum uirtutum omnium (ut'q; Erricus pater tuus dicere Franciscæ solebat) materfamilias. Nam cum è uirtutum cœtu, atque societate aliæ à moribus nomen duxerint, ut iustitia, liberalitas, tēperātia, à mente aliæ, atq; ab intellegentia, ut scientia, ut sapientia, earum quæ morales sunt uersanturq; in actionibus, ita quidem & comes ipsa est, & socia, tantaq; illis familiaritate coniungitur, tantoq; in honore habetur, & pretio, ut perinde ac ducem, natu'q; maiorem & sequantur eam omnes, & eidem pareant admonenti. Quod qua ratione, quibus etiam assequatur meritis (otiosi enim sumus, & hoc ipsum agi hodie à me summis etiam adhortationibus uoluistis) etsi non adeo fortasse multis, uberioribus tamen uerbis explicare constitui, Aristoteleo more harum rerum & causas, & principia, & rationes secutus. Nanq; ut ad agendum nati, atq; educti sumus, rationis etiam participes, sic natura hac duce trahimur actiones ad ipsas, ratione quidem recta, sibiq; undiq; constante moderandas.

Virtutes morales neq; inesse à natura, neq; esse contra naturam.

N e autem propter hæc ipsa naturæ principia, ex ijs, qui differentibus hæc nobis hoc in consessu astant, quanquam docti ipsi quidem omnes & ingenio maxime ad intellegendum perspicaci, ne inquam quispiam fortasse censeat, uirtutes esse homini à natura insitas (neq; enim aliud sunt uirtutes ipsæ morales, quàm actiones, ratione temperatæ aut ipsis ex actionibus cum ratione, & quidem recta constitutæ) Primū quidem res ipsa, uobis indicio est, facitq; usus ipse fidem, agendo, assuescendo, diu multum'q; exercendo, illas comparari. Eorum enim, quæ à natura insunt omniū, nihil se habere, alio quàm quo à natura ipsa constitutū est modo, aut uia, aut arte pōt ulla. Indidit saxo natura grauitatem, eadem ipsa leuitatem flammæ grauitati deorsum ut feratur, ac decidat, leuitati sursum ut euehatur, & euolet, aduersis omnino commotionibus, atq; impulsibus. Nam nunquam non solares radij authores erunt caloris, nunquam contra excitatores frigoris. Itaq; non inesse nobis uirtutes à natura, primum illud docet,

quod pueri rudes admodum cum sint, instituere eos in scholis oportet. Sensim enim ut mouendis passibus ad inambulandum, humanis etiam adhibitis adminiculis à nutricibus, ac parentibus, sic discendis ijs, quibus est opus, sub ipsis paulatim admonitoribus instruuntur, ac magistris, magna quoq; adhibita diligentia, & cura. Cúq; ignoremus ipsi ab initio agendi modum, ac uiam, nesciamusq; quid sit bene, quid contra male uel agere uel facere, uel sentire, uel discernere, & doceri prorsus opus est, quid sit bene, atq; honeste, & quibus etiam assequamur illud artibus, ac rationibus. Ac nunc quidem blandiendo, pedetentimq;, ac pellicenter ad honesta inducimur, nunc uero contra minis exterremur, atque clamoribus, nequid turpiter, improbeq; admittamus. Itaq; ob hanc ipsam causam, & quod nati ad agendum sumus, et quod ignorantes, ut iam diximus, indigentesq; institutione, natura ipsa, ne ab artificio suo recederet, idoneos nos, maximeq; appositos fecit ad ea perdiscenda, quæ muneris, atq; officij essent nostri. Nemo igitur aut à natura fortis aut magnificus. Quid quod ad eloquendum etiam instituimur sub præceptoribus? etsi oratio est homini tantum inter animalia cætera à natura concessa. Quod quamuis ita sit, non tamen uirtutes ipsæ homini sunt à natura negatæ, aut uetitæ. Quod si esset, assequendis, atq; comparandis illis aditus nobis permissus esset omnino nullus. Quis enim instituet aut lapidem, aut uentum sursum contendere? cum uentus naturaliter ad latera, lapis uero deorsum sponte feratur sua. Itaq; ut à natura uirtutes ipsæ minime insunt nobis, uerum discendo, potius, itemq; & exercendo, & assuescendo comparantur eadem ipsa natura minime reluctante (Quis enim instituitur, quomodo aut utatur oculis, aut auribus, aut naribus, aut quomodo etiam lingua?) sic illas minime nobis innatas esse uoluit, aut tanquã animis nostris infixas. Qua in re mediam se se ipsa nobis præstitit, summa etiam cum liberalitate, & munificentia nec solum mediam, uerum etiam adiutricem. Non instrumenta enim ad agendum modo idonea pernecessariaq; nobis contulit, mentemq; insuper diuinam, iudicem quidem, atq; indagatricem omnium, uerum ingenuit in nobis ipsis affectus quidem illos, quibus & moueamur, & impellamur ad ea cuncta, quæ utilia, honesta, iucunda bonaq; uideantur. Bona enim suapte natura ad se expetẽda hominem trahunt, ad quæ uolens ipse rapitur, ijs illis de causis, quas haud multo à me ante audiuistis. Neq; igitur homini morales à natura insunt uirtutes, ut lapidi grauitas, ut flammæ leuitas, neq; illius naturæ aduersantur. Nam neq; flã=

ma ulla omnino arte consuescet, deorsum ut intendat, neq; saxum ut euolet in sublime. Quod siquando externa utrunq; uis, in igne, & lapide assequitur, statim tamen ad naturam fit reditus, atq; ad illud ipsum, quod eis est ingenitum, atq; utriusq; proprium. Absolutissime igitur à Philosophorum omnium solertissimo dictum est, uirtutes eas, quæ à moribus nomen ducunt, neq; esse homini à natura insitas, neq; comparandis illis naturam aduersari, Verum consuescendo, ac diu, multumq; exercendo, illarum compotem ipsum fieri.

De affectibus humanis

Et quoniam in affectuum nostrorum mentionem incidimus, qui ipsi sint, et quales si aperuerimus, uobis, ut arbitror, nullo modo uidebitur à suscepta materia alienum. Affectiones has, qui recentius philosophati sunt, libentius cum Cicerone uocauere affectus. Quoties enim uel sensus, appetitus'ue uel mens ipsa sub specie utilis iucundi'ue, aut boni, qđ simul & utile, & iucundum est, aliquid nobis offert, tum mouentur illi primo ad cupiendum, inde nos ipsi ad agendum ea, per quæ cupiditati satisfiat nostræ. Motus autem hi uel ijdē ipsi sunt affectus, uel ab ipsa affectione suscitantur. Etenim afficien do mouemur, nec affectus ipse nisi commotio quædam est. Sunt autem affectus non uni, nam commotiones quoq; sunt & ipsæ non unæ. Etenim cum offertur nobis species aliqua, quæ nocendi uim habere intellegatur, ex eo afficimur statim metu, incipimusq; expauescere. Et cum offertur è contrario species aliqua utilis, iucundi'ue assequendi, excitatur ibi cum cupiditate simul, atq; habendi studio, spes quædam, atq; fiducia boni eius adipiscendi, Atq; ut affectus ille, metus, hæc spes dicitur, sic metuentes pallore afficimur, deterremurq;, atq; deijcimur animo, contra uero confirmamur à spe, atq; implemur fiducia. Quid cum adepti sumus iam, aut apparet omnino breuior, ac certior, adipiscendi è uestigio boni cuiuspiam spes, non'ne gaudium repente enascitur? uel illa potius, quæ diffusiore quodam tractu appellatur uoluptas? Cuius partes sunt gaudiū, lætitia, exultatio, & gestiens illa commotio, quam non improprie fortasse, placet appellare gestientiā. Cuius ubi metus irrepsit, suspicioq; amittēdi, aut illud iā amisimus, ibi dolor nos occupat, atq; tristitia, contraria omnino affectio. Affert aliquādo casus, tempusq; aut uiuendi ratio, graue aliquid, ac laboriosum, confestim molestia quædā subtristis, et grauis male nos habet. Rursus si apparuit spes aliqua quietis, otijq;

Gestientia

ac laborũ finiendorũ, ilico afficimur lætitia, reddimurq; hilariores. Conficimur aliàs desyderio diutius absentis amici, aut rei, quã iã omnino amisimus, cruciat nos cura eius, ac recordatio, angimurq; do lore. At ubi repente sese amicus ipse nobis offert, redditurq; ex insperato, aut præter spem amissa restituitur res, exsilimus adeo lætitia, ut persæpe etiam gestiamus. Persequmur odio turbulentos ciues, atq; in quietos, et quorũ etiam uim timemus, atq; iniurias, quosq; aduersari rebus nostris aut scimus iam, aut etiam suspicamur. Contra beneuolẽ tia complectimur, amamusq; beneficos, bonos, et in quorum confidi mus patrocinijs, speramusq; profuturos eos rebus nostris familiariũq; nostrorum. Quoniam autem non est hic locus affectus prosequendi singulos, illud in uniuersum dicamus res, actionesq; quascunq; nostras, rerum quoq; ipsarum euenta, habere ubiq; secum comites, aut uoluptatem, quiq; affectus uoluptarij ipsi sunt, aut dolorem, atq; mo lestiam, quæq; affectiones graues per se sunt, atq; erumnosæ. Qui igitur affectus sint, & quales etiam iam uidetis.

Affectus naturales esse moderandos, uirtutesq; assuescendo comparari.

Hos autem ipsos satis constat (quoniam motus quidam ipsi sunt) nunc uehementiores esse, contra nunc remissiores, mediocritatem etiam quandoq; retinere, & quoddam quasi medium inter parum, & nimium. Mouemur enim ipsi afficimurq; plus, minus'ue, aut etiam mediocriter, quantum scilicet satis est, Quo'circa metiri illos ratione oportet, modumq; adhibere, ac mensuram. Hæ enim ipsæ commotiones ad agendum nos impellunt, quæ si fuerint feruentiores, ad iniqua, uiolenta, flagitiosáq; nos rapient, uiolentior enim ignis, atq; æstuantior inflammat magis, exuritq;, q̃ calefacit, & pluuiæ intemperantiores demergunt sata, messemq;, ac fruges corrumpunt. Eædem commotiones ubi pusillæ ipsæ fuerint, remissæ, languidæ, et actiones quoq; nostræ languentes, infirmæ, inutiles, uanæ, sæpenumero etiam ridiculæ. At modus ubi accesserit, ut neq; aut relanguescant actiones, aut impetu, furoreq; quasi quodam præcipitentur, tum gignitur exsistitq;, in agendo mediocritas illa, quæ iure, meritoq; uirtus dicitur, & moralis quidem uirtus, quoniam ab assuescendo nomen hoc sibi comparauit, non aliter fortasse quàm uidemus ijs in artibus, quæ manu fiunt, quæq; etiam exercendo discuntur. Puer enim assuescit primo tolerare castrenses labores, post iaculari te-

Moralis uirtus quare dicat.

lum, exercere arcum, agitare equum, inde in aciem prodire, conferre etiam cum hoste manum, atq; his artibus miles euadit. Adolescentulus quoq; lignarium ad fabrum adducitur, ignarus penitus, ducendi aut serram, aut asciam, aut terebellum. Pausillatim itaq; discit, ac discendo assuescit, assuescendo autem ac diu, multum'q; exercendo, qui aliquot ante annos rudis, ignarus'q; fabrilium rerum omnium fuerat ad magistrum deductus, efficitur & ipse artifex, et quam assuescendo artem prius didicerat, ipse post alios docet, instituit'q; ad eam. Igitur & uirtutes perinde ut artes assuescendo comparātur. Vt'q; illæ pro subiecta quæq; materia modum retinent, ac mensuram, moderantur'q;, ac dirigunt destinatum opus, quibus quidem faciendis, ac seruandis informant tandē illam. Sic nos affectus ipsos temperantes, modumq; illis, ac mensuram adiungentes recta ratione adhibita, formam eam actionibus indemus nostris, quæ uirtutes illas esse, tali'q; dignas nomine, summa etiam cum laude ostendant, hominum'q; admiratione. Vt'q; faber ipse fingendis à uasis figulus, ab auro aurifex, Lanarius quoq; à lana artifex dicitur, sic & ipsi ab agendis iustis iusti, à liberalibus liberales, ab usu fortium, consuetudine'q; magnanimorum officiorum fortes, atq; magnanimi.

Affectus naturales, non esse uirtutes, sed actiones ipsas.

Quibus è rebus iudicare ipsi facile quidem ac recte potestis, uirtutes, de quibus nunc agimus, perinde ut neq; insunt à natura homini (non ut illa tamen comparandis ijs repugnet) sic neq; affectus ipsos nobis inditos, uirtutes ullo pacto esse, uerum hominis ipsius actiones, atq; effectiones uirtutes eas esse, de quibus nunc disserimus, hominis in quam moderandis, atq; dirigendis illis solerti opera, diligenti, atq; assidua cura sese exercentis, ac totis etiam uiribus in id munus incumbentis. Assurgendum tamen merito est naturæ, gratiæq; illi quammaximæ agendæ, quæ ut hominem ipsum summa cum excellentia animalium genuit omnium, sic eam illi uim, ea instrumenta, uigorem illum, illam facilitatem, potestatem, uersabilitatem, atq; aptitudinem indidit, ut quas ad res natus esset, eadem ipsa & genitrix, & altrix, illum item sic instruxerit, ut habilis ad eas accommodatus, appositus, summum etiam in modū aptus inueniatur, ut nihil ei prorsus desit, præterquam si ipse sibi deesse uelit, aut tributis sibi à natura muneribus perperam uti ac peruerse malit.

Virtutes non consistere in affectibus, sed in illis recte, moderateq́; utendis, ac temperandis uersari.

P rofecturum in militiam filium, atq; in hostem pater instruit armis, ac telis, quibus & se tueatur, et hostem petat. omnia demum illi suggerit, quibus comparare sibi uictoriam ex hoste ualeat. Negotiator item missurus filium, aut nepotem Alexandrina, aut Lugdunensia ad negotia, suffulcit illum, & quasi subarmat pecunia, per literas cómendat amicis, ac mercatoribus alijs, demum illis instruit, atq; communit omnibus, quæ sint mercaturæ idonea, ac faciendis lucris. Multo profecto apparatius, instructiusq́; muniuit nos natura comparandis uirtutibus, quàm aut pater ille proficiscentem ad certamen filiũ, aut hic ipse negotiator ad mercaturam exercendam. Cæterum ut neq; in armis filio traditis, sed in optimo armorum usu pugnæ euentus ostenditur, neq; in pecunia lucrũ exsistit, sed in filij solertia, qui utiliter, prudenterq́; utetur illa. Sic neq; in ijs opibus, uiribusq́;, quibus natura nos instruxit, armauitq́; uerum in actionibus ipsis, et in usu, exercitationeq́; agendi uirtus cognoscetur nostra. Quocirca perinde ut affectus ipsi uirtutes minime sunt, sic neq; uires, facultatesq́; nobis à natura concessæ, per quas tamen ac per potestatem ab illa tributam, faciles, apti, appositiq́; ad agendum sumus, uirtutemq́; comparandam. Per affectus uero ad illam excitamur, excitatiq́; progredimur, quò commotio ipsa nos uocat, dirigitq́; recta ratio. Nostrũ autem est, & naturæ ipsius uti potestate, ac muneribus, & affectus ita sequi, intra gyrum rationis illos ut contineamus. Deniq; opus ita informemus nostrum, munusq́; impleamus proprium, ut quod pictorum est, forma quammaxime pulchra illud honestemus. Qua in re eo quàm pictores studiosiores erimus, quod pictura (ut Poëta inquit) inanis quædam res est, cum uirtus ipsa humanorum sit animorum uera, naturalisq́; alimonia, & homine ratione utenti maxime digna.

Quales sint actiones, tales fieri habitus.

Quoniam autem arters quæstuosas, militiam quoq; in similitudinem adduximus, quæretis fortasse, quo uocanda sit nomine assuefactio hæc, frequensq; agitatio, et opera, è qua uirtus quæq; constat. Cum artes ipsæ singulæ nomine ornatæ, atq; distinctæ sint suo, ut ea, quæ in depingendis uersatur animalibus, ac rebus alijs, pictura, quæ in faciẽdis indumentis, indusiaria, quæ in administrandis pigmentis, pigmẽtaria. Ad hæc quæ in uendendis, atq; emendis mercibus sese exercet

facultas, negotiatio, seu mercatura, quæ in gerendis bellis, militia, seu belligeratio. Ne igitur similitudine ab ipsa recedamus, consuetudo assidua, frequensq; exercitatio humanarũ actionum à recta ratiõe administrata, temperata, directa, utputa iusti hominis exercitatio, frequensq;, & temperata actio uocabitur iure suo iusti hominis habitus, hoc est iustitia, ut pictoris pictura, negotiatoris negotiatio, magnanimiq; uiri habitus, magnanimitas, fortis uero fortitudo, liberalis quoq; liberalitas. Perinde nanq; ut habitus male, uel bene ornatum hominem indicat, dicimusq; purpuratum sericatum'ue, q uel purpura uestiatur uel serico. Sic habitus hic agendi uestitus quasi q̃dam indicat fortiter agentem, fortem, liberaliter, liberalem, laudabiliter, laudabilem, turpiter, ignauiter, effœminate, turpem, ignauum, effœminatũ. Est enim assuetudinis, habitusq; ipsius proprium indicare, qualis fuerit actio, actionisq; frequentatio, qualis etiam exercitator ipse, frequẽtatorq; actionum. Quin etiam ut artificis cuiusq; exercitatio idest ars, munus est artificis ipsius, exteraq; quædam opera, atq; effectio, hominis tamen ipsius opera non naturæ quidẽ solius, sic iusti, fortis, magnanimi, liberalis, habitus, frequensq; exercitatio, extrinsecus quædam ab homine comparata res est, minimeq; naturæ ipsi tantum ascribenda, non tamen ut non ipsa nobis uel summã etiam aptitudinem ad ea indiderit facilitatem, propensionem, appositionem.

Virtutes in habitu consistere non in potentijs, aut affectibus.

Itaq; tria esse in homine cum intellegantur, uis illa, habilitasq; à natura tributa, quæ potentia hodie à Philosophãtibus dicitur, Græce inter Peripateticos est δύναμις, & affectus, de quibus pauca quædã diximus, & item habitus. Priora duo quod homini à natura insunt, et ipsa quoq; dicuntur naturalia, posterius ipsum, ac numero tertiũ, exterior quædam res est atq; ab ipso homine agendo comparata. Quocirca & habitus dicitur, quia extrinsecus est adhibitus, & hominem ipsum, qualis sit in actionibus suis indicat, ut opera q̃dẽ ipsa fabrilia, fabrilisq; exercitatio fabrum. Effectiones uero ipsæ hominis agentis, seq; in actionibus exercentis, uel iustum, uel iniustum, uel fortem, uel timidũ, uel liberalem, uel auarũ, uel contra res suas prodigentem apertissime ostendunt. Neq; uis igitur, potestasq; à natura insita, habilitasq; illa naturalis, et homini indita, neq; affectus ipsi quoq; à natura nobis tributi, sed actiones, assuetudinesq; agendi, quæ diu multumq; frequentatæ in habitum uertuntur, dicunturq; et ipsæ habitus, uirtutem indicant, uel ipsi potius habitus sunt uirtutes. Recte igi

tur, apposite, atq; è rei natura, ipsáq; de ratione à Peripateticorum principe definitur, uirtutes esse animi habitus in mediocritate consisten tes, atq; ab electione profectos, recta etiã ratione productos, atq; temperatos in exitũ usq; agendi. Quẽadmodum igitur neq; à natura boni, aut mali, neq; impij sumus, aut pij, quód'q; possimus liberaliter, aut auare agere, parce, aut prodigenter, neq; liberales dicimur, uel auari, parci, seu profusi, neq; item qđ ad hæc ipsa afficiamur, sic neq; ab affectibus, neq; à ui, potestatéq; ad agendum nobis insita, agnominari uirtus, aut potest, aut debet, cum ea bonum sit hominis, non qua uita utitur, neq; qua sensibus tantum est præditus, sed qua ratiõe utitur, atq; actione ratione ab ipsa temperata. Cõparatur'q; à nobis ipsis, non quia et uiuimus, et sentimus, qđ cõmune quidẽ est etiã cum belluis, sed quia soli sumus ad agendum appositi, mentis'q; ipsius compotes, quæ extrinsecus dei dono hominũ generi effunditur, quo fit ut uirtus etiã extrinsecus comparetur. Et uero principia, q̃bus ad agendum trahimur, ea insunt nobis, sunt'q; naturalia, cum tamen actiones sint uoluntariæ. Nã cum aduersum libidinẽ, intemperatas'q; sensuum cupiditates, illecebrosas'q; titillationes pugnamus, quæ q̃dẽ nobis insunt, etsi nobiscum ipsi pugnamus, hostis tamen extrinsecus est constitutus, causæ'q; ipsæ pugnandi. Sunt enim conuiuia, comessatiões, fornices, popinæ, ganeæ, magistratus, honores, pretium, pecunia, quæ quidem exteriora sunt omnia, pro quibus adipiscendis et mouemur ad ea, et actiones ipsas nostras eò dirigimus. Et ueloces quidẽ, & lacertosi, et forma q̃ præstant, laudãtur à natura, de'q; bonis corporis, ut ab Homero de pernicitate q̃dẽ Achilles, de forma uero Helena. De bonis autem externis, admiramur, suspicimus'q; magis q̃ laudamus diuites, et in principatibus, atq; honoribus constitutos. At de animi bonis, laudamus, aut suspicimus neminẽ, nisi qui laborando, exercendo, diu, multum'q; assuescendo ipsis in actionibus excelluerit, recte'q;, ac laudabiliter in illis sese gesserit. Neq; uis igitur, neq; affectio homini insita, bonum, uel malum hominem, turpem, uel honestum constituũt, aut declarant, uerum habitus ipse, è bonis, honestis'q;, aut turpibus, malisq; ex actionibus comparatus. Vt si laus formæ, ac roboris tota proficiscatur à natura, quam ad rem non parum fortasse cultus, exercitatio'q; uideri potest conferre, dexteritas item manuũ, perspicacissimum'q; acumen oculorum, sint naturam ad ipsam referenda, laus tamen uirtutis tota exsistat, integrá'q;, ab habitu diuturnis laboribus, summo studio, præclaris, difficillimis'q; in rebus, constantissimo proposito, firmissimo consilio, ratione ubiq; et duce, et comite, comparato.

Quæ res declarant habitum esse comparatum.

Quem quidem comparatum omnino esse, suumq; cuiusq;, ac proprium iam effectum, indicio illud erit, si agentibus nobis, exercentibusq;, quæ uirtutis sunt munera, uoluptas inter agendum aderit, delectabimurq; exercendo, aut minime saltem dolebimus, feremusq; haud grauate, ubi inter negotia, actionesq; grauia contigerint, quæq; per se sunt ipsa molesta, & dura, in quibus satis quidem fuerit, non dolere, neq; animo confici, id autem est huiusmodi. Abstinet quis ab illis omnino uoluptatibus, quæ corporis quidem sunt, aut modum illis suum, ac temperamentum adhibet, si abstinentia ipsa, si moderatio ei molesta fuerit, ac grauis, sciat temperantis uiri habitum adhuc sese minime induisse. Sin & abstinendo delectabitur, & temperatio ipsa ea erit cum iucunditate, ut libenter etiam abstineat, utaturq; temperamento, ipsa prorsus delectatio ostendit habitum ipsum, confirmatq; illum iam esse perfectum, assecutumq; temperantem ipsum aduersum corporeas uoluptates eam uictoriam, cui ob meritum, impositum nomen est temperantia. Itaq; quod uictoriæ proprium est, temperatio ipsa, abstinentiaq; iucunditatem affert aduersus uoluptates improbas decertanti. Subit quis molestias, labores, pericula illa bellica, inceptu aspera, confectu difficillima, in quibus de uita, de libertate, de honore agitur, & gloria, si male libenter, si pene inuitus accedit, si possit, illa etiam ut defugiat, longe hic quidem à magnitudine, dignitateq; abest uiri fortis. Vbi uero libens, uolensq; illa obierit, etsi fortasse neq; lætus, neq; ridenti similis (est enim res tum in primis difficilis, tum maxime rara) saltem neq; dolens, neq; id moleste ferens, munus si obeat dum libens tamen ad illud accedat, de huius iam habitu certissimi quidem sumus. Et qui pecuniam libenter erogauerit, delectabiturq; erogando, ut uultu etiam ipso animi iucunditatem indicet (est enim iucundum admodum benefacere, sustentareq; de suo quamplurimos) habitum hic uiri liberalis est uel summa etiam cum laude, hominumq; beneuolentia consecutus. Itaq; iucunditas, ac delectatio in usu, actionibusq; adhibita, ac retenta, & illa, quam ego fortasse non inepte soleo appellare Libentiam, signa manifesta sunt habitus iã comparati, atq; omnino perfecti. Qua de re plura à nobis ijs in libris dicta sunt, quos de Fortitudine, Liberalitateq; olim scripsimus. Permultis enim immo quamplurimis constituẽdum ad habitum opus est, in primis uero hac ipsa, de qua nunc loquimur, tum libentia, tum delectatione. Atq; ubi delectatio, uoluptasq; minime fortasse aderit,

libentia

assit omnino libentia, comes & uoluntatis certæ, confirmatæq́; & electionis diu, pensimq́; examinatæ.

De Electione.

De qua dicere etsi non est suscepti laboris, pauca tamen quædam de illa ut dicantur, res ipsa uidetur admonere. Nanq; ut commotionum, affectuumq́; nostrorum excitatrix est natura, sic electio principium est quasi quoddam in nobis ipsis constitutum, aut laudis, aut uituperationis, pro suscepta ad agendum re, atq; materia. Nemo enim inuitus, ac nolens siquid egit, aut etiam fortuito egit, à sapientibus tamen uiris laudatur, quamuis fortasse ab imperitis habeatur in pretio. Et pueris, insanisq́;, siquid peccauerint, fraudi non datur, quoniam locum in ijs electio nullum habet, alteri enim propter ætatem ad capiendum consilium parum sunt omnino apti, alteris insania penitus illud cum deliberandi quoq; consultatione abstulit. Ab electione igitur tanquam fonte ab aliquo manant opprobrij, commendationisq́; riuuli, in suscipiendis actionibus, habituq́; in utranq; partem comparando. Est autem electio, quod satis nunc sit, uoluntas non illa quidem peruagata, infinita, maxime audax, nullis obstricta regulis, aut frenis repressa, uerum quæ sese ipsam moderetur, intellegatq́; q̄d elector ipse præstare possit, quid etiam sit hominis, quid suum sit ipsius qui deliberat, quoad uires sese eius efferant, quid tempora etiam ferant, quid mores urbis, quid ratio ipsa nō recti solum, atq; honesti memor, uerum etiam loci, temporis, facultatum, ordinis, fortunæ. Etenim uoluntatis ipsius commotio, atq; propensio penè insatiabilis est, quippe quæ neq; æternitati parcat, neq; deo ipsi, nullisq́; omnino frenis agitatio eius coërceatur. Quotus est enim ex hominum numero, q̄ nollet esse immortalis? qui procellis imperare, atq; fortunæ, futura quoq; multo ante noscere, ac prædicere? Vnusquisq; tamen aliquo ingenio præditus, facultatumq́; humanarum memor, ea eliget, quæ non homini solum susceptibilia ad agendum sint, uerum sibiipsi in primis qui elegit, seq́;, opesq; suas, tempora, patriam, res ipsas parte è quaq; metienti, & rem præcipue susceptam, suscipientemq́; se illam, et quæ contingere etiam inter agendum possunt, undiq; exacteq́; consyderanti. Quam ob rem electio ipsa, reiq́; electæ susceptio pro uiribus ipsis erit, facultatibusq́; eligentis. Et quoniam electio ipsa eorum est, quæ in consultationem ueniunt, sint nec'ne agenda, & qua etiam ratione, ac uia agenda, consultatio ipsa talis erit, quæ nec consultantem

dedeceat, nec ruborem afferat eligenti. Ridentur ab imperitis quæ de Gigantibus cantantur in scholis, affectasse illos cœlum, inuasisseq; et superos. Atqui ficta ea sunt, irridendis illis, qui supra uires, supraq; ingenium suum agenda suscipiunt, attentantq;, quæ minime sunt audenda. Nanq; ut actionum, sic etiam electionum moderatrix est, & quædam quasi dux prudentia, de qua dicendum suscepimus.

Non electione solum, uerum etiam cognitione, atq; scientia opus esse ad recte agendum.

Nec uero eligenda quæ sint, & qualia etiam sint, uidere solum oportet, uerum etiam scire ea, ac nosse, nō tamen ut cognitione illorum, ac scientia contenti tantum esse debeamus, actionibus enim, atq; effectionibus constat morum uirtus, non cognitione tantum, ac scientia. Quis enim quod qua ratione eroganda pecunia sit, norit, liberalis uocabitur? oportet igitur cum ratione, delectuq; liberalis uir illam ut eroget. Rursus qui quid agat, & quomodo agat, ignoret, laboretq; rerum, temporum, suiq; ipsius ignorantia, is nec recte ullo modo agere, nec cum laude potest, quippe cum iustitiæ exercere munus nequeat, qui iustum quid sit ignoret, aut quibus etiam artibus iusti nomen uendicandum. Ad hæc ignorantes plerunq; decepti errant, dū pro optimis deterrima, pro honestis turpia, pro modestis improba, ignorata, incompertaq; pro cognitis habeant, atq; compertis. Bene igitur, exacteq; perspectis, atq; perpensis iis, quæ tanquam è rationis rectæ penu depromuntur, ut qui tamen & perspicere se, & scire ea oporte re intellegat, non ut sciat modo uerum ut bene, perspecteq; utatur cognitis, illud etiam adiunget, ut suscepta à se actio careat leuitate, persistatq; ipse in proposito incepti consumandi. Itaq; ut ad agendū ipsi nascimur, itemq; ad intellegendum, sciendumq;, sic scientia, atq; cognitio tum rei susceptæ, ac nostrum simul, tum facultatum, temporū, locorumq; comitari debet uel potius antecedere electionem, nunquā q; ab actione recedere. Ignarus enim, atq; insciens, uel potius ignorās, quid factu dignum suscipere? quid post susceptum illud cum laude agere? aut recta cum ratione moderari ualeat? Cognitione igitur opus est, atq; scientia, & in eligendo, & in prosequendo. Sed nec his tantum contenta uirtus est, nisi accedat etiam firmitas, ut dixi, propositi, constantiaq; progressionis.

Virtutem, uirtutisq́; actiones gratuitas esse debere.

Et quoniam habitus perfecta quædã res est, uirtutumq́; instar omniũ uel singuli potius habitus singulæ sunt uirtutes, illud ꝑpetuo quidẽ ab electione ipsa ad finem usq; susceptæ actionis tenendũ est, ut electio, ut actio, omnisq́; animi contentio, sit omnino gratuita, ut finis deniq; tantum sit propter se ipsum expetitus. Virtus enim nihil extra se q̃d sit, quærit aliud, nihilq; simulatum patitur, aut fictum, nihil etiam aliunde arcessitum, astu uacua, à fraude auersa, à pretio incorrupta, à fuco prorsus aliena, libera, sui iuris, opibusq́; etiam suis contenta. Histriones in scena regiam nunc personam referunt, nũc mercatorum, aut militum, cum tamen nec reges ipsi sint, nec mercatores, aut milites. Itaq; cauendum prorsus est, ne sub iustæ actionis specie, lateat malitia, ne sub liberalitatis amictu delitescat captatio, atq; largitio, liberarum prorsus ciuitatum pestis, uendibiliumq́; ciuium corruptela, uitia profecto tota fronte uirtutibus aduersantia. Agẽda sunt igitur, & fortia, & liberalia, quæq́; uirtutes ad alias pertinent, nõ ut ab simulato homine, ciueq́; peruerso, atq; in libera patria regnũ meditante, uerum ab homine, ut par est, forti, ac liberali, atq; ab eo uiro, qui ad uirtutem quancunq; aliam se instituat. Videtis iam qui sint hominis morales ad uirtutes progressus, quæ etiam uia. Nã cum ad scientiam simus, atq; ad actionem in lucem editi, natura ipsa sic nos instituit, atq; conformauit, ut nulla quidem è parte nobis defuerit, siue ad ea, quibus opus esset ad agendum, siue quibus etiam ad sciendum, cum utrunq; ad munus maxime nos idoneos fecerit, eas etiam uires, facultatesq́; elargita, tanta cum ingenij excellentia, ut et cœlum, corporaq́; ipsa cœlestia homo sibi subiecerit, motus illorum, atq; effectiones contemplando, mare item ipsum, aëraq́; submiserit nauigationi, terasq́; cultui, frugumq; ubertati, & copiæ. Has ad opes, facultatesq́;, atq; ad ingenij uires addidit & commotiones illas, appetitionum, actionumq́; omnium excitatrices, quoq́; in ijs excellentia enitescere uniuscuiusq; posset affectus, illos reliquit nobis ipsis terminandos. Nullum enim certum illis modum statuit, liberos eos, uagosq; esse permittens, ut & modum ipsi per cognitionem, rationemq́; statuentes, eos temperaremus, coërceremusq́; maiores illorum impetus, & languentes, ac tanquam uietos, deq́; itinere iam fessos cohortando suscitaremus, ut mediũ deniq; ubiq; retineremus. Quibus rebus, exercitationibusq́; assuescentes, habitum inde nobis compararemus, quo comparato, qui & qualis quisq; esset, ab actionibus ipsis dignoscæretur.

Quas ob res

Quas ob res recte, sapienterq; à moralium uirtutum institutore & magistro præceptum est, laborandum esse, atq; assuescendum homini, comparandam ad uirtutem, cuius principia essent ipsa in natura collocata, cæterum opera, allaboratio, progressioq; ad illam, assecutio deniq; atq; adeptio, hominis esset integra, & solius quidem hominis sola. Itaq; uirtus est hominis unius bonum, eiusq; unius possessio, atq; patrimonium, cuius habitu ubi adornatus, atq; insignitus quis fuerit, per usum atque exercitationem facultatum ac uirium ipsi à natura tributarum, per affectuum moderationem, ac temperamentum, per cognitionem æqui, atq; iniqui, utilis, atq; inutilis, recti, ac praui, assiduamq; per assuefactionem, ac continuũ usum, id efficit, ac præstat, ut sciens, uolens, eligens, libens, recto cum iudicio, constantissimoq; proposito, deniq; gratuita etiam opera, ad metam ipsam indefatigato perueniat cursu, assequaturq; uirtutem, finem uidelicet illum summum, optimum, pulcherrimum uiuẽtis in societate hominis, in ipsoq; hominum cœtu, aut sine qua ultimus ipse humanarum rerum. omniũ finis comparari nulla ratione queat.

Per uirtutem comparari felicitatem.

Nam si consequendam ad felicitatem tribus omnino est opus, corporis, fortunæ, atq; animi bonis, ad bona corporis à natura data, illud etiam adiunget ad uirtutem contendens uir, ut externis quoq; abundet commodis & quantum satis est bonis. Nam si daturus est operam actionibus comparandam ad uirtutem necessarijs, & rebus etiam illis dabit operam, sine quibus neq; uirtutis comparari habitus potest, neque felicitas ipsa, humanorumq; studiorum meta contingi. Quocirca si futurus est iustus, habebit utiq; quæ ad iustitiam exercendam necessaria sunt, & commoda, si liberalis, quæ ad liberalitatem, si fortis, quæ comparandam ad fortitudinem pertinent, de reliquis ut taceamus uirtutibus, quarum omnium eadem est ratio. Quod cum ita sit, uirtus ipsa affatim cuncta sibi sufficiet, eritq; eadem ipsa perfectus & undiq; consumatus finis, cui etiam nihil desit ad bene, feliciterq; uiuendum. Præsertim ubi post ciuilium, humanarumq; actionum defunctionem, tanquã tutissimum in portum delatus, totusq; ad naturæ rerũ, cœlitumq; cõtẽplationẽ conuersus, in hoc ipso portu, rerumq; omnium tranquillitate conquieuerit. Vt non morales solum uirtutes, uerum etiam quæ summa est, diuinaq;

iure etiam ipso habenda, mentis nostræ uirtus, illam fuerit etiam consecutus.

Virtutem esse modiocritatem, in medioq; constitutam.

Esset fortasse idoneũ de prudentia ipsa disserendi tempus, cum uero dictum sit, uirtutes ipsas morales mediocritates esse quasdam, pars hæc non uidetur sic prætereunda, ut tanquam neglecta, parũq; pspecta uideatur à nobis. Quamobrẽ sic accipite uiri optimi, ijdem'q; amicissimi uirtutem quidem ipsam dignitate, atq; authoritate sua omnino esse summam, pro'q; maiestatis amplitudine, ac præstantia habendã esse pulcherrimam, ac maximam rerum humanarum omnium, eandem'q; etiam augustam, cæterum suam sibi sedem medio quodam in suggestu collocasse, quo è loco pari authoritate, atq; imperio hostibus aduersaretur suis, ac nostris, Habent enim uirtutes ferè singulæ, immo penè omnes, duos aduersum se constitutos, & quidem inter se quoq; dissentiẽtes aduersarios, alterũ qui ut uiolentus quidam, atq; superbus, & contumax imperio nolit eius acquiescere, aut audire præscribentem, alterum qui imperium reformidet, deterreatur'q; illius ab aspectu, atq; augusta facie. Quas ob res prætorium sibi utrosq; inter hostes, aduersantia'q; inter se, ac uirtuti uitia excessum scilicet, ac defectum, media in regione collocauit, quo in loco pari cum dignitate, ac uiribus æque magnis consyderet. Qua è constitutione ac locorũ positu effectum est ut uirtutem dixerint in mediocritate, hoc est medio inter utrunq; uitium spatio consistere. ibiq; sibi delegisse curulem quasi quandã sedẽ, prætorium'q;, suggestum, in quo residens ipsa à dextra, excessum, ut impotentem, ac contumacem sibiq; præfidentem, si reuocare ad imperiũ possit, hortatur uerbis, admonet'q; oratione. Sin minus, male parentem illum, superbe'q;, atque impotenter agentem repellit, atq; insectatur, perduellem'q; tandem iudicat, interdicit'q; aqua & igni. À sinistra uero, quæ pars in nobis imbecilla est, defectum, languentem quidem eum, maximeq; diffidentem, quem etiam blande ad se uocans ac nihilo minus conspectum eius uerentem, uertentem'q; subinde terga retrahere ad se omni arte contendit, quod ubi impetrare parum potest, latitare illum, & tanquam in specum confugiẽtem belluam, degere illic ignobiliter permittit. Ipsa uero suo se in statu atq; authoritate retinens ita quidem illis irascitur, ut cupiat melius, illorum utrunq; rebus suis consuluisse. In medio igitur constituta rationem secum in consilium adhibet,

quæ recti, ordinatiq; illam admonens, aberrare certo, suoq; ab itinere nunquam sinit. Est autem rectum, ut pro subiecta illud materia definiamus, quod neq; in dextrum neq; in sinistrum, sed tractũ ipsum suum sequens nullo modo declinat. Cum enim quacunq; in magnitudine plus sit & minus constituere, in ijs quæ ad animorum affectus, atq; ad uirtutem pertinent, in dextra quod sit pars ea uiribus prædita maioribus id quod est nimium hoc est excessum collocamus, sane quam uiolentum, atq; incompositum uitium, in sinistra defectum, quæ cum imbecilla sit et frigida, et uitiũ quoq; ipsum eiusdẽ uidetur esse naturæ, ut ob imbecillitatem, atq; remissionem, aut abstineat omnino homine, dignis, præclarisq; ab actionibus, aut si agendum aliquid susceperit, uel ignauiter illud exsequatur, uel turpissime destituat, deseratq; inceptum. Reformidat igitur defectus, audet confiditq; plus nimio excessus. Illius causa est metus, huius confidentia, atq; temeritas. Virtus igitur utriusq; naturam animaduertens, & frenum adhibere fiduciæ, moderariq; eam nititur, impetu coërcito, & metui addit stimulos, calefacitq; eius frigiditatem, atq; imbecillitatem confirmat. Accommodatissime igitur dictum est uirtutem in medio uersari, neq; ab illo deflectere, quod ratio ipsa medium esse docuerit. Rectum autem nunc intellegimus, non qualis à Mathematico linea consyderatur, aut quadrati latus, sed quale ratio ipsa, quæ humanis uersatur in actionibus, ac sapiens, maximeq; exercitatus uir, agendiq; peritus, ac prudens, sciensq; rerum humanarum, uitæq; ipsius ciuilis iudicauerit, habita ratione negotiorum, locorum, temporum, meritorum, ætatum, personarum, quibus ex ipsis sumendum uideatur iudicium, modi, atq; mensuræ, ne in alterutrũ delabatur, in excessum uidelicet, aut defectum, ueluti in eroganda pecunia. Neq; enim quocunq; tempore, cuicunq; homini, aut ex quouis pecuniæ genere, quacunq;ue in urbe, aut in negotio, tantundem, idemue est dandum. Cuius rei exempla permulta in ijs libris extant, quos de Liberalitate annis superioribus, ut ipsi scitis, edidimus. Iure igitur uirtus præposita est moderandis affectibus, cum proprium sit eius munus à medio non recedere. Illorum uero propriũ fluitare, atq; diffluere motu, atq; exagitatione sua, expectareq; moderatorem, nunc qui acuat, incendatq; remittentes se se, nunc qui retineat exsultantes. Erunt igitur & actiones quoq; mediocres, ipsum ut assequantur medium. Nam & in actionibus non aliter, quàm in affectibus ratio eadem est tenenda, ut medium in illis quoq; retineatur.

Quippe cum actiones ipsæ nunc uehementiores, nunc econtrario remissiores maximeq; degeneres esse contingat. Itaq; & propter naturales affectus, in quibus moderandis uirtutes uersantur, & propter actiones, quæ ipsas constituunt, in quibus utrisq; defectus, atq; excessus usu ueniunt, necessario uirtus in medio consituitur, sectaturq; & dum afficimur, & dum agimus omni è parte mediocritatem, quæ, ut sæpius dictum est, inter parum constituitur ac nimium. Assequemur igitur mediocritatem hanc in agendo, si nos ipsos & consyderauerimus, & metiemur, si illos quibuscum agimus, si rem, facultatem, personas, tempus, locum, patriam urbium, gentiumq; instituta, mores, leges, ciuium artes, discilinasq;, hominum item opiniones, ac iudicia, si modi quoq; ac mensuræ pensum habuerimus. Ad hæc si bene ipsi intellegemus quibuscunq; in actionibus, quid, quantum, quomodo, quando, qualiterq; oporteat, sitq; quousq; etiam progrediendum. Prima enim actione in omni, delectus suscipienda est cura, primariumq; ad uirtutem contendentis uiri studium est atq; obseruantia deligendi. Vbi enim delectus ratio parum habebitur, ac decori, manca prorsus ipsa etiam erit actio, ineritq; illius in facie, ut dici consueuit, næuus, uel potius maculosa cicatrix, ac fœda. Quod igitur medium sit & quale, qua etiam uia. & cur etiam quærendum sit, ipsi iam uidetis. Est autem huius ipsius medij, tum perscrutandi, tum etiam iudicandi, munus, atq; officium rationis eius, quæ à Peripateticis recta dicitur, quo in campo uersatur prudentia, cuius quidem colendi, atq; exercendi, cura ad uirtutem hanc potissimum pertinet, uel eius potius est tota, agnominaturq; inde recta, quod quid rectum sit, & quale, omni rimatur, atq; perquirit studio, deq; eo iudicium suum profert. Omnino autem rectum ipsum quod in moribus uersatur, hominumq; in actionibus non tam per se ipsum, quod antea quoq; dictum est, consyderandum uidetur, ut qui lineæ rectitudinem, aut obliqtatem quærunt, q̃ pro legibus, ritibus, moribus, consuetudinibusq; ciuitatum, nationũ, gentiũ. Cũ christiano sit homini p̃missus uini usus, moderatus scilicet, uetitus omnino Mahometanis, pœna etiã proposita. Nobis uxorem unam lex permittat, illis etiam plureis, adde & concubinas, uel etiam denas. Quærendi igitur non solum medij, uerum etiam habendi delectus, magistratus quasi quidam, propriumq; officium rectæ rationis est, cuius ipsius utiq; iudex erit, atq; æquus arbiter uir sapiens, multo rerum usu, probataq; experientia. Cuius è iudicio tanquam æquis è bilancibus actiones ipsæ

examinatæ prodeunt, iustaq; pensitantur trutina. Ipsius uero delectus, ac rationis rectæ pestis, corruptelaq; est ignorantia, quam multa simul, grauiaq; circunsistunt mala. Nanq; ut iam diximus, incõperta pro compertis habet, pro bonis mala eligit, pro honestis atq; utilibus turpia sectatur, ac damnosa. Quo'circa ignorantes qui sunt, ijdem minime sunt capessendas ad uirtutes apti, nec solum non apti, uerum etiam ipsi & uiri sunt improbi, & ciues deterrimi. Nam unde obsecro nisi ab ignorantia, tanta sunt in populo uitia? tam infames abusus, tam perniciosa exempla, ac detestanda? ut in plebe, quæ populi ipsius sordes est, uideantur uitiorum quoq; omniũ sordes, atq; illuuies desedisse.

Circa uoluptatem, & dolorem moderandum uirtutem uersari.

Ne autem pars illa, quæ ad affectus animorum, aut nostros potius pertinet, atq; ad uirtutes illorum moderatrices neglegentius à nobis tractata uideatur, quod reliquum est quod'q; omittendum nullo modo duximus, sic habete, duos esse affectus, qui nullas prorsus animorum nostrorum commotiones, nullas etiam actiones, nullum deniq; humanum inceptum deserant. In quibus quidẽ sic uersantur, ut eorum alteruter comes semper assistat, non agentibus modo nobis, uerum etiam de actionibus, de'q; rebus ipsis solicitis, atq; cogitantibus. Horum altera est uoluptas, cuius ancillæ quasi quædam sunt, delectatio, lætitia, gaudium, hilaritudo, iucunditas, exultatio, titillatio, gestientia (neq; enim dum res explicetur, apte proprie'q; deductum uerbum, quamuis inusitatum, producere in medium uerebimur) alacritas item promptitudo, expergiscentia, festinatio sedulitas, uigilantia, diligentia, elaboratio, studium, libentia, quæ'q; aliæ affectiones, quædam'q; quasi famulæ uoluptati sumministrant. Parte uero ex altera illiq; aduersa, dolor has adducit secum siue comites, siue ministras, molestiã, tristitiã, mœrorem, cessationem, langorẽ, recusationem, lassitudinem, lentitudinem, tarditatem, oscitationem, ignauiam, neglegentiam desidiã, remissionem, quæ'q; cumprimis aduersantur libẽtiæ, ac promptitudini, recalcitratio, auersio, terguersatio, renitentia. Cum'q; tria sint illa, quibus assequẽdis appetitiones ubiq; intendunt nostræ, utile, honestum, ac iucundum. Appetuntur enim utilia propter conseruationem, honesta propter laudem (Nanq; ut laudatur uirtus, sic econtra-

rio uituperatur uitium) iucunda propter uoluptatem, quæ quidẽ ipsa nobiscum & nascitur, & coalescit. Ab hac ipsa uoluptate trahimur etiam ad illa, siquidem utilia, honestaq́; admodum etiam sunt iucũda. Itaq; ubi affectus hic ipse minus erit sedatus, quin potius & uehemens fuerit, & nimius, ac magis, magisq; ardens, & concitatus, præcipitat, labefactatq; animum, actionesq́; ipsas nostras exagitat adeo, ut ad inhonesta, maximeq́; etiam turpia, sub utilitatis, aut delectationis specie persæpe dilabamur, non raro ad ea etiam, quæ inutilia sint, uehementerq́; incommodantia, dum adipiscendi iucundi feruentiori studio rapitur animus, obliuisciturq́; sui ipsius. Quid? quod nonnunquam etiam utilitatis species animum sic corrumpit, perturbatq́;, ut quasi aciem mentis obtundat, obcæcetq́;, quodq́; utile ante apparuerat, inueniatur tandem non damnosum modo, uerum etiam calamitosum, atq; exitiabile. Itaq; uoluptaria hæc commotio, naturalisq́; affectus, atq; perturbatio male temperata ubi fuerit, digredieturq́; à signis rationis, medioq́; ab ipso longius, impellet, trudetq́; nos sæpenumero ad contraria, hoc est inutilia, & turpia, quæq́; pro lætitia tristitiam, pro gaudio mœrorem afferant, pro uoluptate dolorem. Atq; hac quidem uia suscitantur uitia illa, quæ de nimio originem ducunt, ipsoq́; ab excessu, dum motus ille fidutiarius ab appetitione tractus, impulsusq́;, de uia, rationisq́; ipsius curriculo diuertitur ad ea, quæ belluarum potius sunt, quàm hominum. Contra qui nos affectus auocat, deterretq́; ab ijs, quæ inutilia apparent, atq; incommoda, molestaq́; uidentur futura, ac laboriosa, estq́; suapte natura meticulosus, quoniam à metu prohibetur, qui aduersus est fiduciæ, retrahit nos generosis ab actionibus, remoraturq́;, uel auertit potius ab honestis, & præclaris inceptis, quæ sese nobis offerunt, ad ea ne proficiscamur. Itaq; quantum impulsus ille nimius nos præcipitat, tantum & fortasse multo amplius nos auertit, deterretq; à bene, excellenterq́; agendo languida illa deficiensq́;, atq; effœminata perturbatio, ac perterrefactio, quæ non modo auocat agendis ab honestis, subtrahitq́;, ac repellit à laudabiliter susceptis actionibus, uerum eò res ipsæ per metum atq; ignauiam aliquando rediguntur, ut dum timentur laboriosa, fugiuntur incommodantia, euitantur parum honesta, & turpia, incurramus in eadem ipsa, nostram ob ignauiam, atq; oscitationem. Quo fit non raro ut accidat ijs ipsis, q timore, ignauiaq́; deterrẽtur, idem illud, quod de nauigantibus dicunt,

» Incidit in Scyllam cupiens uitare Charybdim,

Efficiturq; è defectu, in illa ut incidamus uitia, quæ multo magis sint indigna homine, quàm quæ de nimio, atq; ab excessu sunt profecta. Etenim in dando, atq; in audendo excessisse modum, non accusatur nisi quatenus modus ipse minime retẽtus est. At nihil aut dare, aut audere, sed laxis ab utroq; habenis fugere, hoc profecto nullo uidetur pacto esse hominis, naturaliter ad agendum geniti, atq; in ciuitate educati, inq; societate hominum instituti. Quo' circa non uoluptatis modo gratia, aut utilitatis, improba admittimus, uerum fugiendã ob molestiã, euitandosq; ob labores, omittimus utilia, recusamus honesta, defugimusq; quæ sunt etiam periucunda, Quodq; deterrimum est, ob uoluptatem detrudimur interdum ad teterrima quæq;, brutis etiam animalibus omnino indigna. Interdum uero ob dolorem, molestiamq; defugiendam, ita deijcimur de gradu hominis, ut belluis etiam ipsis appareamus inferiores, et tanquam in foueis delitescentes hominum omnino deuitemus, ac fugiamus munia. Vtq; illic ardor ille nimius initio cupiẽdi, post etiam consequendi, Sic metus hic, nimiaq; refrigeratio contrariorum omnino sunt uitiorum principia, & causæ. Satis igitur constat horum affectuum utrunq;, uoluptatẽ scilicet, ac dolorem in animus hominum maxime dominari. Nam à uoluptate impellimur ad improba nefariaq; admittenda. At dolor, molestiaq; diuertit nos, ac retrahit ab itinere bene, laudabiliterq; agendi. Vtrunq; autem uitiosum, atq; ab laude, commendationeq; maxime alienum. His igitur moderandis occupata uirtus erit, dum et in fidẽdo, et in metuẽdo, in cupiẽdo, et prosequẽdo, in eligẽdo, atq; agendo mediocritatem illam retinet, quæ media est inter parum, & nimium constituta. His igitur ab affectibus, ubi recte, moderanterq; inter agendum temperati ipsi fuerint, & dicimur & habemur uiri boni, ijdẽq; ciues probi, secus autem, mali, improbi, nefarij, Proq; eorũdem etiam modo, mensuraq; aut laudamur, aut uituperamur, habemur in pretio, aut contemnimur, Ciuesq; ipsi nostri, alijq;, quibus cum uersamur, & quibus cogniti mores sunt nostri, aut beneuolentia nos prosequuntur, amoreq;, aut odio, atq; maleuolẽtia. Fuimus explicandis his fortasse longiores, Sed, ut ipsi scitis, & senectus loquacior est, & uos ipsi me ad hæc multis etiam precibus, atq; admonitionibus inuitastis, dum à priscis hæc Latinis intractata esse dicitis, et ab recentioribus Philosophis, Aristotelisq; sectatoribus tam inepte, tã etiã incomposite, aut explicata, aut perplexe disputata, ut ipsi

illi, de ijs qui disseruerint, aut parum ea intellexisse uideri possint, aut ignorasse quibus uerbis, qua etiam uia latine essent tradenda. Cui parti etsi scimus à nobis exacte nullo modo satisfactum, nec munus hoc qua decet ubertate, atq; uerborum dignitate adimpletum, Iuuabit tamen, & morem gessisse uobis studiosissimus uiris, & uiam præmonstrasse illis ipsis, qui & cautius, & eruditius, maioreq; cum ornatu hoc ipsum Philosophandi munus, post nos (quos et quidẽ non paucos fore arbitramur) etiamq; auspicatius prosequendum susceperint. Nec uero hæc ipsa omnia non eiusmodi quidem sunt, ut campum eum, in quo prudentia ius exercet suum non & qui sit, & q̃ etiam latus, & quæ sit rectæ rationis materia, et quibus in perscrutationibus delectibusq; uersetur, uel ostenderimus ipsi, uel si hoc minus consecuti sumus, saltem si non etiam præfinite, & locos tamen in nuerimus, & campi ipsius situm, atq; naturam. Quo'circa reliquis in sermonibus, quotidianisq; his in consessionibus nostris instituite uos ad audiendum de prudentia disserentem senem de ætatis quidem uitio loquaciorem, tamen qui ne gratuito quidem uitio uitium in hoc incidat. uerum amicitiæ ut satisfaciat, et ijs præsertim uiris morẽ gerat, quibus propter studiorum dignitatem, atq; authoritatem morum, ac uitæ nihil quod in se ipso esse senserit, iudicet non uel libentissime concedendum. Vtinam autem ij simus, qui & cupiditati uestræ, & quam de me iam pridem concepistis opinionem, ei parte saltem ex aliqua respondeamus. Nam alijs ut satisfaciamus, qui hæc ipsa audituri fortasse à uobis sunt, id uero prorsus futurum diffidimus, et, ut ingenue loquamur, etiam desperamus.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE PRVDENTIA LIBER TERTIVS.

CALENDIS, VT VIDEO, Martijs conuenistis me ædicula in hac uiri optimi, ijdemq; amicissimi, qui dies & è Romuli instituto, & Mathematicorum omnium, initium est anni, mearumq; etiam erumnarum. Eodē enim hoc die, his ijsdem Calendis, nono ante anno Adrianam amisi coniugem, & laborum sociam meorum omnium, & molestiarum leuatricem. Verum enim illam nec ego amisi, quæ mecum assidua est, nec ipsa me deseruit, aut ut non æqua laborum socia, aut parum fida comes itineris, ac uitæ huius, meliorem ad uitam contendētis. Nec uolens illa quidem, sponteq; erumnis his humanis cessit, sed abijt potius ut uocata, sed discessit ut arcessita, & tanquam meliore uita digna emigrauit in cœlum, beatam illic cum cœlitibus uitam actura. Quo circa abesse tantum debet, ut lachrymosus mihi dies hic sit habendus, ut & religiosus habeatur, & sacer. Nam de meo, ut uidetis, instituto, rebus sacris rite ter peractis, quod ex quo, meo illa è sinu in cœlum abijt, pie, casteq; seruatum est, seruabiturq; quandiu illi superstes ero, nō anniuersaria, ut multi, sacra, sed menstrua, in eius memoriam celebro, quæ post illius obitum, non mentiar, si dicam maxima, uerum tamen eloquar, si dixerim unica est mihi uoluptas, atq; leuatio. Nam quoties Calendæ ipsæ adueniunt exspectatæ, desyderatæ (dicam uerius) suspiratæ adueniunt, uideor mihi illam alloqui, illius ore, oratione, conspectu frui, commendare illi rem domesticam, capere cum ea rerum familiarium consilium, in illius deniq; administratione, prudentissimusq; consilijs conquiescere. Sed cum ea felicissime iam sit actum. Cuius exemplo admoniti nos quoq;, quæ uia ad felicitatem est una, & contemplari uirtutem, & cœlum ipsum inquirere ne desinamus. Quam nam autem uirtutibus ex omnibus contēplari, & quærere, aut utilius possumus, aut conuenientius debemus q̄ eam ipsam, quæ prudentia dicitur, quæ uitam & agentem hanc, & ciuilibus, humanisq; occupatam negotijs, sic complectitur, tutatur, fouet, ut omni è parte eam & dirigat pariter, & componat. De qua dicere hodie non pauca, eaq; maxime cognitu digna institui, quo promissis parte non exigua satisfaciam meis. Vertor autem ad uos potis

ſimum Triſtane Caracciole, Franciſceq; Puderice, qui uel repugnantem me ad laborem hûc precibus, adhortationibusq; traxiſtis ueſtris, dum id agitis, diem hunc meis abire inhonoratum ſtudijs, ac cogitationibus, ne permittam.

De Prudentiæ principijs.

I GITVR Cum ad agendum homines, & contemplandum naſcantur, alijq; munus utrũq; proſequantur, in altero tantum ſeſe exerceant alij, hinc effectum eſt, ut duplex eſſe humanæ uitæ uideatur genus, et eorũ, qui in cœtu uiuunt, ciuilia obeuntes munera, & eorum, qui præteritis, aut contemptis rerum ciuiliũ adminiſtrationibus, in ipſarũ tantum rerũ naturæ cognitione uerſantur, atq; ſcientia. Vtriuſq; autem uitæ moderatrix uel magiſtra potius eſt intellegẽtia, quæq; ſuo noĩe eſt mens. Munus ſiquidem eſt eius, atq; officium, & actiones ipſas moderari, ac regere, & naturæ abditis perſcrutandis, intellegendiſq; ſic intendere, ut de recto, prauoq;, de uero item, ac falſo ſententiam ferat, iudicetq; uniuerſim, ac per partes, quæ nullius quidem ſunt omnino uirtutis officia. Quo fit ut & uirtutum earum, quæ de moribus nomen habent, curam ſuſcipiat, & ad eam ipſam referantur cuncta, quæ ad rerum naturæ, cœliq; ipſius, ac rectoris mundi totius cognitionẽ pertineant, quippe quæ tum moraleis illas regat, componatq;, rationis rectæ illis uiam aperiens, ſuumq; actionis cuiuſq;, ac proprium inter adminiſtrandum ordinem diſtribuens, tum perſcrutationes omneis, conceptaq;, atq; inuenta rerum maxime abſtruſarum ſic digerens, componens, ſtatuens, deniq; etiam ſtabiliens, ut eius tandem opera, induſtria, beneficioq; ſcientia conſtet, comparetur q;, et ea, quæ ſuo nomine ſapientia dicitur, quæ diuinarũ, humanarumq; habet rerum cognitionem. Quo fit ut agendi pariter, intellegendiq; & parens ea ſit atq; origo, & iure etiam habeatur. Qua è re nomen ei à Cicerone inditum eſt intellegentia, quæ apud Ariſtotelẽ eſt διάνοια, alio etiam nomine mens, recentiores apud Philoſophos intellectus, cuius uis ea, quæ gerẽdis uerſatur in rebus, à noſtris appellata eſt prudentia, Græce eſt φρόνησις, atq; hanc quidem quamuis nullo modo illarum ipſa ſit è numero uirtutum, quæ temperandis uerſentur in animorum affectibus, animi tamen actionem eſſe quandam putat Ariſtoteles, Idq; apertius quo intellegatur, repetenda quædam ſunt altius, ducendaq; natura ab ipſa primordia.

Intellegentia et mens, idem sunt.

Hominem triplici anima esse præditum.

Insunt igitur, ut scitis, homini partes quædam, quæ stirpibus quoque sunt communes, ut animæ pars illa, quæ alendi uim habet, atq; augendi, quin etiam procreandi, quæ quidem cunctis, quæ anima utuntur, natura ab ipsa sunt insita, ex'q; hoc naturales eæ siue uires, siue uirtutes dictæ. Inest pars & illa, cuius ipsius feræ quoq;, ac pecudes sunt participes, cuiusmodi sunt, quæ à sensu nomen habet. Nãq; animæ ipsius cum sit alia quædã uis, cui sensus ipse nomen dedit, pars hæc illi ipsi, de qua dictum est, coniuncta, atq; commista, animal constituit, qđ quia ratione caret, brutum quidem, cæterũ neutiq;, uti primũ illud genus, solo fixum, sed loco mouetur, et uidet, et audit, et sentit, & instrumentis utitur singulis corporis, ad inambulandum, atq; ad sentiendum, Inde sentiens animal, atq;, ut hodie libentius usurpant, sensitiuum dictum est. Inest & tertia quædam, eaq; maxime generosa, & nobilis pars, quæq; diuinitate non careat sua, quam uno omnes ore appellauere rationalẽ, ab eaq; et per eã animal ipsum perficitur. Cuius quia ex ijs, quæ anima utuntur omnibus, solus homo est particeps, icirco hic ipse homo maxime absolutus, ac perfectus animalium exsistit omniũ. Nam & ratione solus utitur, & per eam illa perficit, quæ in belluis minus utiq; sunt perfecta. Sentit eni tantum pecus, sibi quid siue prosit, siue officiat. At homo unde hæ ipsæ contrariæ exsistant uires, qua etiã uia qđ uel noceat, uel auxilio sit, intellegit, ac rei eius causas tenet, scit'q; etiã ubi opus fuerit & obsistere, & adhibere ex arte, ac cum ratione remediũ, comparat'q; sibi salutaria, quæ fore ducat, labore, atq; industria propria. Itaq; per gradus quasi quosdã anima ipsa uires ostendit, atq; amplificat suas, donec animal ipsum pficiat, hoc est hoiem, cui uis ipsa cum educandi, tum sentiendi ita qdẽ insunt, ut hac ipsa ratione & adiuuet illas, & suffulciat, sustentet'q;, infirmas quoq; stabiliat & languentes cõfirmet, abscissas etiã partes, ut nares, ut labra restituat, Quod inuentũ ætatis fuit nostræ medicorũ. Quo'circa adolescentis naturæ, generis'q; animaliũ consistentis, conseruator, pfector'q;, ac degenerantis quoq; instaurator est homo, quanquã aliquãdo (utinãq; non tam sæpe) sui etiam ipse generis est enector. Nanq; ut semina ne degenerent, delectu et opera, ut'q; arborũ generositas conseruetur, insitione, et cultu procurat. Sic contra in genus uniuersum animantiũ ita sæuit, ut stragem illis, ac uastitatem ui, gladio, incendio'q; promiscue afferat, sibi deniq; ipsi, seculis'q; futuris cladẽ, atq; calamitatẽ. Sed redeamus ad nostra. Anima igitur hæc ipsa, qua uiuimus, qua sentimus, qua

ratione utimur, uiribus instructa est suis, primũ ad alendũ, procreãdumq́; ne genera ipsa intereant, deinde ad sentiendũ. Eius enim est, uti oculis, auribusq́; hoc est uidere, audire, olfacere, gustare, tangere. Quibus utendis suis ipsa instrumentis est pornata. His accedunt appetitiones illæ, quæ partim sensus sequũtur ipsos, insuntq́; homini pariter, ac belluis. Animalia enim cuncta appetunt profutura, quæ appareant, ad eaq́; assequẽda sponte ferũtur, declinant rursus, quæ uideantur nocitura. Partim uero quæ mentem uimq́; comitantur rationalẽ, & illã ipsam animæ partem, cuius est propriũ intellegere, commentari, prospicere, ratiocinari, scire, ac tum de uniuerso, tum de singulis iudicare. Ad hæc appetitioni etiã ei, quæ sensus sequitur, mouetuŕq; ad utilia, ac iucunda, adiũcta est commotio etiã illa, quæ nos hortatur, trahit, impellit, ad ea aut adipiscenda, quæ difficiliora sunt comparatu, aut repellẽda, superandáq́; quæ uitæ, dignitati, commodis, impendijsq́; minitentur nostris. Itaq; appetitio illa, quæ sensum seqtur, duplici etiã modo est consyderãda, ut altera siue appetitio ea uocetur, siue appetitus, uersetur ijs in animæ cõmotionibus, qbus boni, ac iucundi tantũ studiũ est propositũ, altera in ijs superãdis, repellẽdisq́; aut adipiscẽdis, qbus labores, difficultates, periculáq́; sunt pro posita. Indeq́; pars illa generalior, ac prior, quæ in appetiscendo, concupiscendóq; uersatur tota, cõcupiscibilis est dicta. Posterior uero hæc quæq́; laboriosior est, fertq́; præ se strenuitatẽ, irascibilis. Itaq; appetiscendi uis illa, quã sensus excitant, duplex quidẽ est. Quæ uero à rationali proficiscitur, mẽtemq́; seqtur, atq; intellegentiã, simplex est dũtaxat atq; una. Eodẽ enim modo sese in cunctis habet, ad quæ qdẽ à mente ipsa, intellegentiáq; moueatur, studeatq́; asseq. Atq; hæc quidem à maioribus nostris appellata est uoluntas, estq́; solius hominis, quoniã hominis etiã unius sola est mens, solus etiã intellectus, à quo uolẽdi motus ipse proficiscitur. Habetis igitur animæ partes quot sint numero, quæq́; etiam cuiusq; sint uires, hoc est alendi, sentiendi, ratione utendi, ac sentientem illam duplici appetione affici, earũq́; appetionum alteram Cõcupiscibilem uocari, Irascibilẽ alteram. Rationalem uero & dici, et esse tertiã, quæ hominem ipsum & statuat, et perficiat, cuius etiam unica qdẽ sit appetitio ea, quæ uolũtas dicitur. Ex his autẽ cõcupiscendi, irascendiq́; cõmotiõibus, cum affectus ipsi, ut est ante dictum, ingenerentur (mouemur enim uel ad amandum quippiã, uel odio prosequendum, uel sequendum, uel fugiendũ. Ad hæc uel aggrediendum fidenter, uel extimescendũ, abhorrendumq́; consternanter, præterea uel ad misericordiam, uel ad uindictam, ad

lætitiam,

lætitiam, uel dolorẽ, siue ad affectus alios, quorum tamen affectuũ appetiscendi uis illa excitatrix est, et causa) efficiatur, ut affectus ipsos, quod moderatione indigeant (sunt enim, ut diximus, aliâs remissiores, aliâs uehementiores) tertia illa pars ratione adhibita prorsus temperet, atq; iccirco morales uirtutes in moderãdis uersentur affectibus, commotionibusq; appetitu ab ipso excitatis. Qui tametsi sensum plerunq;, quandoq; tamen et intellegentiam sequitur, ac mentem, una uero prudentia intellegentem illam animæ uim, atq; excellentiam sequitur, in temperandis affectibus. Quo circa eiusdem munus est, atq; officium, temperandis illis ita sese gerere, ut dirigat, dispenset, componatq; actiones ipsas nostras, præmonstret etiã ueluti dux quasi quædam quocunq; iter intendimus, quæ uitanda sint, quæ etiam sequenda, doceatq; quid rectum, quid prauum, quid utile, quid inutile, q̃d honestum, quid turpe, quæq; alia uel amplectenda sunt, uel reijcienda, ut non minus fortasse proprie à moribus agnominari, quàm ab intellegendo, his ipsis de causis mereatur. Sola igitur uirtutum omniũ ob hanc ipsam excellentiam, utranq; simul tum agnominationem, tum personam accepit. Quam ob rem hinc actiua, hinc intellectiua recentioribus est à Philosophis dicta. Huius itaq; siue mentis, siue intellegentiæ uis ea, quæ affectus temperat, uolũtatem compescit, electiones moderatur, actiones dirigit, quæq; ad recte agendum opportuna sunt, docet, præmonstratq;, gignit ex sese eam, quæ recta ratio in administrandis rebus dicitur, siue ipsa potius recta est ratio. De cuius mensura, ordine, constitutione, regula uirtutes ipsæ & finiuntur, & quæ, qualesq; sint, aperte declaratur. Quod enim rationalis esse animæ aliud siue munus, siue officium, maius, excellẽtiusq; aut esse, aut dici queat, in uita agenda, rebusq; administrãdis, quàm res ipsas adamussim perpendere, ad normam, aptare, metiriq; ante quàm agẽdæ suscipiantur, & postquam susceptæ sunt ordinare, disponere, dirigere, suaq; ratione ac uia destinatum ad locum perducere, hoc est ad finem ab ipso appetendi initio, ipsaq; ab electione designatum. Quo fit ut prudentiæ ipsius munus sit, atq; propositum, destinatum ad finem progressim iam, certoq;, ac minime labenti uestigio, seu fallente gradu perducendi, quin etiam uoluntatem ipsam sic continendi, moderandiq; freno quasi quodam adhibito, ut quid sequendum, rursus quid fugiendum, aut quibus inhærendum sit, quo etiam itinere progrediendum, & præmoneat, & ostendat. Habetis ipsi iam quæ sint indagationis huius nostræ principia, quæq; animæ partes, quæ etiam uires eius, atq; appetitiones, quodq; appetitionum ipsa

rũ duæ qdem sensum omnino sequantur, tertia uero mentem ipsam, atq; intellegentiam. Quibus è rebus iudicare facile quidem potestis, moralium uirtutum alias in concupiscibili illa appetitione uersari, ut temperantiam, alias in irascibili, ut fortitudinem, iustitiam uero eã sequi appetitionem, quæ ab intellectu proficiscitur, estq; nomine suo uoluntas. Ipsam autem prudentiam, etsi ad intellectum omnino referenda est, omnem tamen curam, cogitationem, operam quoq; eius administrandis in rebus, actionibusq; ciuilibus patrocinandis uersari. Ex'q; eo usuuenire, ut licet mentem ubiq; sequatur ipsam, mores tamen hominum & corrigendos suscipiat, et eorum actiones recto cursu dirigendas. Quippe quæ electione ab ipsa continenter ad finem contendant eum, ac metam, quam uirtutes sibi singulæ constituerint. Sed progrediamur ad reliqua.

Virtutes uersari in actionibus.

Omnino tria sunt, quæ hominis naturam, ac uim potissimum declarẽt, sensus, mens, appetitus. Quota autẽ sensus uis sit, atq; authoritas agendis, atq; administrandis rebus, docent pecudes, reliquum'q; belluarũ genus, quarum nullæ prorsus exsistunt actiones, solum enim ad ea, quæ corporis tantum sunt, mouentur. À mente igitur, appetituq; agendi uis, impulsusq; omnis proficiscitur, præstantissimus animæ nostræ partibus. Hæc autem ipsa uis animæ mihi quidem bifariam uidetur partienda, & in actiones ipsas nostras, in quibus morales uersantur uirtutes, seu ipsæ potius actiones, quod toties dictum est, uirtutes sunt, & in artes, quarum præter administrationem ipsam exteriora cuiusq; exsistunt, ac particulatim opera, qualia textorum, fabrorum, sutorum. Et agere quidẽ eorum est proprium, qui in actionibus uersantur, contenduntq; ad finem, siue propositum aliquod assequendũ. Facere uero artificum, quiq; manu et opera occupantur, fabrilibusq; in opificijs. Itaq;, ut ipsi iam uidetis, ab agendi ui illa, quæ innata nobis est, & actiones manant, quæ uirtutes morum constituunt, & factiones, è quibus artes, quæ commodis, ac uoluptatibus subseruiunt nostris. Cæterum factiones plerunq; accipiuntur pro partibus ciuitatum, ciuiumq; uoluntatibus, in quibus sæpenumero populi diuiduntur, ut apud Carthaginem factio Barchina, & Romæ Sullana, ac Mariana, alijsq; in urbibus alia, atq; alia. Itaq; male libenter uerbo hoc utimur, tametsi & proprium est, & Latinum. Possemus etiam loco eius usurpare operationes, quoniam operor est ab opere, et opus fere` ipsorum proprium est artificum. Cæterum apud priscos uerbũ

agere et } differentia
facere }

operationes

operor ad sacrificia libentius transferebatur. Ad hæc ab ijs, qui recentius Philosophati sunt, operationes usurpantur pro ipsis etiã actionibus. Itaq; utrunq; cur refugerem satis honesta esse posset causa. Tamen in quibusdam cedendum est rerum necessitati, explicationibus'q; ipsis, magis quàm uerborum consulendum dignitati, aut usui. Sint igitur ut uersantium se ciuilibus in administrationibus, rebus'q; gerendis actiones, sic artificum factiones aliquãdo pro utraq; etiam re operationes. De quo ueniam ipsi poscimus. Nec tamen uerebimur, pro loco, uocare etiam opificia.

Operor

De Contemplatione.

Quemadmodum autem agere tantum est hominum, nullo modo pecudum, quæ sensu solum feruntur, sic eorundem est etiam contemplari. Atq; hæc quidem contemplandi uis, ut altera illa agendi ac faciendi, dupliciter est etiam partienda. Animi enim uis hæc aut in cognoscendis ijs uertitur, quæ certa quidem ipsa sunt, natura'q; constituta, neq; mutationem recipiunt, nec alio atq; alio sese habere modo possunt, quorum è cognitione manat scientia, aut in ijs, quæ dubia ipsa sunt, ac propter incertitudinem, permutationem'q; consultatio in illis locum habet, quæ'q; alio nomine est etiam ratiocinatio. Itaq; quoties huiusmodi res incertæ & lubricæ offeruntur animo, incertus ipse, ac diutius eas secum agitans, quæritat, disceptat'q; agendum nec'ne illud sit, sequendum'ne, an fugiendum. Qua in re illud quoq; usuuenit, quod in ijs, quorum est certitudo, ac scientia, in quibus ipsis animus aut assentitur ueritati, aut dissentit ab eo, quod apparet agnosciturq; omnino falsum. Itaq; in huiusmodi rerum, negotiorum'q; suscipiendorum multitudine, ijs'q; consultandis, suscipiendum tandẽ nec'ne sit negotium, & qua etiam uia suscipiendum, decernit. Eaq; electio dicitur, eligit enim de duobus alterum, aut neutrum, de pluribus quid potissimum sequi, aut nullum malit, pro facultatibus, ingenio, uiribus, ac rationibus suis. Qua in electione, consilio'q; capiendo, prosequendis'q; negotijs ad finem usq;, locum suum, & quandã quasi prouinciam prudentia obtinet, quæ moralis, ni displiceat, hac in parte à me uocabitur, dirigit enim actiones ipsas, uirtutes'q; eas, quæ de exercitatione, de'q; ipsis moribus sunt uocatæ. Duas esse igitur in animo agendi, ac faciendi partes, totidem etiam contemplandi, ac speculandi, iam uidetis.

Prudentiã neq; scientiã esse, neq; artem, sed in actionibus uersari.

Efficitur autem ijs è rebus, ut neq; scientia neq; ars hæc ipsa pruden-

tia sit, neq; moralium uirtutum ulla. Quamuis moralem eam, hoc est actiuam agnominauerimus, uersariq; solis in actionibus uelimus. Nã cum eius sit consultatio, ac ratiocinatio, uerseturq; in ijs, quæ dubij, atq; ancipitis sint consilij, cogaturq; sæpius ob ea, quæ repente accidunt, mutare agendi rationem, quo nam pacto erit ipsa scientia? cuius est proprium demonstrationibus uti, rebusq; inniti maxime certis? Scientia enim ipsa demonstratione constat, ac certitudine, uerseturq; in necessarijs. Quippe quæ ex ijs, quæ aliter se habere nullo modo queant, exsistit, comparaturq;, indagans ipsa rerum naturam, maxime autem quæ in uniuersum spectant, quæq; non ad usum ciuilem tantum, aut familiarem, uerum etiam ad rerum quarumcunq; & diuinarum, & humanarum pertineant cognitionem. Quam enim dubitationem secum afferet enuntiatum, aut postulatum illud potius (sic enim à maioribus dicebatur) si ab æqualibus demantur æqualia, quæ reliqua sunt, eadem quoq; esse æqualia, & omnem lineam à centro ductam ad circunferentiam esse parilem? Quæ nam quæso oriri dubitatio potest ex propositione illa tam constanti, & certa figurarum omnium capacissimam esse orbiculatam? aut quod enasci ambiguum, Sole hemisperium hoc nostrum peragrante diem nobis esse? At statim ob mentem uersabitur caligatio quasi quædam sit nec'ne assentiendum, siquis in senatu Christiano proposuerit, suscipiendum esse aduersus Turcas bellum. Atq; ubi ratio ipsa suscipiendũ docuerit, rursus alia orietur dubitatio, sit'ne mari gerendum, aut terra, an & maritimis & terrestribus simul copijs administrandum. Tertio loco dubitabitur, nascetur'q; deliberatio, quibus ducibus, quo etiam numero nauiũ, ac militum, ad hæc, qua etiam ratione. Itaq; consultationes ipsæ in rebus uersantur dubijs, ex ijsq; postea diutius perpensis fiunt electiones, quas inde actiones ipsæ, rerumq; sequuntur administrationes, earumq; propter euenta uaria, inopinata, incerta, uix tenor ipse est perpetuus. Cum sæpissime necesse sit gerendæ rei mutare rationem, aliaq;, atq; alia proficisci uia. Quo'circa deliberãdis rebus ijs, quæ in nostra sunt potestate positæ, quæq; ad futurum spectant tempus, propriasq; commoditates, suum prudentia locum obtinet.

Quæ sit differentia inter scientiam & prudentiam.

Quibus à rebus prorsus aliena est scientia, cuius proprium omnino quidem est scire, à quo nomen duxit. Cum huius ipsius prudẽtiæ sit dirigere actiones ipsas, & quid seruandum, ac sequendum sit, monere, quid etiam

re, quid etiã fugitandum, aut auertendum. Quid quod (ut paulo est à nobis ante dictum) cum scientia in ijs uersetur, quæ uniuersalia nunc dicuntur, ijsq́; ipsis indagandis delectetur, capiaturq́; rerum cognitione, prudentiæ econtrario munus est propriũ, singularia quærere, uersariq́; in particularibus. Ad hæc scientes à cognitione et sciẽtia, prudentes ab actione laudantur & usu, rectisq́; ab administrationibus. Quid? quod in rebus illi maxime certis, necessarijsq́; uersantur, exercentq́; ingenij sui uires in illis potissimum, quæ aut parum, aut omnino nihil ad rem famliarem conferant. At hi in rebus maxime dubijs, ac uariantibus, in quibus casus, fortunaq́; plurimum authoritatis habeant, quæ nulla quidem est in constituendo syllogismo, ueroq́;, ac falso, formaq́; à materia distinguenda.

Quæ sit differentia inter artem & prudentiam.

Præterea nec ipsa eadem ars est, ac prudentia, cum ars opificiorum quidem sit, atq; eorum, quæ manu fiunt, rerum uero agibilium prudentia, Sitq́; prudentis uiri officium, rebus ubiq; suis prospicere, illisq́;, ac sibi, bene, recteq́; consulere in omnem uitæ partem, nihilq; aut negligere, aut prætermittere, quin omnia potius excogitare, eaq; acute, perspecte, caute, quæ in rem fore suam duxerit, uiuẽdi deniq; cursum omnem secundum rectam rationem dirigere, eumq; in usum domesticum, familiaresq́; commoditates, tanquam deriuare, consequendis ijs, quæ bona ducantur, quæq́; rebus ipse suis conducere intellexerit. Cum econtrario, artificis sit hominis, munus suum adimplere in ijs, quæ ad artem, quam susceperit spectant, quæq́; manu fiũt. Quota enim ars, quæ non manum exerceat? quæ non regula nitatur, seq́; ad normam redigat? Cum eius omnino proprium sit facere, contra uero prudentia non modo non faciat, sed ne agat ipsa quidẽ, quin potius dirigat actiones. Ad hæc Aristotelica utriusq; definitio liquido quàm inter se differant, ostendit. Cum artis definitio habitus quidam sit uera cum ratione faciendi, Prudentiæ uero habitus, qui uera cum ratione in ijs uersatur agendis, quæ sint aut bona homini, aut mala. An non qui artem exercet aliquam, arte ab ipsa cognomentum accipit? ut à tondendo tonsor, atq; à suendo sutor. At uero ab agendis fortibus, fortis, & ab exercenda liberalitate, ac dandi gratia liberalis, quæ quidem laudis sunt, illa uero artis nomina, Ac nomen fortis ab actionibus est, habituq́; morali, & laudis gratia inditum, Cum sutoris, ac tonsoris ab arte tãtum, utq;

artifex ipſe eo cognomine inter caues ipſos differat, agnoſcaturq́;, Id quod in exercitu ſigna, uexillationesq́; indicant, uidelicet quo quiſq; ſit ex ordine, ac uexillatione. Quid? ꝙ faciẽdi, finis extra quidem eſt conſtitutus, proprieq́; extrarius dicitur. Nã textoris finis eſt tela, et ſtatuarij ſtatua, cum agendi finis ipſamet ſit actio, quæ ubi fuerit honeſta, ac laude digna, ipſa quidem uirtus erit, ac ſibi ipſi finis. Itaq; agendi habitus non idem qui et faciendi, Quando, ut idẽ ipſe ait Ariſtoteles, in arte ſponte qui delinquit eſt ipſe quidem potior, in uſu uero prudentiæ longe ſecus. Quemadmodum & in uirtutibus, artifex enim ipſe hac in parte laudari plerunq; ſolet, ſaltem autem excuſari, qui uero uolens labitur, ac ſponte errat in actionibus, uenia nullo pacto dignus exiſtimatur. Quocirca nullo modo ars habenda eſt prudẽtia, ſed uirtus quædam potius, eaq; dux ac magiſtra, non ita tamen ut una ſit moralibus è uirtutibus, licet eam paulo ante moralẽ ꝙ in agendis agnoſcatur rebus, uocauerimus. Cum actio ipſa honeſta, uirtus quidem ſit, prudentia uero non ſit ipſa actio, ſed actiones ipſas dirigat, itinerisq́; totius uiam monſtret, nec ſit ipſa finis, ſed dux ad finẽ progrediendi, regendiq́; curſus totius magiſtra. Quippe cuius officiũ ſit, rectam producere in medium rationem, quaq́; uia, quibusq́; ſequẽdis, affectatum quis finem adipiſcatur, oſtendere, & quaſi manu ſequentem illum poſt ſe ducere, quem ad locum agens ipſe omni cura ſtudioq́; contendit. Itaq; nec ars, nec ſcientia, nec moralibus è uirtutibus una aliqua eſt prudentia. Nec uero ab re fuerit propter cauillatores hoc in loco meminiſſe uetuſtiſſimorum ſcriptorum, qui & mores, & inſtituta in utranq; partem et aſtutias, dolos, ac fraudes artes uocauere, nunc in laudẽ, nunc in uituperationẽ, ut cũ ait Salluſtius.

Ars

» Facile imperium ijs artibus retinetur, quibus in initio partũ eſt. Et
» Liuius, Omniũ conſenſu princeps belli, pacisq́; artibus. Et cũ hiſtorici alij dixerunt, artes Annibalis, et Comici, ſeruorũ artes, ac lenonũ Itaq; ad actiones referri artes ipſas etiã uidentur, ac mores, unde in prouerbij ferè locum conceſſit, artem arte fruſtrandam. Sed nos hac in parte, hisq́; in diſſertionibus artem intellegi eam uolumus, quæ manu fiat, quæq́; in opificijs ſeſe exerceat, atq; operibus faciendis. Aliud igitur eſſe prudentiam ab arte, atq; ſcientia, moralibusq́; ab uirtutibus, ſatis oſtenſum ſit, quamuis moralis ipſa ſit, uerſeturq́; in actionibus.

Quæ differentia ſit inter mentem, ac prudentiam.

A c ne fortaſſe mentem eſſe prudentiã, quemq́; intellectum dicunt arbi

tremini, ab hac ipsa opinione auertere illud uos præcipue debet, quod à peripateticorum principe intellectus ipse, cogitatioq́;, quæ apud eũ est διάνοια, in principijs uersari dicitur, prudentia uero in ijs utiq;, quæ ad finem pertineant, contendantq́; ad metã. Etenim ante quàm agendum quid suscipiatur, ac posteaquam sensus ipsi multa animo obtulerunt, et mercem quasi quandam explicauerunt intellegentiæ, mẽs ipsa diutius cogitando, consyderando, pensitando, multumq́; etiam uersando secum, uim tunc illam exercet, cuius proprium est speculari, quærere, perscrutari, inuenire, Quæ uirtus, potestasq́; ad ingenium omnino refertur, oportet enim rimari cuncta, nihilq;, quod ad rem faciat, incompertum, non inuestigatum, atq; incogitatum relinquere, Deinde inuentis, deq́; compertis ipsis, ac diutius pensitatis sententiam ferre, Ac quæ & qualia sint, q̃ etiam ad rem ipsam opportuna, idonea, ualida iudicare, deq́; illis decernere. Quibus in rebus nullum omnino habet locum prudentia, quippe cuius nulla sit prorsus in ijs, quæ electionem antecedunt authoritas, nullum etiã officiũ, quando nulla etiam exsistit actio. At ubi satis constitit, de inuentis, cogitatis, perspectis, diuq;, ac multum pensitatis, ijsq́; ubi iudicium accessit omnibus, diuq; agitata ipsa mentis uis conquiescit, atq; assentitur, mensq́; tandem ipsa ad agendum sese conuertit, Tum uero primũ prudentiæ sese et officium offert, apparetq́; industria eius, et opera, quippe quæ docet, monet, instruit, hortatur, cauet, & tanquam dux aciem dirigit, atq; ad pugnam copias ordine suo agit, ducitq́;. Quocirca non iniuria fortasse intellegens illa animi uis, in ijs sese omnibus gerere uideatur, perinde, ac in exercitu ante oppugnationem aliquam imperator, Ille enim prius secum uersat animo diu multumq́;, sit'ne suscipienda oppugnatio, omnia simul circunspectans atq; consyderans ab sua, atq; ab hostium parte, perquiritq́; quibus artibus, qua uia, quoq́; etiam genere oppugnationis sit gerenda res, quibus postmodum consyderatis, inspectis, pensitatisq́; adhibet rursus mentem, cogitationesq́; in consilium suas, perpenditq́; & tanquam in trutina cuncta suspendit, atq; axaminat, num sit oppugnationis genus probãdum, quibus etiam sit ad opppugnandũ opus et quantis, an uiæ ipsæ, artesq́; excogitatæ sint re ipsa responsuræ cogitationibus, Eaq; ubi in eius animo firma constiterunt, & iã decreuit sequendam oppugnationem, tum gerendarum à se rerũ explicatur ordo, instruuntur machinæ, comparãtur necessaria diruendis muris, ac turribus, opportuna complendis fossis, apta superandis propugnaculis, deniq; ad oppugnandum admouetur exercitus ab ipso duce, ante pugnam etiam

præfectis, tribunisq; instructis, quid agere, & sequi, & à quo cauere debeant, præmijs etiã propositis, qui murum primi ascenderint. Videtis hac in comparatione, ac similitudine imperatorẽ ipsum antea q dem partes illas implesse, quæ cogitantis essent, secũq;, atq; in animo uersantis plurima, post uero de cogitatis ipsis iudicantis, ferentisq; de illis sententiam, Vltimo autem, ubi ad res peruentum est gerendas, prudenter omnia ab illo administrari, seq; ducem præbere omnium ac tum directorem expugnationis, tum faciendi prælij magistrum. Eadem sunt igitur ante susceptas actiones mentis, intellectusq; ipsius munera, ijsdemq; ipsa uersatur in principijs, Voco autem principia ea, in quibus consyderandis, ꝑpendẽdis, examinandis mens ipsa, cogitatioq; occupatur ante susceptum, constitutumq; negotium, & an suscipiendum illud sit, & qua etiam uia, quoq; tempore suscipiendum, rimatur, dubitat, quærit. Post uero iactis fundamentis, quoniam ad finem contenditur, exsurgit, seq; exercet mentis uis ea, quæ mediorum est administratrix, cõsiliaria, magistra, Indeq; quod prospiciat, quod acutissime etiam uideat, quæ ad finem sunt comparandum peridonea, ac necessaria, Prudentia est dicta. Nec uero prospiciat modo, ac procul ea uidet, contẽplaturq;, uerum etiam admonet, hortatur, actionesq; ipsas dirigens, eas explicat, ac disponit. Quo fit ut nequaquã ipsa sit mens, intellegentiaq;, quando nullo modo prudentia in negotiorum exsistit principijs, iacendisq; rerum agendarum fundamentis, nullumq; ante captam electionẽ sit eius utiq; officium, sed alia quædã sit potius uis eius, eaq; posterior. Quo fit ut ab intellectu ipsa sit uirtus non à moribus nominata, etsi mores nostros comitatur ubiq;, & hominum actiones ad finem etiam usq; dirigit, ad quem illæ contendunt. Qua in re appetitus ipse sic assentitur, obtemperatq; intellegentiæ, ut regulam quoq; ab illa accipiat, ac legem. Atq; ut intellegẽdi uis quædam est, quæ uersatur in actionibus, sic & appetiscendi, in ijs, quorũ iurisditio ad mentẽ spectet, referaturq; ad intellegentiã.

Quæ sit differentia inter sapientiam, et prudentiam.

Distat longo etiam interuallo hæc ipsa prudentia ab ea, quæ sapientia dicitur, ac tametsi utraq; honesti, inhonestiq; cognitionem habet uitæq; degendæ, sapientia tamen, & illorum quæ cœli, ac Dei sunt, rerumq; naturæ perspectionem sequitur, nedum humanarum siue rerũ siue opinionum perscrutationem. Cum ea solum prudentia curet, illisq; duntaxat sit intenta, quæ ad utilitatem spectent, eaq; etiam cõ

commoda, quæ rẽ familiarem constituunt, ijsq; uel adipiscendis, quæ bona iudicentur, appareantq; utilia, & iucunda, uel contra auertendis, quæ mala habeantur, & nocua. Itaq; eorum, qui sapientes sunt habiti, non pauci rem familiarem parum omnino curauere, rebus cœlestibus tantum, naturalibusq; occupati. Nam & Anaxagoras ad uitæ extremum fame laborauit, & Democritus à curis se se abdicauit ciuilibus. Adolescentes ipsi THEODORVM GAZAM uenerabamur, ob summam rerum naturæ cognitionem, cũ eius tamen administrandis rebus is captus esset, ut pene inhabilis ad uitæ ciuilis haberetur munia, urbanasq; ad actiones. Vterq; tamen et sapiens, et prudens uir, in senatu disputabit de lege agraria, deq; coërcenda tyrannide. Sed ille ubi ad administrandum, gerendasq; uocatus ad res fuerit, ni multa uiderit, egerit, expertus fuerit, præpeditus, inexplicatusq;, atq; agendi ignarus inuenietur, qui si gnauiter profecto, recteq;, atq; è sententia rem administrauerit, magis id ipse quidem ut expertus præstiterit, ac prudens, quàm ut sapiens, Cũ prudens ipse in rerum administrationibus, procurãdisq; negotijs, ex officio uersetur suo, siquidem prudentes eos dicimus, qui bene, diligenter, utiliter, perspecte, sibiq; rebusq; suis, & ex toto & singulis è partibus ubiq; consulunt, uitæq; ipsius uniuerso cursui, nihil eorum neglegentes, quæ ad tutandam rem familiarem, ampliandum censum ad eaq; quibus ipsi præpositi sunt negotia recte administranda pertineant, quæq; curæ administrationisq; suæ esse intellexerint. Ad hæc prudentia in ijs ipsis uertitur, quorum finis aliquis ex humanis, ac ciuilibus bonis agendo comparandis expetitur, proq; eo labor omnis suscipitur, ad idq; adipiscendum cunctas ipsi curas, laboresq; impendimus. Etenim quæ agibilia sunt prudentia sequitur, quæq; agendo tantum adipisci ualeamus. Contra sapientia humanas uidetur actiones aut deuitare, aut contemnere, parumque omnino eas curare, quin illis studere solum, atq; incumbere, quæ utilitatis, familiariumq; commodorum, aut nullam prorsus habere rationẽ, aut minimam uideantur, neq; de actionibus ipsis, uerum de cognitiõe rerum humano, ciuiliq; ab usu remotarũ esse solicita, ut si eos aliquando ad agendum necessitas traxerit aliqua, inertes, præpeditiq;, nõ raro, etiam ridiculi appareant, aut parũ omnino exercitati. Cũ sæpenumero etiam usu ueniat, ut plebeius q̃spiã, atq; ex ijs, quos Idiotas uocant, prudẽtius se se, magisq; pro recta ratione gerat, q̃ solertissimus ille rerũ naturæ cognitor. Itaq; non ab re fortasse à priscis illis spectatissimis uiris usurpatum legitur, nequicquã sapere sa

pientem, qui ipsus sibi prodesse nequeat. Quid quod Peripatetici & Phidiam, & Praxitelẽ, et excellentissimos quosq; suo in genere artifices, sapienteis appellare consueuere, prudenteis uero nullo modo, ut sapientia ipsa uideatur ijs ab actionibus, quae moraleis constituũt uirtutes oĩno seiũgenda, accommodandáq; quadã è parte artibus ijs potius, quae et clariores ipsae sunt, et fines extra se positos habent, uersanturq; in operibus faciendis, ut etsi diuinarum humanarumq; rerum cognitionem habeat, moralibus tamen ab actionibus sit penitus aliena, quarum sit prudentiae unius administratio, & cura, cuius profecto studium sit utilium tantum, ac ciuilium familiariumq; bonorum, Cum sapientia ea solum curet sequaturq;, quorum certa sit cognitio, ac scientia, quaeq; natura ipsa sint praestantissima, atq; ut maximi pretij, sic maxime quoq; suspicienda, quibus etiam humana haec uel minime comparentur bona, uel illis forte comparata sordescant. Maiores tamen illi nostri, qui nunc dicuntur Iuris consulti, eosdem iuris quoq; uocauere prudenteis, & nunc ijdem uulgo, indifferenterq; sapientes appellantur. Quin & qui bene, prudenterq; & publicam, & priuatam rem tutantur, rebusq; suis utiliter, ac diligenter consulunt, quiq; & recte & è sententia, consulentibus respondẽt, sapientes etiam uocantur. Puer ego audiebam de senioribus, & Franciscum Phoscarum, & Cosmum, quorum alter Venetorũ rebus praeerat, alter Florentinorum, haberi utiq; sapienteis, quod rem uterq; publicam optime, prudentissimeq; administrarent. At neq; Iottum, neq; Gentilem Fabrianensem, aut Ioannem Burgundionem, laudatissimos pictores è nostris quisquam appellauerit sapiẽteis, licet egregie pinxerint. Itaq; statuendum est, ut prudentia ad actiones quidem, atq; ad illa, de quibus deliberare homines soleant, referenda sit, sapientia uero ad cognitionem, ut illius sit bene consulere, dispensare, regere, huius uero intellegere, cognoscere, sapere. Ad haec et qui in agendis rebus uersati sunt, & qui in artibus, ac facultatibus, cum excellentia & laude, peritos eos nostri proprie dicunt. Nam & Bartholum, & Baldum, & Ludouicum, iuris, ac ciuilium legum peritos uocant, & Nicolaum Picininum, ac Franciscum Sfortiam rei militaris, atq; administrandi belli peritissimos, & Laurentium Vallã dicendi, Iottium autem pingendi, Donatellum uero formandarum statuarum maxime peritos fuisse, ut peritiam, quàm sapientiam Romana in lingua appellare hanc uideri possit magis idoneum, ac proprium. Plura tamen usui concedenda sunt, sed ita quidem concedenda, ne rei tamen ipsius ratio ignoretur. Statuimus itaq; pruden-

tes proprie appellandos, qui utilibus tantum bonis comparandis, conser
uandisq; cum honestate, ac dignitate occupati sunt, ijsq; in actioni=
bus exercentur, ac rebus, quæ ad uitam ciuilem, censumq; domesti-
cum tuendum, ac locupletandum pertineant, quiq; sequantur bona
tantum illa, quæ domestica sunt, ac ciuilia, Sapientes uero qui cogni=
tionem rerum tantum modo ipsi quidem habeant, ab usu uero tum do
mestico, tum ciuili omnino auersi, ciuilibusq; ab actionibus, ac domesti
cis compendijs, sola cognitione, ac cœlestium, naturaliumq; contem-
platione, humanarumq; indagatione rerum contenti. Qua ratio-
ne contemplatricem hi quidem uitam, speculandiq; sequuntur lau
dem cum admiratione quoq; & ciuium, & populorum cuiusmodi
fuisse sapientes illos, quibus Græcia tantopere se iactat, ferunt, pru-
dentes uero agentem duntaxat, ac negotiatricem, etsi non pau-
ci in utroq; pariter laborarunt uitæ genere, ut Varro, Ciceroq; è
nostris, è Græcis Archytas, qui in administranda Tarentina re pu
blica princeps fuit, quando artifices quamuis exactissimos, sapientes
ut dicimus, latinus dicendi usus, grauissimusq; ille sapientiæ respe-
ctus uix patitur, quos in arte sua consumatissimos appellare, atque
exactissimos satis fortasse fuerit. Vt enim cœlo, naturaq; nihil admi
rabilius, sic neque sapientia. Quod si tanto hoc tamq; raro cognomi
ne, optimos rerum publicarũ administratores, atq; domesticarum stu
diosissimos utilitatum minime quidem dignamur, an dignabimur
artifices, fictores, pictores, conflatoresq; statuarum, aut cælato
res? Quaq; igitur in lingua, nedum in disciplina sua retinen=
da est dignitas, suumq; conseruandum loquendi, ac disserendi ge-
nus. Quis enim nostris ex hominibus sapientis exornabit titulo
Cyrum bellicarum machinarum, obsidionaliumq; munitionum tem
poris nostri peritissimum architectum, atq; artificem? Cum Frideri
cum Vrbinatem, cuius ille sub stipendijs merebat, si latinæ linguæ
dignitatem sequi, ac proprietatem uoluerit, sapiẽtem appellare nullo
pacto audeat, sed prudentem potius belli ducem, uirumq; maxime ex
pertum, ac rerum militarium eminenter peritum & dicet, et his no
minibus exornasse eum abunde satis putauerit, cuiusmodi duces, ma
iores nostri fortitudinis potissimum laudibus exornabant. Siqdem in
periculis uersantur, ac laboribus, nõ in rerũ indagatione, ac notitia.
Cum igitur quinq; sint numero (ut paucis, quæ hac in parte dicta
sunt resumamus) in quibus animus ipse assentiendo, dissentiendoq;
uersatur, ars, scientia, sapientia, intellectus, &, de qua nunc disseri-
mus, prudentia, quantopere ab illis hæc ipsa differat, iam uidetis, ab

arte enim hoc interest, quod cum homines aut agere dicantur, aut facere, artificis quidem proprium est facere, idq; artis ipsius omnino peculiare. Versantur enim in ijs & artes, & artifices faciendis, è quibus opus exsistit aliquod, opera autem ex ipsa opificium constituitur, de quo artifex ipse agnominatur, ut à statua statuarius. Quo fit opere ut ab ipso probe improbe'ue confecto, artifex ipse perinde, ut probus, consumatusq; in ea, quam exercet arte, laudetur, aut ut parum peritus accusetur, ac rudis. Qui uero agendis rebus dat operã, eius exsistit ex actionibus opificium omnino nullum, sed officium, actioq; ipsa ex eo officiosa dicitur, de qua author ipse agnominatur. Si enĩ fortiter egerit, fortis, liberalis si liberaliter, si pie, pius. Quid? quod faciendis ab opificijs, atq; à manuum fabricis, nemo aut ut bonus uir, aut ut ciuis egregius laudatur, cum ab honestis, probatisq; actionibus, & ciues boni, & probi etiam commendentur uiri, uituperenturq;, atq; afficiantur supplicijs qui inhonestum quippiam, flagitiosumq; admiserint, neq; enim prætores lege agi in eum iubent, qui Herculis clauam parum proprie, ruditerq; depinxerit, uerum in illum, qui aut claua gladio'ue, aut uecti, ciuem, aduenam, peregrinum'ue percusserit. Illud uero nullo modo præteribimus, uerba nostra non ubiq; Græcis omni è parte congruere, etsi in multis conueniunt. Siquidem uerbi Facio apud nostros usus est quamlatissimus, dicimus enim, & pacem fecit, & bellum, & inducias fecit, & fœdera, & fortiter fecit, ac constanter, & filia me auum fecit, sororq; auunculum, & uerba fecit in senatu, perinde, ut Apelles fecit Alexandri imaginem, & Aeneum Phalaridi Perillus taurum. Quo' circa intellegi hæc sic uolumus, ut artes operariæ quidem sint, manuumq; etiam constent opera, actiones uero eiusmodi, quibus moderandis, dirigendisq;, aut solum, aut maxime uersetur prudentia, & quorum finis sit uirtus ipsa cum summa etiam commendatione, & gloria. Nec uero ignoramus lignarium fabrum, currum facere, et scrinium, quo ex illorũ pretio rei domesticæ utiliter consulat. Quæ quidem ipsa ratione distinguenda sunt in pluribus, magis quàm è uerborum ipsorum significatione atq; in nutu cognoscenda. Atq; hæc q dem ipsa, aliaq; id efficiunt, ut aliud ars sit, aliud autem prudentia. Quæ à scientia quoq; uel longissime distat, quando prudentiæ proprium est in ijs uersari, seq; exercere, de quibus ut incertis, dubijsq;, & utilia'ne an inutilia futura sint consultari solet, et in quibus consilium, deliberatioq; locum habeat. Scientia uero scire tantum studeat. Etenim de dubijs consultatur, dubia autem, atq; ambigua sunt,

quæ habere ſeſe aliter, atq; aliter poſſunt. Contra quæ ſciuntur, et quorum notio certa eſt, habere ſeſe aliter nullo modo queunt, ſunt enim neceſſaria, neceſſariorum autem immutabilis eſt natura, eaq; nullo modo uariat. Quo fit, ut quorum eſt ſcientia, ea minime fallant. At decipiant ſæpenumero, & fruſtrentur ea, quæ prudentiæ materiam ſubminiſtrant. Quod ſcitur igitur, maxime id certum eſt, animus'q; in illo prorſus conquieſcit, quod uero dubium, egetq; conſultatione, ac conſilio, ut incertum, atq; ignoratum, angit nos, atque perturbat, ac nunc ad agendum inuitat, nunc econtrario retrahit. At ſcientia confirmat animum, ſiſtit'q; cogitationes mentis, contra uero prudentia, mens ipſa ut uacillet, efficit, animus'q; ut parum ipſe omnino inter agendum conquieſcat. Quid? quod ſciendi propria eſt demonſtratio, quæ ex cauſis eſt, ac rationibus neceſſarijs, cum prudẽtia ſequatur probabilia, nitatur'q; potiſſimum coniecturis, ac ſignis. Demum ſcientis proprium eſt ſcire, ac per cauſas quidem certas, eaſdem'q; neceſſarias, prudentis uero bene conſulere, atq; in ijs quidem ipſis, quæ utilia uideantur, atq; appareant bona. Eſt itaq; illius contemplatio, rerum'q; contemplabilium inquiſitio & cura huius autem in totius, atq; uniuerſæ uitæ curſu, boni tum domeſtici tum ciuilis ſtudium, utilitatis'q; procuratio, quam & generaliter quidem, & ſpeciatim curat, ac ſequitur, & quid, & quantum utile, aut damnoſum ſit, & quomodo etiam & quouſq;, commonefacit, adhortatur'q;, & quid nobis ipſis ſequendum ſit, docet, quid etiam fugiendum. Poſtremo & bonum, & cautum, & peritum prudentia efficit tum patrem familiæ, tum rei publicæ adminiſtratorem, cum ab hoc toto genere prorſus ſit aliena ſcientia. Nec uero prudentes eoſdem eſſe uolumus, quos & ſapientes, cum prudentium propriæ ſint actiones rerum'q; plurimarum uſus & familiarium, & ciuilium, ſapientium autem, naturæ magis inquiſitiones, & diuinarum, humanarum'q; perſcrutationes, ac notitiæ rerum, & in quibus par eſt uti etiam demonſtrationibus, quas ſibi ſcientijs ab ipſis mutuantur, quæ'q; uel in primis ipſorum ſunt familiares. Et hæ quidẽ ſiue notitiæ, ſiue perſcrutationes, ac demonſtrandi uires nullæ inſunt prudentibus. Contra & ſumma, & exquiſitiſſima ineſt eis agendi uis, ac peritia. Sunt'q; maxime ipſi quidem experientes atq; induſtrij. Vt'q; minime ipſi rerum quærunt principia, et cauſas, ſic apertiſſime perſpiciunt ea, quæ ad finem, in quem incumbunt pertineant, & quò ipſi contendunt, perducant. Sapientes quoq; diuina quæ uideantur, potiſſimum quærunt, ut omnium, quæ ipſi intellegunt maxima, ac præſtantiſſima,

prudentes uero tantum humana. Quid? quod non paucæ modo sapientes è scientijs sibi assumunt, uerum etiam permulta. Cum eorum mentes tractandis, percipiendisq; causis naturalibus, diuinisq; peruestigandis rebus semper occupentur, prudentium uero cogitationes, humanis solum commodis, ac compendijs sint intentæ. Quid? quod prudentiæ nomen ipsum belluis etiam quibusdam, quod uitæ suæ perspectissime consulant, accommodari solet, ut formicis, ut apibus. Cum sapientiæ nomen diuinum quiddam, supraq; humanam habeatur cõditionem, cui quæ scitu digna sunt, eademq; admirationis plena se se tantum cogitanda, ac perspicienda offerant, huic uero agibilia solum obijciantur, quæq; hominibus omnibus sint communia. Ac sapientia quidem (ut Græcis placet authoribus) duplex est, & quæ præclaris, summisq; tribuatur artificibus, ut Phidiæ, ut Polycleto, & quæ Thaleti, atq; Anaxagoræ, prudentia uero una & simplex, qualis in Pericle, ac Themistocle, qui ea, quæ & sibi, & alijs utilia essent perspicerent, in ijsq; tantum uersarentur, quæ homini aut bona essent, aut mala, ac Pericles humana quidem tantum quærebat, Thales uero quæ admirationis, ac diuinitatis plena, tamen inutilia, reiq; familiari nihil prorsus conferentia. A` mente autem, atq; intellegentia tantum abest prudẽtia, ut hæc tantummodo ad finem properet, dirigatq;, atq; moderetur agentes, iusq; suum susceptam post electionem omnino exerceat, cum ante hanc ipsam electionem, intellegentia, & de principijs soliciata sit, & acutissime singula examinet, quibus examinatis, atq; perpensis uoluntatem hinc ipsam ad eligendũ exhortatur, & excitat. Quo primum tempore, prudentiæ sese offert uis, atq; iurisditio, eaq; ad finem usq;, consumationemq; minime deserit negotij iam suscepti. Quæ quod ab intellectu ipso proficiscitur, & quodam quasi è fonte profluit, ex eo agnominata est intellectiua. Et a` mente quidem, intellectuq; doctrinæ manant, ac scientiæ, rerumq; admirandarum cognitiones, à prudentia uero moderante, ac dirigente, actiones illæ rectæ quidẽ, ac laudabiles defluunt, quæ uirtutes sunt, agnominanturq; morales. Atq; ut scientia, ut sapientia, maxime gaudet communi ea cognitione, quæ uniuersim quidem colligit res, ac comprehendit, sic prudẽtiæ industria lætatur potissimum particularibus, in ijsdemq; enitescit, actiones enim pleræq; omnes rerum sunt singularium. Vtq; initio in Oratoria facultate, ciuilibusq; contentionibus, ac causis intellectus cognitionem habet uerborũ, conquiritq; ea, & quam quæq; tum dictio, tum propositio significationẽ habeat, ac sensum rimatur, percipitq;, post uero Oratoris ipsius indu

stria, & quædam quasi prudentia discernit, aptatq; uerba ipsa, & collocat, ac quid sit utile dictu, & quomodo etiam dicendum, quid etiam quoq; in loco, & quo ordine collocandum monet, docet, instituit. Sic ipsis in rerum actionibus, exercet principio uires suas intellegentia, ac cogitatio, multa uaria diuersa, susceptum ante negotiũ, confirmatumq; uoluntatem sciscitando, examinando, expendendo, sine ulla prudentiæ opera, post uero agendi uis omnis in manu prudentiæ regulaq; est sita. Maxime autem quid prudentia ipsa ab ijs, de qbus dictum est, distet omnibus, & quantum etiam differat, & qua uia, quibusq; progressionibus, definitio ipsa cum primis monstrabit. Quocirca Aristotelem secuti prudentiam esse statuimus animi habitum, qui uera cum ratione in ijs uersetur agendis, quo ducantur esse homini bona.

Consultationem atq; electionem esse de futuris, ijsdemq; particularibus.

Cuius quia materia quasi quædam consultatio est, ac deliberatio, q̃d q; præteritis, atq; ante actis de rebus consultat nemo, dicendum uidetur, consultationem omnem, quæq; illam sequitur electionem futuris esse de rebus. Etenim futura'ne suscipienda sint negotia, dubitatio exsistit. Vertitur itaq; in dubiũ in Italico senatu, decernendum'ne sit aduersum Turcas bellum? nullo autem modo, sit'ne funditus euertenda Carthago? quæ deliberatio locum habuit in senatu Romano, ante q̃ illa esset à Scipione euersa. Quocirca tum consultatio, tum electio futuris est de rebus, ac negotijs, ijsdemq; plerunq; particularibus. Nã etsi aduersum Turcas, gentemq; omnem Turcaicam bellum'ne sit decernendum, deliberatur, gens tamen ipsa, uniuersitasq; Turcarum omnis hac in deliberatione, particularis efficiatur causa, ut natio quidem uniuersa, in tot diuisa populos, prouincias, principatus, uideatur omnino una, bellumq; prorsus unum.

Suscipiendas esse actiones pro uiribus suscipientis.

Nec uero res ipsæ, inceptaq; de qbus exsistit quæstio ac deliberatio, præter uires consultantis, supraq; illius captũ aut eligẽtur, aut parũ suscipiẽtur pro facultatibus. Secus enĩ non prudẽtiæ in ijs, sed temeritatis potius ludus, palæstraq; quasi quædã uersabitur. Licuit Orpheo q̃d matre satus dea, quod canoris fretus fidibus, qbus et syluas traheret, & saxa tentare iter Erebi uiuentibus omnino imperuium, atq; in

concessum, Eurydicenq; cantus sui praemium à Plutone petere. Quã uanum autem pretium id ipsum fuerit, inceptumq; quantopere temerariũ, amor ipse admodumq; etiã incontinens docuit, suiq; ipsius parum omnino compos libido. Itaq;

» Septem illum totos perhibent ex ordine menses
» Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
» Fleuisse.

Licuit et Herculi Iouis supremi filio cum praeda illa tartarea auras regredi ad superas, totq; etiã monstra prosternere. Tantorum tamen laborum exitus, admirabiliumq; facinorum finis quis fuerit, uxoris docuit ira, Nessaeoq; delibutum ueneno, ac decantatum illud à Poëtis textum,

Illita Nessaeo misi tibi texta ueneno,
 Impia quid dubitas Deianira mori?

Erunt igitur de quibus consultatur suscipiendae res inceptaq;, pro captu deliberantis, proq; eiusdem facultatibus ac uiribus.

De prudentis uiri officio, & qualis ipse esse debeat.

Est autem prudentis uiri propriũ, peculiarisq; illa eius commendatio, bene utiq; uti consulat. Bene autem consulere nemo poterit, nisi omni è parte res ipsas, negotiaq; de quibus cõsultatio suscepta est perspecta animo, atque undiq; animaduersa habuerit, probeq; cõsyderata, nisi ipsius quoq; cõsultantis nouerit, expenderitq; ingeniũ, uires, facultates, opes. Nam ratione alia consulere qui nam bene, ac prudẽter poterit? oportet enim consilium esse bonũ, utq; ipse tum sibi, tum alijs bene omnino consulat, siquidem prudentem uirum, bonum quoq; eundem esse uolumus Ipsaq; cum prudentia uirtus sit, & praecipua quidem uirtus, bonum ea, ut sit, ac praeclarũ etiã bonum prorsus necesse est. Nam et praedones, et sicarij recte quidẽ consulere, atq; è re ipsa flagitijs patrandis consueuere, bene autem consulere nullo modo, sunt enim flagitiosi, ac maxime improbi. Nã etsi quod bene idẽ recte, nõ ubiq; tamen quod recte, idem quoq; et bene. Itaq; peruersis in hominibus, deprauatisq; in ingenijs ad patrandum flagitium, rectum inesse, atq; accommodatum potest consilium. Ideo autẽ rectũ quod facinus ipsum ad exitum quẽ sibi in animũ induxerant, recta perducãt uia, bonũ autẽ, quomodo? cũ finis ipse sit maxime turpis, ac summũ in modũ detestabilis, sintq; improborũ, ac sceleratorũ hominũ corrupti mores, deprauata mens, impurus, atq; inquinatus animus, uoluntas à

bono, honestoq;

bono,honestoq́; penitus auersa, ac detorta. Qualia tyrannorũ sunt consilia,cogitationesq́; à bono,honestoq́; tantopere abhorrentes.

Affectus animi impedire recta consilia & bona.

Quo fit ut bene consulere nequaquam possit,cuius animus aut dolore teneatur,aut uoluptate præsertim nimia, prudenterq́; apud Sallustiũ Cæsar. Qui de rebus consultent dubijs,ab odio,amicitia,ira,atq; misericordia oportere uacuos esse censet. Etenim affectiones illæ,quæ à bono,honestoq́; consulentem detorquent,uel à dolore excitantur,uel à uoluptate nimia pessimus hominum consiliarijs. Itaq; non male illi quidem,qui temperantiam in castris excubare aiunt debere prudentiæ,atq; in statione agere,quando,ut apud eximium est Poëtam,

" -dolor iraq; mentem Præcipitant. Voluptas autem animi uires sic eneruat,ut nihil nisi languidum,muliebre,& tanquam euiratum,aut sentire patiatur,aut consulere. Ac mihi quidẽ bonum,atq; honestum consilium,dux quasi quidam uidetur tum suscipiendi itineris , tum suscepti, quo etiam comite ad optatum perueniatur locum,atq; ad finem nobis ipsis propositum,tanto etiam studio,ac sudore perquisitum.

Quale debeat esse consilium.

Tria itaq; præcipue consilium ipsum probant,quod rectum,quod honestum,quod bonum . rectitudinem ratio ipsa sumministrat,nihil enim rectum,nisi ratio illud dirigat,bonitatem uirtus,quæcunq; eñi secundum uirtutem sunt,& ipsa quoq; bona sunt,quippe quæ uirtutis naturam sequantur,honestas uero inde manat, quod ubicunq; ratio habet,ac uirtus locum,illic etiam et honestas. Igitur ut quod examinate,delecteq́; susceptum est negotium, ad finem usq; summa etiam cum prudentia dirigatur,hoc ipsum,& bonum præstat consilium,& omnino efficit,perinde,ut peritus dux,comes etiam fidelis,admonitorq́;,atq; adhortator minime uanus,aut fictus.

De delectu habendo in consulendo.

Omnino autem bonum qui consilium aut ipse sibi capturus est, aut alijs daturus,oportet eum plurima circunspicere,loca,tempora,personas,rerum præsentium statum examinare, eorumq́; simul omnium delectum habere,facultates,clientelas,opes expendere,præterita diu,

multumq́; in animo uertere, eaq; præsentibus conferre, & tanquam in trutina componere, quibus compositis, & quod prudentis est æstimatoris, omni è parte examinatis, de agendi modo, rationeq́; præcipue solicitus erit, totusq́; in eo uersabitur, ut non solum quid sequẽdum sit, sed qua illud uia sequendum, utq; & quid deceat, quid etiã oporteat, & quantum quoq;, & quousq; oporteat, in scapulo ipso probe perpensum habeat. Nam quia, prudens qui sit bonum quoq; eundem uirum, honestumq́; esse cauem statuimus, ad finemq́; usq; pfecti negotij sibi undiq; constantem, nihil prorsus bono uiro indignum cõmittet, nihil quod honesto ciui parum congruens iudicetur, nanq; ut finis eius est honestus, & media quoq;, per quæ ad finem contenditur, honesta erunt, qualia & uiro bono conueniant, & eo quidem uiro, qui ciuilium sit legum, cœtusq́; communis maxime studiosus. Latronum est enim, summeq́; impudentium fœneratorum per scelus grassari, usuq́; per impurissimos concupitum progredi ad finem, q̄bus in actionibus quis locus potest datus esse prudenti? cum in ijs uis regnet, ac fraus simul, expilatioq́;, falsa item obsignatio, ac simulatum benefaciendi studium. Itaq; probatum, atq; honestum consilium media eiusmodi sequentur, talesq́; progressiones, ut finis ipse cum hominum sit approbatione & laude, proq́; agentis ipsius dignitate, siue finis ipse, consiliumq́; in priuatum spectet, siue in publicum, ac cõmune bonum.

Vsum atq; experientiam plurimum conferre ad bene consulendũ.

Ad celeritatem autem consiliorum maxime confert natura, inditumq́; ab illa ingenium. Ad maturitatem uero, perfectionemq́; usus ipse, rerumq́; multimodarum plurima exercitatio, quæq́; in ore est hominum experientia. Itaq; non temere dictum est ab Horatio.

» –Aut uirtus nomen inane est,
» Aut decus & pretium recte feret experiens uir.

Quid? quod probatum consilium, senile idem dicimus, quod uidelicet plurima senes experti sunt, contra uero quod præceps, ac male consultum, iuuenile, quando iuuenes ipsi, et parum omnino experti sunt, & ætas illa affectibus intemperantioribus maxime est subiecta. Quocirca in consultandis apud Homerum rebus primæ partes propter ætatem, ac rerũ usum traduntur Nestori. igitur si prudentis propriũ munus, atq; officium est bene consulere, si prudentiæ ipsius, et comitari actiones, & dirigere eas, atq; ad finem perducere, quibus par est rationibus, & qua oportet uia, quaq́; etiam decet mo

deratione, & ordine, nimirum & bonum consiliũ ducem, comitem, directoremq; uti existimemus par est commodorum, utiliumq; quorumcunq; assequendorum, & publicorum, & priuatorũ, quorũ quidem prudentia ipsa æstimatrix est pariter, ac iudex æquissima.

Quid sit bene consulere.

Quæretis fortasse hoc in loco, hacq; præsertim in parte, ipsum'ne bene consulere, an sit scire, bonumq; consilium sit scientia, an fortasse bona sit siue coniectio, siue etiam opinio. Ac primum qdẽ bonum consilium, minime esse scientiam illud docet, quod nemo de ijs aut cogitationem suscipit, aut consultat, quorum ipse scientiã habeat, est enim consultantis quærere, discutere, ratiocinari, quando consultatio ipsa quæstio quædam est, ac perscrutatio, mentisq; in rebus dubijs agitatio. Nam & qui scit quiescit, qui dubitat, consultatq; anim solicitudine angitur, mentisq; agitur inquietudine, parumq; sibi omnino constat. De certis enim, ac cognitis nulla ulterior aut perscrutatio est, aut dubitatio. Ad hæc consultatio agibilium quidem est rerum, earumq;, quæ habere sese aliter possunt, & in quibus, labi, decipi, atq; errare possumus, contra uero rerum scibilium est scientia, quarum causæ cognitæ quidem sint, ac necessariæ, in quibus etiam locum nullum habeat dubitatio, consultatio'ue, aut error, nec ex earum cognitione, aut ignorantia uirtus aliqua moralis exsistat, seu comparatum è moribus uitium, quarum etiam ignorantiæ nulla proposita est à legum latoribus pœna, quemadmodum uitijs, inhonestisq; actionibus decretum est supplicium. Quid igitur inter consiliũ discriminis sit, ac scientiam iam uidetis. Quod uero ad coniecturam attinet sic habete, consilium quidem ipsum ratione niti, eiusq; inhærere uestigijs, plurimumq; sibi temporis assumere ad cogitandum, quærendum, examinandum, illudq; potissimum eius esse studium, quo permaturescat, & tanquam concoquatur. Cum coniectura ipsa, uisq; coniecturalis immatura sit, ac repentina, quodamq; quasi oblata impetu, quippe quæ uix ulla nitatur ratione, sed tanquã errabunda progrediatur, uagetur, erret. Quid enim cũ ratione coniũctum habeat, qđ subitaneum, quod ab impetu, quod nullo modo ꝑquisitum? Itaq; coniectores somniorum dicuntur, minime uero rerum earũ, de qbus, agendæ nec'ne sint, & dubitamus, & quærimus. Nec uero futurarũ esse rerum coniecturas inficiamur, propter signa, similitudinesq; præteritarum. Esseq; & pluuiarum, & siccitatis, fœcunditatis, sterili-

tatisq; prognostica, & animorum, ac uoluntatum signa quædam. Quo fit ut agricolatio, militia, nauigatio, medicina, astrologia, coniecturales habeantur. Sed nos aliud bonum consilium, aliud coniecturam esse dicimus, quoniam bonum consilium actiones ipsas moderatur, dirigit, componit, regit, quod præstare nullo modo est coniecturæ. Etenim medicus per coniecturam præsentit, prædicitq; ægrotanti euenturum præter opinionem, ac morbi fortasse naturam repentinum aliquid, per consilium autem medetur ægritudini, studetq; sanitatem languenti restituere. & coniectura quidem prædictioni obsequitur, bonum uero consilium prudentiæ, actionibusq; dirigendis. Præterea qui consulit, quærit, ac de coniecturis ipsis cum ratione iudicat, coniector autem minime de consilij aut rectitudine, aut prauitate. neq; enim rationem sequitur, cum coniectatio extemporalis sit, boni autem consilij susceptio, tempore maturescat. Et bene quidem coniectura uti solertis est ingenij, eaq; ipsa uis solertia quædam est, bene autem consulere prudentis, bonorumq; consiliorũ directio, atq; usus prudentia dicitur, non autem solertia. de qua post suo loco uberius.

De differentia scientiæ opinionis ac consilij.

Differt etiam à scientia opinio, ac ne parum quidem, quod scientia certitudo quædam est, cum sit opinio persuasio quædam potius, atq; assensio. Itaq; qui opinatur uix ipse quærit ulterius, aut amplius dubitat, quando ita illud esse sibi persuasum habet. Aliud quoq; esse opinionem à consilio, atq; à scientia illud docet, quod qui consultat, bonum quo capiat consilium, & agitat secum plurima, & ratione inquæritando utitur, ac ratiocinando, & cum uehementer dubitet, nihil tamen sibi persuadet certi, sed plurimum in sciscitando consumit temporis, ne ab opinione coniecturis'ue capiatur, & ignorare se se prorsus intellegit. Ad hæc in agendis rebus suus est omnino consilio locus, quod quidem ipsum nullum prorsus uersatur in naturæ principijs exquirendis, quorum ipsorum diuersæ quidem opiniones sunt, consilia uero nulla. Itaq; dicimus tum uarias, tum diuersas, atq; contrarias esse disceptantium inter se philosophorum opiniones, nequaquam autem consilia eorum in rebus naturæ perquirendis aut diuersa esse dicimus, aut uaria. Neq; enim philosophi de naturis rerum atq; effectionibus consultant, sed quærunt, ratiocinantur, disputant. At patres familiarum, rerũq; administratores publicarum, duces itẽ exercituum, & classium præfecti, de rebus quisq; suis deliberant,

atque admodum soliciti sunt. Cum illorum finis intellegere sit & scire, horum autem bene, utiliter'q; agere, ac prudenter administrare res à se consilio ac ratione susceptas. Quid quod optimum fuisse naturæ consiliū dicimus, cum linguā, qua uoces articulamus, duplici quasi uallo, dentibus muniuit ac labris, opinionem uero naturæ hanc fuisse, quis omnino nisi delirus dixerit? Itaq; opinio ad ea magis pertinet, quæ scire ipsi arbitramur, & quorum tenere uim nobis persuademus, consilium uero omnino ad consultationem referendum, atq; ad eos, qui cogitando, quæritando'q; id maxime agunt, student'q; qua potissimum ratione & uia, ad eum finem perueniant, quem sibi consequendum proposuerint, res'q; ut suas utiliter perspecte'q; administrent. Quin etiam de opinionibus ueritas tantum iudicat, & qui falsò quippiam opinantur, ueritas ubiq; eos ut falsos coarguit. At qui ignoranter consulunt, atq; imprudenter, actiones nimirum ipsæ plerunq; illorum ignorantiam atq; imprudentiā simul detegunt, ipsi'q; in primis susceptorum cōsiliorum atq; negotiorum successus. diximus autem plerunq;, quoniam sæpenumero bonis consilijs, fortuna it obuiam, quæ in opinionibus haud scio uim'ne habeat aliquam, quippe, quæ aut aduersatur aut fauet ijs, quæ nobis consilio et opera per agenda proposuimus, nequaquam uero ijs, quæ opinamur. Quid quod & damus alijs consilium, & ab alijs capimus, opinionem uero nemo dat, cum &, qui aut dat consilium, aut capit, ipse aut sibi, aut alteri consulere dicatur, nullo uero modo, opinari.

Quæ differentia sit inter sententiam, & consilium.

Quoniam autem non solum uariæ, sed quandoq; etiam diuersæ sibiq; inuicem aduersantes consultantium sunt sententiæ, quid sententiæ intersit consilium uidendum relinquitur. Nam & bene qui consulit necesse est bene etiam ut sentiat, & recta consilia non nisi rectis ex animorum proficiscuntur sententijs. Quo'circa sententia postquam ipsa in animis sedit nostris, ipsi'q; offirmatissime decreuimus, re eam persequi, quæ sententia erat, efficitur tunc propositum. Hoc ipsum autem propositum ratione, ac uia dirigendi, actiones'q; ipsas moderandi, pro suscepto negotio, consilij proprium est munus, minime uero, aut opinionis, aut coniecturarū, aut sentētiæ, quando coniectatio signa sequitur, & uestigia quasi quædam, ipsa'q; repentina est admodum, ac lubrica, opinatio uero in ijs uersatur, quæ ita quidem se habere ipsi nobis persuasimus, nec tam aut quærit, aut dubitat, quàm sibi ipsi

aſſentitur, quod'q; opinatur, et probat illud conſtanter, et ratiocinãdo ſuſtentare nititur. At ſententia qđ ſuſcipiendũ, aut non ſuſcipiendum ſequendũ'ue, aut contra fugiendum uideatur iudicat, et cur ita & iudicet & ſentiat perſuadere ratione atq; oratione nititur. qui campus deliberatiuarũ præcipue eſt cauſarum. Harum itaq; è numero, regendarum actionum patrocinium nulla ſuſcipit inter adminiſtrandum, quoniam animi ea ſunt tum lubricas ueſtigijs ſigna coniecturas'q; insequentis, atq; inter nebulas obuerſantis, tum ſibi, aut falſò, aut parum omnino recte quippiam perſuadentis, aut nunc hoc, nunc illud ſentientis, demum etiam iudicium ſuum ferẽtis. Secus uero conſiliũ neq; conijcientis eſt, neq; opinantis, aut ſententiã, iudiciũ'q; de re ipſa ferentis, uerũ actiones ſequentis, atq; ad perficiendum, ꝙ propoſitum, ac cõſtitutum eſt ſumma etiam cõtentione laborantis, contendentis'q; ad finem nulla non, qua poſſit, diligentia, induſtria, & opera. Quid quod ſententia communis eſt philoſophantium, & adminiſtrãtium rem publicam et plebeiorum etiam hominum. Exſtat enim Platonis, Ariſtotelis'q; ſua utriusq; ijſdem de rebus ſententia, uarians'q; opinio catonis item & Cæſaris, Fabij, ac Scipionis maximorum in re publica uirorum, popularium etiam hominum & graues, & re ipſa comprobatæ uoces, dicta'q; laudatiſſima de plurimis, ac diuerſis rebus. Aſt conſilium in agendis tantum uerſatur rebus, ijſdem'q; publice priuatim'ue adminiſtrandis, ac recta ratione moderandis, perducendis'q; expetitum ad finem. Et quanquam diuerſis rationibus quæ ſententia eſt, uerti poteſt in conſilium, quod'q; eſt conſilium in ſententiam, tamen ſententia ipſa ad iudicium omnino ſpectat, uim'q; decernendi, atq; authoritatem, conſilium uero dirigendas ad actiones dũtaxat, negotia'q; moderanda, ordine, ac ratione ſua, atq; ad conſulendi ſtudium in rebus dubijs, ac controuerſis, ſequendi'q;, quæ utiliora uideantur, ac rebus ipſis magis q;, ac magis conferre.

Quod munus mentis ſit, quod etiam rationis.

E *quidem ego eruditiſſimi uiri, in perficienda mente, & tanquam in locupletanda intellegentia idẽ iudico uſu uenire, quod in infantibus ante quàm incedere, ac pedibus ſe ferre ualeant. Cum enim nec erigere ſe, nec recti queant progredi, propter membrorum imbecillitatẽ, ac teneritudinẽ, nũc manibus quidẽ ſimul, ac pedibus humi reptãt, aut utraq; manu ſcabello innixi pedes ſenſim mouẽt, nunc uero nutricum manibus ſuſtẽtati, ac blanditijs illecti, paſſus pedetentim proten*

dunt, donec robuſtiores facti ſoli iam, ac ſine adminiculis, externo'q; adiumento inambulant, poſt uero et ſaltant, et currunt, ac modo lẽte incedunt, modo feſtinanter progrediuntur, eſt'q; eorum pro arbitrio nunc citus, nunc tardus inceſſus. eadẽ ratione mens pauſillatim ipſa ꝑficitur, principio enim debilis, plurimũ'q; imbecilla, ante quàm eius confirmata ſit uis, maneant'q; ſuo in robore, quæ in illã ſenſus, obſer= uationes, animaduerſiones, uſus'q; congeſſerunt (inde eni uidetur mens dicta) nititur coniecturis, exemplis, aliorum monitis, inſtitutis, iu- dicijs, poſt diu multum'q; agendo exercitata, exercendo plurima, di= uerſa'q; experta, ac cogitando, ueſtigando'q; commenta, ſecum'q; ea- dem ipſa cum ratione uerſans, dimetiens'q; & in uniuerſum & per- partes, circunſpecta, efficitur. Itaq; conſultandis rebus, peragẽdis'q; ne gotijs, quæ initio inopia laborabat, copia dein affluens ſumma'q; uber tate, robuſta iam, cogitationibus'q; per ſe ualidis, atq; uſu diuturno ſe ſe offerẽtibus, ea explorat conſilia, talia perquirit media, comminiſci tur'q; progreſſiones, cuncta'q; inter ſe, ita & componit, & aptat, & ad finem agendo dirigit, ut uoti tandem compotem, agentem ipſum efficiat, ac decurſo recte ſpatio perducat ad metam. Etenim intellegen tiæ ipſius & plures, & diuerſæ ſunt poteſtates, uires'q; etiam multi- plices, illa uero maxime peculiaris, quæ prima quidem ſeſe offert. Nanq; excitata à ſenſu, compulſa'q; mens, boniq; alicuius cupiditate & ſtudio inducta, ilico ad cogitandum ſeſe uertit, quæ & longius & diutius peruagata, explorabunda'q; ueſtigat, rimatur, & tanquã ad itineris exitum ſui feſtinans, perquirit aditus, ac uias, quibus & liberius & certius iter ſuum conficiat, perueniat'q; ad finem boni cu piditate ab ipſa ſibi oblati. Perueſtigando itaq; progreſſim, ac pede- tentim, uerſando'q; ſecum plurima, inuenit poſt, quæ antea perquire- bat, maxime idonea, accommodata'q; ad iter faciendũ. Inde quod pe- regre proficiſcentes ſeruant, ut interrogent qui obuiã fiunt, de itine- re, de uiarũ errore, de qualitate profectionis, de'q; alijs, quæ ſuſceptũ ad iter facere intellegunt, ſecum ipſa quæ offeruntur, conſyderat, con fert'q; inter ſe, cunctorũ'q; & ſimul, et ſeorſum rationem habet, ra tiocinatur'q;, & diſcutit ſingula, & perſpecte examinat, ſuſpendit'q; tanq̃ in trutina, utitur'q; in cunctis publice, priuatim'q; rationis ope, ac præſidijs, qua dictante, pro rerum ipſarũ qualitate, ac natura, eaſdẽ et in unũ colligit, et collectas ſecernit, et ſecretas, diſtinctas'q; q̃bus mo dis, qua menſura, quo ordine tractandæ ſint, ac metiendæ, qua etiã uia ducendæ ſint, deliberat. Demũ refrigerata inuentionis opera, cõ poſitis'q; diſceptationibus, maturata'q; conſultatione, adhibet ſeſe in cõ

silium mens, regulaq; rationis comprobata, quod iudicis est propriũ, sententiam suam profert, deq; singulis & particulatim iudicat, & uniuersim decernit. Primum igitur intellegentiae munus est, atq; cogitationis, perscrutatio & inquisitio, & quae ex inquisitione ipsa per uestigationeq; manat inuentio. Atq; haec initia quidem sunt in quibus mens ipsa, cum primum à sensu, boniq; specie aliqua titillatur, cogitatu sese, agitationeq; exercet sua, sola quidem, ac sine ullo rationis ductu, adminiculoq;. Vltimae quoq; partes, ac iura eiusdẽ quoq; intellegẽtiae sunt unius, ut eadẽ ipsa et primã moderetur, et ultimã aciẽ. Nam quae media est acies, in ea ius, imperiumq; ratio exercet suum. Itaq; & dictat quid sequẽdũ sit, quid contra fugiendum, & docet qua uia sit progrediendum, quibus etiam uestigijs inhaerendũ, et admonet temporis, personae decori, quae retinenda in singulis sit mensura, quis ordo adhibendus, ac modus, & tanquam gubernatrix, ac nauis temonem temperans, cursum dirigit in portum, quoq; pluribus etiã oculis utatur, ac manibus, prudentiã assumit sociam, eamq; sibi uicariam substituit. Hocq; illud est, quod Aristoteles ait, διάνοιαν illam suam, primorum esse, ultimorumq; terminorum, nequaquam uero rationem, uidelicet suum intellegentiae munus esse, explorare initio, & inuenire, ultimo iudicare, ac sententiam suam ferre. Rectae autem rationis, ac prudentiae, ratiocinari, dirigere actiones susceptas easq; moderari, proprium ac certum esse officium. Deniq; prudentiã hominum negotia dirigere secundum rectae rationis instituta et monita, caeteras uero uirtutes omnes recta cum ratione constituendas.

Neq; solertiam, neq; sagacitatem, neq; astutiam esse prudentiam.

Omnino autem homini à natura insunt ad sentiendum semina, quae post agendo, atq; exercendo, ad frugem, & tanq̃ fructum perueniunt. Atq; ea quidem semina, ꝗ in tritico, leguminibus, atq; arbusculis contingit, pro soli natura, coeliq; positura, & haec ipsa quoq; pro corporis cõstitutione, humorũq; fermentatione non raro, ut uarient, usu uenit, psaepe ẽt pro istitutiõe, ac doctrina. Inest enĩ alijs tarditas quaedã ad sentiendũ, alijs celeritas, acumen alijs, alijs hebetudo, hi ab ipsis statim incunabulis male instituti sunt, illi recte, ac composite. Itaq; ꝗ de canibus proprie dicitur, nõ nulli à natura sagaces sunt, & cati, q̃dam obtorpidi, quemadmodum alij iucundi, tristes alij. Quocirca et sagaces & solertes, & astuti, callidiq;, & uafri, & uersuti, ueterato

resq́; magis à natura sunt, q̃ ab institutione, aut usu, quanq̃ et hi ab assuetudine uires maiores accipiunt, utq́; urticæ in solo pingui et stercorato ualidiores efficiuntur. Quamobrem nec solertiam, nec sagacitatem, multo minus astutiã, calliditatemq́;, quæ ad fraudẽ declinant prudentiam esse uolumus, aut eius ancillas, ac sumministras, quamuis si solertia, si sagacitas, si celeritas illa mentis, si tarditas ratione fuerint, atq; inter agendum modo, mensuraq́; temperatæ, prudentiæ à famulatu uideantur nullo modo repellẽdæ. Solertia enim illa naturalis, efficitur actionum diligens administra, & cauta, Tarditas ipsa in cunctationem, celeritas in maturitatem uertitur, sagacitas in prouidentiam, ac bonam illam & maxime paratam ad præsentiendum, beneq; consulendum promptitudinem. Cultus enim, ut in colendis segetibus expurgat solum, & hinc ad ubertatem concinnat agrum, illinc luxuriem compescit, sic in dirigendis actionibus, susceptisq́; negotijs, usus, ratio, obseruatioq́; id præstant, ut quæ à natura inesse uideantur, ea et compescant, & corrigant, & componant, & ad maturitatem, fructumq́; perducant. Est enim solertia innata quædam uis, qua solertes qui dicuntur, natura ab ipsa sic instituti sunt, ut cum administrationes ad ipsas, atq; ad rem peruentum sit, perinde se habeãt, gerantq;, ut qui ipsis in actionibus diutius uersati uideantur, cum econtrario inertes natura ab ipsa male instituti appareant, ac parum omnino gerendas ad res apti. Sagacitas uero cum & ipsa innata quædam uis sit ad præsentiendum, id præstat, ut sagaces qui habentur, eorum in susceptis negotijs, ipsisq́; in consultationibus, ac deliberandis rebus, & ueloces, & catæ & maxime etiam promptæ sint agitationes, & tanquam ipsi augurentur, præsentiscere etiam uideantur. Quodq́; catulorum est, paulo ut ante diximus, perinde ut illi naribus, ingenita ab facultate, sic ipsi et præsentiant, et prædicant quasi diuinentur futura, quæq́; in causis, de quibus agitur, obuentura sint. Vnde ijdem ipsi & Cati sunt dicti, & ab eadam hac ui præsensiones quædam mentis, Præsagia dicta sunt, Præsagi animi, & Præsagio deductum uerbũ, quo quidẽ ipso, in malis præsertim præsentiẽdis scriptores frequentissime utuntur Comici. At solertia inter agendum uim magis ostendit suã, cũ sagacitas in iudicando, ac præsentiẽdo tantum appareat. Quocirca hoc etiam differt à prudentia, quod ea ipsa prudentia, uitæ quidem institutionem habet, estq́; munus eius docere, præcipere, dirigere, & quid seu sequendũ sit, seu contra fugiẽdum, ostendere, perinde, ac uel utile quippiam duxerit, uel inutile. Cum sagacitas promptitudine tantum contenta sit sua et ad ferendum

iudicium, & ad præsentiendum. Quid autem sit Sagire, unde Sagacitas dicta, plane quidẽ intellegitis. Est enim probe præsagire, quasi probe præsentire, & quæ præsentiat, iudicio comprobare. Quale illud Ouidij Poëtæ.

" Prima malum nutrix animo præsensit anili.
" Prima mihi nutrix Aeoli dixit, amas.

" Nec uero hac in parte, non et Cicero audiendus est inquiens. Sagi-
" re enim sentire acute est, ex quo Sagæ anus, quia multa scire uolũt,
" & sagaces dicti canes. Igitur qui ante sagit, quàm oblata res est, dicitur præsagire, idest futura ante sentire. Inest igitur in animis præsagatio. Commune tamen hoc inter se habent, quod utraq; in ijs uertitur, quæ in consultationem cadunt, indigent'q; consilio. Ac nihilo minus sagaces (nesciam tamen quomodo) & habentur, & dicuntur prudentes, perinde, ut qui rerum cognitioni, ac scientiæ dant operá, quod facile à præceptoribus discant, & sapere dicuntur et scire, dum bene discunt, dum quæ à præceptoribus, institutoribus'q; tradita habent. atq; ex illorum hausta fontibus, recte illis uti uidentur, probeq; ea reddere. Quod si qua decet circunspectione, quæ nobis à natura insunt intuebimur, nimirũ inueniemus in natura qdẽ ipsa, fundamẽta actionum nostrarũ esse posita, cæterũ laudem earũ omnem in usu consistere, & qui plurima expertus fuerit, plurimam cum laudem prudentiæ ferre. Qua è re non dubitauit Aristoteles dicere, oculũ esse prudentiæ experientiam, nec minus inhærendum esse eorum, qui in actionibus cum laude consenuerint, probatis sententijs, dictis'q;, q̃ illorum demonstrationibus, qui procul ab actionibus uixere, ciuilibus'q; negotijs, remoti à rerũ usu. Nanq; ut à natura sapiens est nemo, tametsi & sagaces, & solertes exsistunt quamplurimi, sic nullus etiam natura ab ipsa prudens, quando is habitus exercitatione comparatur, rerumq; humanarum usu. Quo fit ut prudentiæ laus omnis in senibus consistat quammaxime exercitatis. Quæ res indicat intellegentiam cum ætate simul proficere, hoc est diuturnitate, & usu. Atq; ut itellegentia ipsa, mens'q;, mentis'q; ipsius ratiocinatio principium est & causa actionum quarumcunq; nostrarum, sic etiam finis eadem est, atq; comprobatio. Quæ'q; fructuum in arboribus est maturitas, ea in senibus quam exercitatissimis prudentia est, agendi'q; absoluta maximeq; spectata perfectio. Nam pueritiæ flores quasi quidam sunt, et in adolescentia cruda, et acerba omnia cuius usus sunt nulli, & affectiones ipsæ male temperatæ, atq; ob dolorẽ, aut uoluptatem plerũq; præcipites, aut nimiũ omnino remissæ. Itaq; adolescen

tia docta quidem esse potest, ac multarum etiam literarũ gnara, quippe cum adolescentulorum ingenium & ferueat, et laudum flagret cupiditate, ac literæ ipsæ, doctrinæq; ingenio tantum cõparentur, At prudentia solũ usu, qui in illis est nullus, & annis, q in iuuenibus q= dem florent, minime uero in ijs maturescunt. Commendat ab ætate quoq; eloquentiam Cicero inquiens, cum oratio nostra iam canesceret, quam in ætate illa iuuenili exuberantiorẽ fuisse quandoq;, senex ipse iam intellegebat. Pensitatio enim ipsa rerum, quæ iudicium dirigit, quæ consulendi gignit rectitudinem, senum, atq; experientium hominum est propria. Optimum itaq; in pueris, atq; adolescentibus futuræ prudentiæ signum, si senum ipsi uestigijs inhæreant, consilijsq; innitantur, atq; in illorum admonitionibus conquiescant.

Prudentiam cum bonitate coniunctam esse.

Quemadmodum autem semina illa naturalia, de quibus iam diximus, ad fructum, ac frugem usu exercitationeq; perueniunt nostra, contraq; natura inuita incassum nitimur, uaniq; omnino conatus sunt hominum, sic absq; probitate, ac bonitate nulla est ad prudentiam cæterasq; uirtutes profectio. Nam si uirtutes habitus sunt, aut secundum rectam rationem, aut non absq; illa, prauitatiq; ac malignitati insitum est delabi à recto, atq; in obliquum suapte natura ferri, ac deflectere, uir prauus, ac mali studiosus uirtutem assequi nullo modo potest, cuius rectus est omnino cursus, isq; recta cum ratione dirigendus. Itaq; ut quas à moribus agnominamus uirtutes, eæ exsistere, absq; naturæ beneficio, ac uiribus nequeunt (licet enim uis illa à natura insita, uirtus minime sit moralis, tamẽ sine ea exsistere uirtus nequit) Sic neq; uirtutes absq; prudentia, quæ recta quidem ratio est, non tamen ut una quæq; uirtus recta sit ratio, sed quod ipsæ sine rectæ rationis esse nequeant beneficio, et munere. Quo fit ut uirtus nulla sine prudẽtia sit, ipsaq; prudẽtia absq; probitate, integritate, bonitate nullo modo esse possit, nec prudẽs aliquis nisi maxime integer, ac bonus. Erũt igitur et prudẽtissimi qq; maxime boni, et uirtutes ipsæ morales cunctæ à prudentia tanquã duce directæ, quippe quæ et lumẽ cæteris præferat, & uiam præmonstret, qua sit proficiscendum. Secus enim quod cæcis idem continget ut uehementissime offendentibus pedibus è uestigio labantur, corruãt. Nam et belluæ inde dictæ sunt Feræ, quod absq; lumine, idest sine intellegentia ferantur, et mente. Et pueri propterea prudẽtes esse nequeãt, qđ usum rationis, ac mẽtis in

Feræ unde dictæ

ea ætate aut omnino nullum habeant, aut perquam exiguum. Erũt igitur uiri prudentes, ijdem et boni, Eritq; actionum nostrarum directrix prudentia, & cum morales uirtutes sint eius egentes, ipsa uero rationis eget duntaxat unius. Deniq; quamuis moralis ipsa uirtus non sit, uirtutes tamen morales absq; ea esse minime possunt. Recta autem ratio ex eo dicta, quod cum uirtus bonum sit, & quod adipiscendum suscipimus, bonum quoq; esse ducamus, necesse est ut bene etiam agendo ad illud contendamus. Bene autem agere boni est uiri, Recta itaq; ratio inde agnominata, quod ut uirtute digna (uirtus enĩ præcipuum quoddam bonum est) ut uiro etiam bono (quis enim nisi bonus uir uerã ad felicitatem contendit?) recto ad illam nos deducat itinere, nec in dextrum aut sinistrum declinantes latus, deflectere ad uitia patitur, quod iter mali utiq; uiri sequũtur. Atq; in ipso quoq; mali, ac uitiorum genere peruersi homines ratione etiam uti solent ut fures, prædones, sicarij. Verum hæc ipsa ratio prauitate infecta est, turpibusq;, ac facinorosis fœdatur ministerijs. Cum autem uirtus circa honesta uersetur, & iusta, quæ quidem agere boni tantum est uiri, ipsum rectæ rationis nomen, & iustarum et honestarum nos admonet actionum, efficiturq́;, ut recta ratio, et bonũ uirum, et iustas, atq; honestas præ se ferat actiones, et ad mediũ ipsum nos dirigat, à quo qui deflectat, in obliquũ rapiatur, ad turpiaq́;, atq; flagitiosa. Non modo autem prudentia uirtutes ipsas, laudabilesq́; hominũ actiones condit, et tanquam concinnat, sed quæ maxima eius commendatio est, id præstat, atq; efficit, ut qui cum ipsi prudentes per se ut sint, natura repugnante assequi nequeant, prudentes tamen habeantur ex eo quod sapientium, ac prudentium uirorum consilijs obtemperant, in illorumq́; admonitionibus conquiescunt.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE PRVDENTIA LIBER QVARTVS.

LVDOVICVM SFORTIAM, Qui pubeſcentem primo, dein adoleſcentem iã ætatem Ioannis Galeatij fratris filij, Mediolanenſis Ducas procuratione hactenus, ac patrocinio tutatus eſt ſuo, ueneno illum è medio ſuſtuliſſe, ciues, aduenæ, peregrini, paſſim, atq; impune omnes prædicant, neq; eſt qui hominis impietatem tantam non quouis etiam maledicentiæ genere, indignanterq; & inſectetur, & damnet, facinus uidelicet inauditum, miſerabile, & Chriſtiano potiſſimum in homine abominandum, atq; eo quidem præcipue in homine, qui habenas moderationis totius ſuis ipſe haberet in manibus, cunctaq; in eius unius poteſtate ac uoluntate collocata conquieſcerent. Ipſeq; cum primis adoleſcens in patrui nutum perinde, ac parentis eſſet intentus, ignoraretq; omnino ab illius uoluntate deflectere, ac conſilijs, nec ab inſtitutis eius auderet ullo modo recedere. Hic pater, hic rector, hic rei omnis, principatusq; uniuerſi temperator erat, atq; adminiſtrator, idem pro uoluntate, ſuaq; è ſententia cuncta moderabatur. Tantum nos facinus o' uiri optimi, ſcelusq; tantopere deteſtandum inuiti hoc in conſeſſu præſertim referremus, ne aut Franciſci patris clariſſimi uiri, ducisq; fortiſſimi memoriam labe hac inficeremus, aut Hippolytæ ſororis, cuius nomini & propter uirtutum eius celebritatem, & propter Alphonſi matrimonium, nihil eſt, quod non ipſi debere fateamur. Sed fora, porticus, plateæ, circuliq; infimorum cuiuſq; generis hominum, nefandi criminis accuſationibus (quid accuſationibus dicam?) imprecationibus etiam maxime diris plena, undiq; circum` conſonant. Ego uero Triſtane, ac Franciſce perditiſſimũ hoc, maximeq; ſceleratum Ludouici conſilium non tam accuſo, deteſtorq;, quàm teterrimam miſeror improbitatem, et quo` facinus tandem ipſum aliquando proruptum ſit, quo'ue impulſurum ſumme impurum patruũ, omniq; è parte contaminatum hominem animo mecum uoluo, futuramq; eius doleo conditionem, ac ſortem, ut maxime miſerabilem. Ac præſentium quidem malorũ, quæq; mente ipſe circunſpecto, & tanq̃ auguror futurorũ, quã nam aliam rear eſſe cauſam, q̃ ambitionem? infelicem in quam ambitionem, et principatus cupiditatem adeo infrenem, et per-

ditam? Cum præsertim ille ipse principatus, in manu Ludouici ipsi= us perinde, ut antea, sic esset de cætero permansurus, in illius'q; con= quieturus consilijs, ac temperationibus, si rationi quidem obtempera re, quàm rapi ab libidine maluisset. A` recto igitur cursu distractus, impulsus'q; ad extrema Ludouicus, atq; abrupta, quo` tandem im impetus ipse præcipitaturus sit illum, eius ipsius (ut mens quidem præ sagit mea) hostes uel breui quidem sunt risuri, Italia certe uniuersa iure est admodum dolitura. Quid enim uiolentum, quod non idem cito ruiturum? Cum rationis proprium sit, donec ad rectum redeat, nunquam conquiescere, quando et equi abruptis frenis tandiu discur sant, rapiuntur'q; licentia, & impetu, donec capti, compressi'q; à ma= gistris, capistro innodētur ad palum, illigentur'q; præsepijs. Cum au tem ambitionis ipsius, omnis'q; inordinatæ uolūtatis correctrix sit ac temperatrix, prudentia, Ludouici hoc immane magis, q̄ nefarium fa ctum eo uehementius nos hortatur, de prudentia ut prosequamur. Nam quo scelus ipsum est atrocius, detestabilius'q;, eo libētius ad ea præcipienda nos instituimus, quæ rationem contineant, ac formulā uoluntatum moderandarum. Peccatum enim omne aut à neglecta, aut contempta, despecta'q;, aut ignorata ab ratione proficiscitur, atq; à uoluntate male prorsus, impudenter'q; temperata. Cū præsertim sceleris magnitudine, facti'q; atrocitate commotos uos ipsos intellegā, atq; ad audiendum etiam auidiores factos. Itaq; qua attentione au dire parati estis dicentem, ijsdem satis ut ipse faciam, non dissimili di cendi contentione conabor, ad id'q; accinctus assisto.

Treis esse prudentiæ species.

q VAE IGITVR Prudentia sit, quod'q; eius officium, qui item prudentes et quales, quæ'q; etiā recta ratio, iam uidetis. Restat autem quærēdum, una'ne tantum, ac simplex prudentia sit, an plu- res fortasse eius species. Cum autem res ipsæ in q bus prudentia sese exercet, aliæ sint publicæ, aliæ priuatæ, utilita- tes ipsæ, commoda'q; quorum curam gerit prudentia, hanc eandē se= quentur diuisionem. Itaq; prudenteis dicemus alios, quod rem qui- dem suam utiliter, ac prudenter tueantur, compendijs'q; suis bene con sulant, & hæc quidem prudentiæ species à domus cura, domestica nominabitur, rei'q; à` familiaris studio. Alios uero quod rem publi- cam, ciuilia'q; procurent negotia, summa etiam cum industria, com-

munisq; boni curam habeant, ciuilis prudentiæ titulo exornabimus, quæ cura quod ciuitatis uniuersæ commoditatibus, ac bonis intenta est, ciuilis non immerito uocabitur. Verum & temporibus suis Cato Porcius, & complures alij in utroq; prudentiæ genere claruerũt, ut & optimi ijdem sanatores, & patres familiarum sint habiti, à prudentia uidelicet rerum publicæ, priuatimq; administrandarum. Nec uero ab hac ciuilis prudentiæ laude, bellorum administratores, ducesq; exercituum excludendi uidentur, quam si militarem appellauerimus, uerendum est, ne suo etiã titulo defraudemus classium præfectos, ducesq; maritimi belli. Verum ut una domestica est prudentia, etsi non una est familiaris rei procuratio, sic unam etiam esse uolumus ciuilem prudentiam, licet ea cura sit & ipsa multiplex, ac latius uagetur. Quodq; inuenti etiam sunt, qui uitam ipsam, cogitationesq; suas omneis in instituendis ciuitatibus, populisq; gubernandis et contulerint, & consumpserint, summa cum patriæ charitate, ciuiumq; uniuersorum. Qualis Solon, Lycurgus, Pompilius, hiq; à statuendis legibus, legum sunt latores appellati, alij etiam qui legum ipsarum, iuriumq; municipalium maxime fuerint studiosi, summamq; earum cognitionem, ac peritiam habuerint, unde à maioribus nostris, tum iuris periti, tum prudentes sunt dicti, hinc efficitur ut tertium quoddam prudentiæ genus adiũgendum sit, eaq; prudentia legalis uocanda, Cuiusmodi fuisse traditum est Scæuolã, Vlpianum, Paulum, quorum etiam similes in bene constitutis urbibus, ac populis, singulis seculis & singuli reperiuntur, & plures, quos hodie peruulgate quidem sapientes uocant, & quorum responsa, ac sententias, sapientium esse dicant. Erit igitur triplex omnino prudentiæ genus. In eorum autem quoq; qui claruerint genere, idem erit omnium officium, ut boni sint uiri, ut honesta sequantur, ac iusta, ut recta ratione duce et priuatas, & publicas administrent res, ac publice, priuatimq; utiliter, ac bene consulant. Nam membratim uelle, de toto ipso corpore disserere, neq; id uos à me exigitis, & laboris esset prorsus infiniti. Cũ præsertim de singulis etiam uirtutibus dicendum esset, quarum omnium prudentia dux est, ac magistra. Quocirca his explicatis, ad alia, quæ dictionis hodiernæ uidentur propria, transeamus.

De consyderatione.

Hæc igitur ipsa, quæ sint, & qualia iam uidetis. Hinc uero quæ tanq̃ administræ prudentiã sequantur, quæq; uirtutes sint eius comites si-

gillatim explicabo. Quo forma ipsa ꝓspectis quasi corporis totius mẽbris, ac partibus, conspectior appareat, speciesq; eius cernentibus magis sit exposita. Itaq; mentis hominũ propria cum sit cogitatio, qua e re sæpenumero Cicero cogitationem mentem ipsam appellat, prima quidem prudentiæ uis, & quædam quasi comes offertur Consyderatio, quæ à præstantissima utiq; re, hoc est à syderum contemplatione nomen duxit, tralatum inde ad res item alias, actionesq; ad ipsas hominum contemplandas. Est autem consyderatio persistens quædam animi pensio, assiduaq; cogitatio rebus in ijs, quas mens ipsa sibi perpendendas, atq; animaduertendas proposuit, Nam cum sint à sidendo hoc est perstando ut Stellæ à stando dicta Sydera, ut Martianus probatissimus author tradit, consyderatio ipsa & assiduam & persistentem præsefert & à nomine & à re ipsa cogitationem. Quo'circa ab electione quidem ipsa ad finem usq; constantissime officium præstat suum, singulas non res modo, negotiaq;, uerum loca, tempora, personas, fortunam, casus repentina etiam quæq; perpendens, nihil incogitatum relinquens, aut inanimaduersum, quod in re esse ducat, nullo etiam modo commissura, ut dicendum sit, quod inconsyderatorum est hominum, non putauerã, quo uitio qui laborãt, merito inconsyderati dicuntur. Præstant igitur huiusmodi officiũ, implentq; prudentiæ munus hoc præstantissimi duces, administratoresq; bellorũ, q̃ nec in ducendo exercitu, nec in mouendis, aut ponendis castris, ijsq; uallo & fossa muniendis, nec in explorandis hostium itineribus, aut consilijs, nec in eligendis locis, ac temporibus, ad res gerendas, in dirigenda'ue acie, aut in metiẽdis casibus, nullo deniq; imperatorio in munere, aut imprudentiæ fraudi'ue, aut fortunæ locum non antea consyderatum relinquunt. Hæc enim ipsa uirtus pericula dũ consyderat, uallũ excogitauit, ac fossam, hæc exploratores, uigilias, signa, speculatores, nec solũ cauendi artes adinuenit, uerũ etiam suo tẽpore, suis locis, et commodis hostẽ adoriũdi. Qui igitur agendis atq; administrãdis rebus cõsyderationẽ ubiq;, atq;, ut par est, suã adhibẽt, hi sunt, quos consyderatos nõ modo iure suo dicimus, uerũ ẽt admiramur, quosq; labi, errare, decipi posse uix ullo modo existimemus.

De Prouidentia.

Prospicientiæ munus quæ alio, ac maxime noto est nõie prouidentia, in aduersis, prosperisq; æque uersatur rebus, commodis etiam, atq; incommodis prospectandis, ijsq; etiam prouidendis. Atq; ut auertendis dãnis, sic etiam inuitandis compendijs. Nõ solum enim diuersissimas res acutissime dispicit, uerũ etiam et consulit, et consilio addit operã.

Quæ autem

Quæ autem sit eius opera, & quæ uis, agriculturæ studium cum primis declarare nobis potest. Prudens enim ac probatus agricola iacto statim semine, fila suspendit paxillis quasi irretiens sata, quo auiculas deterreat à pastu. Nam & auium noxiam uim anteuidet, & quibus eam artibus propellat, confestim prouidet. Idem pecudes quo arceat à pauperie, sepem satis intendit, quod nomen à sapiendo, hoc est prouidendo deductum est, quod sepire agros & uineas sit datum sapientiæ, rei rusticæ studiosis. Quoq; imbres ab obducendis lacunis prohibeat, fossas ducat, atq; emissaria, nunc manu, nũc rastris nocuas euellit herbas, nihil deniq; quod nocere possit, non antecernit, nihil omittit, quod collaturum aliqua ratione intellegat. Itaq; uirtutis huius munus est, ac laus cum prospiciendo ante aggrediendam rem, tum remedia adhibendo, ne aut consilio ulla sibi è parte desit, aut opera. Atq; hi quidem sunt, quos appellare prouidos solemus, ac prospicientes. Tanta autem prouidentiæ admiratio est, & quædam quasi maiestas, ut non regibus modo, populorumq; rectoribus attribuenda iudicetur, uerum Dijs quoq; immortalibus. Differt autem à consyderatione, quod illa in animi pendẽdis potissimum rebus uersatur, hæc prouidendis potius, et consilio, ac re iuuandis. Ad hæc illius peculiarior est ꝑpensio, atq; excogitatio, huius prouisio, et opera.

De Apparatione, & Meditatione.

Omnino post electionem ante quàm rem ipsam aggredimur, pro rei suscipiendæ materia, ac natura, faciendus est confestim apparatus. Cũ sit turpissimum, imparatum accedere ad agendum. Quo è uitio declaratur aggredientem ipsum aut nullam aut perexiguam ante curam, cogitationemq; adhibuisse. Cumq; electio, susceptaq; futuris de rebus sit actio, nihil illum aut de futuro cogitasse, aut de necessarijs, atq; opportunis fuisse aliquo modo solicitum. Perinde igitur, ut qui domum ædificandam decreuit, calcem, cæmenta, materiamq; aliã prius quàm fundamenta iaciat, sibi apparat, Sic prudens elector paratus accedet ad agendum. Est enim non dedecorosum modo, uerum etiã periculosum, imparatum offendi, nihilq; ante præmeditatum. Qualis uero futurus esse debeat apparatus suscepti negotij, natura eius, ratioq; monstrabit. Refert Cicero Galbam Oratorem consuesse prius quàm ad agendam proficisceretur causam, solum eum in cubiculo multa, diuq; agitare solitum. Nam quantopere paratus Cicero ipse ad dicendum accesserit, quàm multa etiam meditatus, scripta eius mani

festo docent. In expeditionem profecturi, arma, tela, machinas, commeatum, cæteráq; id genus omnia summa sibi diligentia comparant. Cæterum nomen ipsum uirtutis huius, atq; habitus parum adhuc quod meminerim proditum est, ni uoluerimus nouitio quasi nomine uocare Apparationem, ut Apparatus sit rerum, Apparatio animi, qua qui ornati sunt, parati, qui ea destituti, imparati à rerum uocantur scriptoribus. Quid si Meditationem uocauerimus? Sed tamen differre aliquantum inter se uidentur, quod meditatio prius ad agendũ instruit, altera uero apparat necessaria. Nam qui ante quàm ad certamen accedit, exercet sese in armis, instruitq; ad pugnam, is meditari dicitur. at qui arma, tela, equos comparat, apparatum facere. Vtraq; autem necessaria est prudenti, utraq; plurimum secum affert adiumenti ad res prudenter administrandas. Potest tamen non paucis in negotijs, usus, exercitatio, habitus ipse deniq; nulla prius apparatione, aut meditatione adhibita satisfacere. Extemporalitas sed ipsa omni est studio fugienda, quippe quæ & turbare ingenium, & stuporem afferre, ac rebus ipsis confusionẽ, est solita. Nihil enim tantopere aut exercitum deterret, aut imperatorem ipsum confundit, quàm ad repentinum atq; improuisum hostium aggressum, imparatum offendi. Huius autem ipsius uirtutis quæ sint partes, ac munera, ante rerum quidem, negotiorumq; aggressiones, ipsæ ferè sese ostendunt.

De Perspicacitate.

Vtranq; uero & consyderationem & prouidentiam comitatur uirtus etiam illa, quæ à perspiciendi acumine uocata est perspicacitas, & qui ea sunt præditi perspicaces dicti. Cuius principia quidem cum sint in natura collocata (ingenij enim siue dotes, siue damna natura ab ipsa proueniunt) diuturnior tamen consyderatio, atq; perspicientia illam perficit. Huius autem uirtutis est proprium ad abdita penetrare, atq; occulta, qua è penetratione, & consilia inter agendum capiuntur certiora, et quæ sit rectæ rationis, apertius uia cernitur. Perspicax nãq; Ciceronis ingenium, atq; cogitatio acumine suo, summáq; peruestigatione, maxime occulta Catilinæ consilia, intestinosq; in nobilitatem, ac rem publicam apparatus detexit, qua è detectione, & inceptis illius prouidenter ijt obuiam, & rempublicam saluam fecit cum patrum, ac bonorum omnium incolumitate, ac salute.

De Circunſpectione.

His adiuncta eſt etiam circunſpectio, ex eo dicta, quod & ante agendum, et in medijs quoq; actionibus omni e' parte circunſpiciat, metiturq́; ſingula. Circunſpectorum enim propriũ eſt hominum metiri res, actiones'q;, et quid ſeruandum, quid fugiendũ, quid prodeſſe, quid obeſſe, quid commodi exoriri poſſit, uel incommodi, circunſpicere quid ſiue conſulto, ſiue ex inopinato contingere. Quaq; enim circũm, ac tanquam eminenti in ſpecula circunſpectus uir poſitus, & metitur cuncta, & procul aſpiciat, ſe'q; illis uel accommodat, uel aduerſum ire, aut obſequi inſtituit.

De Cunctatione, & Celeritate.

Hominum autem res omnes, rerumq́; ipſarum adminiſtrationes fiunt in tempore, & ſuo quidem tempore. Cum tempus ſit ipſum rerum gerendarum non magiſter ſolum, uerum etiam adminiſter. Quo'circa ſuſceptis negotijs permulti agendi celeritatem adhibent, non pauca tarditatem, quæ tamen uacua ſit pigritia. Eaq; ſuo nomine eſt cunctatio, In qua ut excelluiſſe iudicatus eſt Q. Fabius, ſic in illa Iulius Cæſar, quem poſtea rerum geſtarum magnitudo inter diuos retulit. Sunt etiam qui occaſionem ipſam inter agendum & exſpectent, & obſeruent, neq; punctum, ut dicunt, temporis elabi patiantur, qn etiam occaſiones ipſas ſummo ſtudio, atq; arte prouocant. Cuiuſmodi agnoſcitur fuiſſe Annibal, qui intentus ad ſingula, ne minimas quidem occaſiones fruſtra labi paſſus eſt unquam. Atq; ut priores illi tũ celeratores dicuntur tum feſtinatores, & habitus ipſe tum celeritas, tum feſtinatio eſt ſuo nomine, Poſteriores autem cunctatores, & habitus ipſe cunctatio; ſic hi non improprie intenti uocari poſſunt, nec minus fortaſſe impigri. Quamuis neutra appellatio rem ipſam meo iudicio ſatis impleat, ne ſi obſeruatores quidem uocauerimus, habitus autem omnino eſt ignominis, caretq́; uocabulo. Obſeruabat Annibal mores Conſulum Romanorum, qualitates itinerum, ac temporum, rerum ſeu inopiam, ſeu copiam, regiones, ſitum, loca, & tanquam in ſpecula conſtitutus, motus ſingulos proſpectabat, nonnunquam etiam prouocabat, ut qui ſaxo canes, aut commotis irritant flagellis. Contra Fabius ſedendo, ac cunctando omnem illi conſerendæ manus opportunitatem adimebat, iudicabat enim durando, ac terendo tempus, fruſtrandos dolos eius, atq; artes. Cæſar uero non modo

tempori, occasionibusq́; non deerat, sed & tempus, et occasiones ipsas ingenio simul, operáq; sibi præstruebat, ut non tam non deesset ipse tempori, quàm tempus sibi accommodaret, uel in sua potius iura, ac potestatem traduceret. Qua diligentia non modo opportunitates sibi pariebat, sed (quod maius est) aduersarijs & consilia præripiebat, & facultates. Fuit non minus ad omnia intentus Scipio, idem temporum obseruator, præoccupatorq́; occasionum, ac præreptor, ubiq; cautus, ubiq; perspicax. Qui tamen neq; cunctator dici possit, neq; præproperus, nunquam uero non paratus ipse, ac siue ad auertendum, siue ad fugandum hostem instructus, & sobrius. Qui igitur, et quales sint intenti, impigriq́;, qui item conctatores, rursus qui celeres, atq; festinantes, iam uidetis. Quæ res igitur, actionesq́;, uirtutes has constituant, eorum, de quibus diximus ducum, mores, artes, gesta uobis indicare apertius, quàm ulla mea descriptio poterunt. Obseruatio profecto in omni non solum uitæ, artiumq́;, uerum etiam disciplinarũ genere optima est nunc magistra, nunc consiliaria, atq; admonitrix, tera, mariq;, maioribus, minoribusq́; gerendis rebus. Ea enim peritiam comitatur, atq; experientiam, agendo enim atq; obseruando, periti euadimus; atq; experti. Administrandis autem negotijs, ac gerendis rebus perficitur ingenium, honestatur uis illa cœlitus nobis indita, clarescit animi uigor, atq; diuinitas, mensq́; simul ipsa, qua & contemplando cœlitum ac naturæ res, & excellenter supraq; opinionem agendo hominum, dijs ipsis cognitione, officijsq́; similes permulti iudicati sunt & habiti. Verum de peritis, ijsq́; qui ab antiquis experientes dicti sunt, haud multo post uberius. Quando & actiua, & ciuilis sapientia ferè omnis usu ab ipso exsistit atq; ab experientia.

De Cautis.

His accedunt qui proprio nomine Cauti dicuntur, quorum duplex habenda est ratio. Eorum una, qui tantum id uident, ne à recto delabantur, ipsi de uia digressi. Illorum altera, qui id maxime curant, ab alijs ne decipiantur. Vtrunq; autem prudentis est proprium. Cõtra uero non in utroq; modo, uerum in altero qui peccauerit, merito ut incautus & accusatur, & despicitur. Cautorum est igitur, non labi, non errare, non decipi, non haberi frustra, nolle contemni, nullo modo rideri. Itaq; in omnem uitæ partem, & necessaria est cauendi ratio, & iure suo ab omnibus laudatur. Quæ res effecit, uti apud maiores nostros dolus duplex haberetur, & bonus, qui fraudem, ma

lasq; artes

lasq; artes repelleret, & malus, per quem ad iniquá captiosáq; qui peruerso sunt ingenio, impellerentur. Priorq; ille prudentiæ comes est, sequiturq; iustitiam, posterior hic fraudis satelles, malarũq; inter ciues, ac peregrinos artiũ, in emendisq;, atq; uẽdẽdis, mutandis item, atq; administrandis rebus tum suasor turpis, tum author nefarius. Itaq; huiusmodi artibus instructi, ut subdoli, fallacesq;, generi hominum maxime habentur incommodi, Quippe qui ad suas tantum utilitates omnia referãt, nec summa sine improbitate, ac turpitudine.

De Versatilitate.

Quoniam autem paulo ante temporis mentionem fecimus, neq; res ipsæ modo, uerum etiam tempora maximam secum uarietatem afferre solent, hac è commutatione efficitur, ut nonnunquam in medijs actionibus, susceptisq; in negotijs mutanda sit administrandi ratio. Cuius ipsius propriũ quidẽ est mutare pro tempore propositum, aliamq; ingredi semitam, ac diuersum oĩno iter insistere, & aliud atq; aliud agendi, administrandiq; genus seq, qđ uel temporis, uel rei ipsius natura sic ferat, aut quod mutati etiam sint illorũ animi, quibus cum antea negotium administrabamus, uel illi ipsi sint alij, qui parte ex altera negotium denuo susceperunt. Quo'circa prudentis est ad omnem se se agendi rationem tum flectere, tum mutare, nouamq; pro rebus, locis, temporibus, proq; ijs quibuscum agendum est, personam induere. Quem nos siue habitum, siue uirtutem non satis profecto usitate, forte non tamen improprie, minimeq; indecenter appellabimus uersatilitatem, & eiusmodi habitu indutos uersatiles. Quam ad rem plurimum etiam confert natura cuiusq; atq; ingenium. Itaq; Vlysses ad diuersas se se facile accommodabat personas. At Cato nunquam à sua illa discessisset, seueritati, atq; constantiæ ubiq; addictus, perpetuoq; cuidã administrandis rebus, ferendisq; sententijs tenori. Oportet igitur quem prudentem esse uolumus, quoties res, ac casus ipse tulerit, sine leuitate, sineq; dolo malo, mutare eum agendi rationem, taliq; cum pensitatione, ac modestia, ut nec leuitatis det suspicionem aliquam, nec omnino fraudis. Est enim prudentis, ac maxime probati ciuis, ab omni improbitatis, ac uitij suspicione longius recedere. » Vtere me, inquit apud Plautum uersutulus et nequam ille » pro rota figulari. Atqui prudentissimus quisq; pro re ac tempore uersatilis est, ut dixi, non tamen ut ab iusto deflectat, atq; honesti semita. Ac mihi quidem uidetur cautus, atq; exercitatus rerum admini

strator id præstiturus, quod optimus quisq;, atq; artificiosissimus Poë ta, qui ad quācunq; diuertit materiam, siue seueram, & grandem, siue iocosam, atq; humilem, siue tristem, ac lamentabilem, siue iucundā ac festiuam, mutatis tum numeris, tum uocibus ad illam sese instituit, & cum ubiq; dicendi genus mutet, ubique tamen idem ipse est. Nam nec à decoro discedit materiæ ipsius, neque personæ obliuiscitur, quam subinde suscipit. Figularis uero illa rota sic uersanda est ut artifici seruiat, non fortuito quidem, sed cum ratione, consilioq;, atq; etiam ex arte. Hunc ipsum uero habitum diuturnior usus, rerumq; plurimarum administratio, longa ex actionum continuatione per gradus quasi quosdam adducat.

De Versutia.

Versatilitati quoq; huic affinis est, ac maxime cognata Versutia, inde dicta, quod plurima secum ipsa uerset, nec idem sentiat animo, quod uerbis, aut uultu innuat, quin et cælat, et infirmat sententiam, et interpretatur sua dicta, uariatq; propositum, nec tam non constat sibi quàm delectatur fraude, ac captionibus, unde etiā uersipelles dicti. Quæ igitur uersutorum sint artes, mores, ingenia, Comici docent serui, quiq; mercatores inducuntur in comœdijs. Atq; hæc quidem naturæ primum siue applicatio, siue procliuitas, habilitas est ingenij quædam, quæ ex usu post, exercitationeq; habitum constituit, plerunq; autem proclinat, uergitq; in dolum, fraudem, calumniam. Itaq; uersutorum hominum uerba sunt dubia, nulloq; modo simplicia, promissa parum fidelia, fucata persona, solertia malitiosa, sermo anceps, captiosa oratio, consilia haudquaquam recta, fictæ admonitiones, demū in insidias, deceptionem, illusionesq; omnino spectant, quibuscum parum utiq; tutæ sunt consuetudines, atq; commertia. Non solum autem hoc differt uersutus ab eo, quem uersatilem uocari uolumus, quod fallax, dolosus, ueterator, malitiæ omnis artifex, sed quod uersatilis tantum studet curatq;, ut norit, intellegat, sciat, usu etiam ipso comprobet, quid in quaq; rei, ac temporis mutatione sequendum, et quē se gerere ubiq;, ac pro suscepto denuo negotio debeat, Ille uero ut decipiat, illudat, capiat, ac sub cauti, prudētisq; persona, calleat. Et uersatilis quidē uiri laudatur agilitas, quæq; etiā dexteritas suo est noīe, uersuti uero timetur duplicitas. Ille agēdi modū, ac rationē mutat, quo melius rē gerat, administretq; negotiū cōmodius, hic sententiā inuertit, ut decipiat. Quid quod ille stat promissis, dictisq;,

hic omnia uertere suos in usus nititur. Atq; ut paucis colligam, uersatiles rationi se se student adiungere. Versutorum studium sequitur animorum libidines, habendiq; cupiditatem, quam ut impleant, mente, cogitationibusq; suis nihil non uersabunt. Proclinare autem in dolum malum, astusq; fallacissimos uersutorum consilia, Ciceronis uer-
» ba hæc indicant. Quiduis perpetiantur, cuiuis deseruiant, dum
» quod uelint consequantur, ut Sullam & M. Crassum uidebamus.
» Quo in genere uersutissimum et patientissimum Lysandrum accepi
» mus. Ait etiam in primis uersutum & callidum factum Solonis, qui quo & tutior eius uita esset, et plus aliquanto rei publicæ prodesset, furere se simulauit. Nimirum rei publicæ respectus Solonem excusat. Quod uero Cicero uidetur hac in parte laudare uelle uersutiam, nō deterrebimur tamen hoc eius dicto, quo minus asseueremus, cogitationes uersutorum, atq; consilia in id plerunq; intendere, ut fallant, ac per insidias & simulationes quod cupiunt assequantur. Quippe qui magis uersutia, & calliditate gaudeant se quippiam adeptos, quàm simplicitate, ac recta ratione. Nam & idem ipse Cicero
» ait, Qui uersutos homines & callidos admirantes, malitiam sapien
» tiam iudicant. alio item loco, Prudentia sine iustitia nihil ualet ad
» fidem faciendam. Quo enim quisq; uersutior, & callidior, hoc inui
» sior, et suspectior detracta opinione probitatis.

De Simulatione, & Dissimulatione,

Idem quoq; tempus, ac nūc prospera, nunc aduersa quæ accidunt, ipsæ quoq; rerū mutationes non raro ferunt, ut alibi simulandū sit, contra alibi dissimulandum. Qui mores bonis uiris omnino habendi sunt indigni. Nanq; in uirtute nihil fictum inesse debet, nihil simulatum. Tanta tamen interdum uis est fortunæ, casuum, rerūq; humanarum uarietatis, atq; inconstantiæ, ut pro loco, ac tempore, non modo simulare, aut dissimulare, uerum etiam fictionibus uti sit necessarium. Idq; maxime honestum existimetur, ac summa etiam commendatione dignū. nā & apud Virgiliū Aeneas spem uultu simulat, altum tamē corde dolorē premit. Ferunt Annibalē cognita repente Hasdrubalis fratris cæde, ac totius clade exercitus, composuisse uultum, risisseq; conditionem humanam, magis quàm ut dolorem præ se tulisse, aut animi consternationem uideri uellet, quo uidelicet militum ac ducum suorum animos confirmaret. Populus Romanus quo tempore idem Annibal muris insultabat urbis, iussit classem cum exercitu in

Hispaniam à portu soluere. Prudentissime ab utroq; & pro tempore ac pro rerum & fortunæ euentis. Medicus apprime solers atque industrius cum ægroto daret operā, qui à phrenitide correptus, cibum nollet capere, quod mortuū se esse diceret, summisit q sub eiusdē insaniæ specie propè illū in lecto collocatus diceret se quoq; mortuū, exposceret tamen & cibum, & potum dari sibi, qui cum afferretur, & ipse sumeret, & tunc alter ille, qui uere laborabat insania, quid hoc, inquit, an mortui comedunt? Et edunt subdidit alter ille sub ficta persona, & potant mortui omnes, atq; hoc dicto, cœpit etiam auentius mandere. Quo exemplo ductus qui ægrotabat, et ego quoq; de more mortuorum pransurus sum. Confestim itaq; cibum sumere cum cœpisset, ex eo continuauit & esse & bibere, è medici sententia. Nec multos post dies morbo liberatus est, magis prudenti hac illius solertia, quàm curandi ratione, aut arte.

De Diligentia.

Inest autem prudentibus quibusq; tum usu ab ipso, tum etiam ab ingenio quædam animorum agitatio, quæ illos assidue solicitos habeat, dum uerentur, nequid secus, quàm oportet, decetq;, uel admittatur, uel accidat, experti uidelicet humanos casus, ac tum fortunæ inconstantiam, tum hominum leuitatem. Itaq; prudentissimum quenq; gerendis in rebus cura hæc maxime uexat, quæ ab animi ipsius commotione, atq; agitatu, dicta est Solicitudo, laudabilis sane commotio, dum ne mentem perturbet, labefactetq; consilia. Ex hac igitur animi solicitudine, quæ actiones plerunq; antecedit, atq; operam, etsi easdem comitatur, natura etiam ipsa adiuuante, enascitur postea in agendo diligentia illa, quæ cum sit & temporis, & rerum, & actionum ipsarū obseruatrix, nihil aut omitti patitur, aut prætermitti, minime uero remitti, quod ad rem bene, commode, laudabiliterq; administrādā pertinere intellexerit. Nullo autem ipsa modo, aut præcipitat operam, aut relanguescere illam sinit, elabi'ue occasionem è manibus, Minime, uero omniū intempestiuitate utitur, aut interturbat administrationis cursum. Eadem quoq; dum metitur singula, dispensat tempus, actiones temperat, digerit ipsam seriem nunquam deniq; à seipsa recedit, nullo sibi pacto, aut arrogans, aut plus tribuens, q̄ quod suæ ipsius partes ferant. Etenim quæ hodie peruulgate quidem est Præsumptio, proprio fortasse nomine arrogantia, an magis arrogatio, ni Iuris consultorum obstet authoritas, non caret elatione, ac iactantia, uel le-

uitate potius ea, quæ rerum agendarum pernicies est quasi quædam. Non solicitari autem, nullaq; ante quàm agere incipias, neq; post in inter agendum cura premi, uel stupidi est hominis, uel maxime insolentis, uel penitus ignorantis naturam rerum humanarum, quamuis maxima interdum peritia, rerumq; plurimarum usus, atq; exercitatio securitatem etiam quãdam ingeneret in administrantium animis. Quibus è uitijs nascitur incuria illa, quæ merito suo, mater est neglegentiæ appellanda. Quin etiam hæc ipsa cura ubi nulla quidem affuerit, parit & stoliditatem & neglegentiam, addo & contemptum. Vbi uero maior fuerit quàm oportet, & quàm decet, aut de quibus minime par est, aut in quibus nihil necesse est negotijs, uitium ex se gignit curiositatis, quo qui laborant dicti sunt curiosi, odiosum sanè genus hominum. Etsi uitium hoc in inquirendis potius ijs uertitur, quæ ad se nihil, aut omnino parum spectent, aut multo minus conferant negotijs peragendis. Ast ubi cura ipsa mediocris quidem fuerit, diligentiam gignit illam, cuius est studium seruare in cunctis modum, ac mensuram, meminisse ordinis, ac temporis, rerum, personarum, negotiorum. Itaq; prisci illi (ut erant actionum humanarum, studiorumq; obseruantes) sicuti Curiæ indiderunt nomen, quod in ea ageretur de re publica, ibidemq; curarentur ciuilia negotia, ita quos diligentes esse cernerent, à magistratu traducentes appellauere Curiones, à maiore uidelicet rerum agendarum cogitatione, & cura. Ioãnes pater tuus Tristane Caraciole, ut erat ipse et grauis in omni actione, & diligens rerum administrator, hanc ipsam uirtutem affirmare non dubitabat, rerum omnium, ac maxime familiarium esse dispensatricem, eamq; uicem gerere in re domestica administrãda, quam sub imperatore, aut duce tribuni gererent, aut præfecti.

Curiosi, et Curiositas

Curia et Curiones

De Aestimatione.

Admodum autem uidendum est prudenti, æquabilem se uti præbeat æstimatorem tũ rerum, temporumq;, tum sui ipsius, & illorum præcipue, quibus cum negotium contrahit. Nam & in bene constitutis ciuitatibus magistratus quidã publici decreti sunt, æquandis ponderibus ac tenendis mensuris. Quid enim tam secundũ rectam rationem, quàm æqua æstimatio? Licet autem eiusmodi tẽperamento præditi iusti potius dici, quàm prudẽtes, populi etiã iudicio debeant, nec iustitia tamen esse potest absq; prudẽtia, nec prudentia sine iustitia. Secus eni summa esset malitia, quæ pestis amicitiarũ est maxima, humanæq; societatis, in rebus, negotijsq; quibusq; administrandis. Ad hæc nihil

tum prudentiæ consentaneum, quàm rerum negotiorũq; discriminatio, & temporum discretio, ac personarum.

De Discretione ac Delectione.

Sunt huic adiunctæ comites duæ, quarum alteri nomen hodie est Discretio, alteri Delectio. Ac discretio quidem ipsa uersatur in discernẽdo, ne uidelicet in agendo peccetur, dum quid agendũ, quid prætereũdum sit, dijudicat, distinguitq; res, operas actiones, adhibetq; ordinẽ, discernens ipsa, ac consulens quid prius, quid posterius sit sequendũ quid lenius, aut seuerius, quid quadam cum temperatione, quasi prætereas, quid cum asseueratione & quasi pertinacia insistens contendas, atq; annitare. Itaq; uirtus hæc discerniculum est quasi quoddam temporum, operarũ, negotiorum, personarum, singula prius perpendens, post uero etiam discernens, inde quoq; expendens. Verum à discernendo appellata populariter ab illiteratis, magis quàm à doctis uiris est Discretio, potissima quidem prudentiæ ipsius pars, habet enim iudicium non modo uniuersim quidem per omnem actionem, perq; ea cuncta, quæ ad agendum pertinent, uerum etiam partes per singulas, ac minutissima etiam quæq;. Exclamare solebat Corelia, peritissimus rerum humanarum senex, præfuit enim sub Alphõso Rege Neapolitanæ ciuitati complureis annos, exclamare inquam solebat, ubi quid uel ineptius gestum, uel intemperantius administratum intellegebat, aut confusius pertractatum, aut præter rei, personæ, temporis qualitatem, dignitatem, naturam. Prò dij boni quonã abijt Discretio? ubi ea gentium delitescit? Itaq; hoc uitio qui occupati sunt, maxime sunt, inordinati, incompositiq;, ignorantes illi quidem quid quoq; loco sit aut ordine aggrediundum, exsequendum, & quo etiam modo, ac uia tentandum, prosequẽdum, agitandum, ad finem deniq; perducendum. Siquidem indiscretio ipsa, maxima afferre impedimenta, plurimamq; confusionem est solita. Videtur igitur discretio ipsa idem esse, quod apud maiores nostros iudicium, Cuius munus quale sit innuit Horatius, cum ait, de Poëtica præcipiens,

» Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.

Cicero item cũ docet, q̃d quoq; loco sit in oratione collocandũ. Verũ hæc ipsa discretio habet actiõis totius, rerũq; omniũ, quæ ad agẽdũ uel ptinent, uel exiguntur, tanq̃ gubernaculũ, ac mẽsurã, nõ modo in discernẽdo, ac diiudicando, uerũ etiã in agendo, ut nõ minus de agendo sit solicita, q̃ etiã de iudicãdo. Itaq; q̃d inter eã intersit, ac iudiciũ, finale discernitis. At uero Delectioi lla huius et soror, et socia idẽ ferè

Discretio populare nomen

Discretio idem quod iudicium

ius exercet, atq; amplectitur munus, et in iudicãdo, et in agẽdo, hoc tamen differre inter se uidẽtur, ꝙ Delectio nõ distinguit ipsa quidẽ uerũ facta rerũ, ac temporũ distinctione, deligit, quod è duobus potius, q̃ è compluribus, ac multis potissimum uideatur, atq; ex utilibus quæ utiliora, quæ etiam maxime utilia, atq; è pulchris honestis'q; uel magis honesta, et pulchra, uel quæ honestissima appareant, atq; pulcherrima. Habitus igitur hic ipse Discretio est, qui uero ornati sunt illo à maioribus nostris innominati, ni forte ut ab usu constantiæ, ac temperantiæ, & constantes et temperantes, sic appellare deligentes eos uelimus, perinde, ut ab usu diligentiæ diligentes, & alteros illos ab usu, habitu'q; discernendi, discernentes. Etsi uulgus eos passim, ac peruulgate discretos appellat. Rursus qui secus affecti instituti'q; sunt, Indiscretos. Sed nos ijs tum inquirẽdis, tum explicandis nimij fortasse sumus, & attigisse quædam, quàm disseruisse, consultius fuerit.

De Experientibus & Peritis.

Horatius Flaccus Poëta non minus grauis uirtutum suasor, quàm argutus reprehensor uitiorũ, cum laudare homines exercitatos, uel hortari potius ad agendum cuperet.

" -Aut uirtus, inquit, nomen inane est,
" Aut decus & pretium recte feret experiens uir.

Quo dicto declarare nobis uoluit, exercitatissimos quosq;, maximis'q; in negotijs uersatos, omnium eos maxime esse prudẽtes, quod usus ipse faciat experientiam, hæc ipsa experientia peritiam, imperitum autem neminem posse esse prudentem, quod adolescentia ipsa declarat. Itaq; apud Maronem, quanto cum supercilio dicatur,

" Experto credite. Quæ sententia eũ quidem inter philosophos locũ obtinet, ut ijdem præcipiãt quaq; in arte, quacunq; in facultate, fidem ei maximam adhibendam, qui in illa diutissime ac diligentissime uersatus fuerit, plurima'q; etiã expertus. Neq; enim alia ratiõe artes inuentæ, ac cõstitutæ sunt, ab experimentis enim enatæ sunt institutiones, ac præcepta, eaq; lõgissima ab obseruatiõe sumpta. Itaq; multa q̃ experti sunt, ijdem quoq; habẽtur periti, inde enim nomẽ ipsum est deductum. Qui uero aut parũ, aut nihil ferè experti, imperiti, rudesq; (Nam & primæ ipsæ, ut ita dixerim, initiationes, quacunq; in arte ducuntur rudimenta) et illi quidẽ in admiratione sunt publicè, priuatim'q; ciuiũ omniũ, hi ludibrio habentur, atq; contẽptui. Ipsi illi igitur periti sunt, quos nõ multo ante diximus uocatos ab antiquis iuris prudentes, q̃bus scilicet ab experto noti essent, atq; ab obserua

tione ritus patrij, leges, mores, consuetudines, quiq; memoria teneret, qua in causa, quoq; in negotio uel ancipiti, ac maxime dubio, uel oppido quàm difficili, quid à maioribus uel iudicatum esset, uel constitutum, uel publicæ etiã sancitum, unde qui huiusmodi facultati dãt operam, legum periti, ac iuris dicuntur, eaq; cognitio appellatur à doctis pariter, atq; indoctis peritia. Præterea quoniam exercenda ab arte hæc ipsa quoq; proficiscitur peritia, ex eo solertes dicti, dicta etiam solertia, & in quibus nulla esset artis peritia, inertes, imperitiaq; ipsa inertia. Atq; hæc ipsa uocabula ab arte primum, ut uidetis, traducta, post tralata sunt ad actiones, atq; ad agendi usum, qn etiam ad naturam, atq; ingeniũ. Nam & acri ingenio præditos, quiq; administrandis rebus aptiores sunt, magisq; appositi, solertes eos dixere. Contra hebeti ingenio, ac parum aptos, minimeq; ad agendũ idoneos, inerteis. Quin etiam à similitudine manus exercentium, siue ab effodiendis agris (nanq; agricultura maximo quondam fuit in pretio) siue à cædenda materia fabrilia ad opificia, quod exercitatione ab ipsa manus ducere callum essent solitæ, in negotijs, artibusq; exercitatos dixere callidos, quodq; usu ab ipso occaluissent, dicta est etiam calliditas. Sed nescio quomodo paulatim ob malitiam, quod ad eam declinaret calliditas, haberi cœpta est uitio, magna etiam peritia, uicta mala cupiditate fiduciam gignit. Quidã etiam non ab arte magis, quàm ingenio ab ipso, insitaq; ab ui, animorumq; procliuitate toti propendent in fraudem, dolos, insidias, suppilationes, cuiusmodi Afri esse perhibentur. Ex eoq; tum ingenijs, tum moribus præditi eiusmodi, à gentis uitio Vafri uocitati. Ferunt tamen in parte Italiæ Vafrias fuisse oppidum, cuius incolæ quod uana essent fide, Vafros inde dictos. Erit autem uitium ipsum Vafritas. Verũ de ingenio post dicemus, deq; ingeniorũ applicationibus, atq; procliuitate. Quocirca ad experientes redeamus, atq; ad eum habitum, qui ut à continente continentia, sic ab experiente experientia nomen traxit. Ea prudenter gestorũ, recteq; administratorũ testimoniũ ꝓhibet. ab hoc igitur ipso habitu maxime laus ingeneratur, hominumq; admiratio, atq; econtrario uituperatio, itemq; contemptio. Quocirca recte atq; ex ipsa re est dictum ab Horatio, Experientem uirũ, quiq; agendo atq; administrando susceptis negotijs, tum publicis, tum priuatis, inceptisq; alijs, cũ dignitate, rectitudineq;, ac secundũ rationis ueræ præcepta, legemq; satisfecerit, illũ & decus, & pretiũ uirtutis ipsius secum ferre, quippe qui non ipse solum recte, ac prudenter egerit, sed alios quoq; ad eiusmodi laudem exemplo suo inuitauerit. Etenim in

Callidi et Calliditas

Vafri

Horatius declaratur

agendo exemplum ipsum eam uim, id habet robur, quod in faciẽdo ars, atq; institutio, & ea ipsa, quæ ab artificibus uocata est norma. Nam etsi diuiniora sunt, quæ ratiocinando, disserendo, inuestigando, homines assecuti sunt, tamen sine actionibus constare humanum genus omnino nequeat. Et hodie quoq; nationes non paucæ usu, consuetudine, actionibus'q; atq; illarum obseruatione, atq; continuatione magis constant, quàm aut prospicientia rerum futurarum, aut præteritarum memoria, sine scriptis, senatus'ue consultis, aut plebiscitis, aut Augustorum sanctionibus, ac tabulis.

De Ingenio.

Ingenium, de quo paulo ante pauca quædam attigi, cum sit uis & aptitudo quædam, habilitas'q; animantibus à natura indita, atq; homini præsertim, uidetur nomen eius ex eo ductum, quod sit natura ab ipsa nobis ingenitum. Quanquam autem & loci, & agri, & terræ, & regionis ingenium apud rerum scriptores persæpe legimus, proprie tamen de homine dicitur ob excellentiam intellegendi, aptitudinem'q; ad artes diuersas, diuersa'q; uitæ munera, actiones'q; multimodas. Itaq; quibus in hominibus mens ipsa uiget, inest'q; naturale acumen ad rerum naturas cognoscendas, atq; ad uitæ tum publicæ, tum priuatæ administrationem, eos ingeniosos dicimus. Cæterum q & acute, & cito & solerter, & præter alios, disciplinarum, cognitionum'q; præcepta facile hauriunt, penetrant'q; insita à ui, ad secreta tum naturæ, tum artium, facultatum'q;, hi sunt quos summum in modum admiramur, & quorum suspicimus intellegentiam, dono'q; deorum immortaliũ concessum id eis magna cum excellentia arbitramur. Ingenio autem mens hoc interest, quod mens diuina res est, cœlitus'q; delapsa. Ingenium uero exsistit ex ipsa corporis, animæ'q; cõpage, & constitutione, atq; ex humorum è quibus constamus temperatura. Ii enim plurimum ingenio ualent, quorum in corde, ac sanguine maior inest, atq; agilior calor. Torpescunt illi contra, q̃bus sanguis frigore concretus subest, abunde'q; multum lentescit. Ad hæc ingenium præ se quidem fert insitam tantum à natura siue uim, propensionem'q;, siue aptitudinem, atq; habilitatem. Mens uero imperiũ, magistratum'q; quasi quendam ad omnem prorsus iudicationem, rectitudinem, ueritatem, distinctionem. Propter diuersitatem igitur concretionis corporeæ, quæ commistio infinita quidem est, nec omnino cõprehensibilis, eueniunt tam multæ uarietates, applicationes'q; ingenio

ingeniũ quasi ingenitũ

inter ingeniũ et mentem } differentia

rum, multiplices ipsæ adeo, ut quot homines, tot etiam sint ingenia. Quo fit ut in utenda etiam prudentia, ingenium quisq; sequatur suum. Celeritatem Cæsar, cunctationẽ Fabius, astum & calliditatẽ Annibal, tarditatem ac taciturnitatem Pompeius, animi generositatem Pyrrhus, contentionem Alexander, simplicitatem & lenitatem Marcus Antoninus Augustus, seueritatem Cato, duritiam ac tolerantiã Caius Marius. Ac ne uetusta semper nobis sint in ore, In Ferdinãdo Rege Neapolitano, cuius nos secretiora negotia decennio administrauimus, cuius etiam in imperio nescias plus'ne bona fortuna ualuerit, an prudentia, inerat summa taciturnitas, incredibilis rei cuiusq; simulatio, ac dissimulatio. Contra in Alphonso eius filio apertissima simplicitas, nuda etiam ueritas. Eodem tempore moderabatur Florentinam rem publicam Laurentius Medicorum è familia, cuius sermo admodum erat latebrosus, latebrosiora consilia, Mediolanensibus imperitabat Ludouicus Sfortia, huic autem ipsi dominabatur ambitio, atq; honoris cupiditas liuore infecta. Florebat rebus in bellicis Fridericus Vrbinâs, nemo ex omni parte agendas ad res eo pensitatior erat, atq; circunspectior, Xysto Pontifice Maximo uix alius fidentior, audentiorq;, Innocentio qui ei successit, quis diffidentior? Alexandro Sexto nemo unquam cupientior, atq; auidior. Itaq; ingenium, ut dici solet, ad mercatum quisq; fert suũ. Ac tametsi nemo prudens, nisi bonus idem & probatus uir, ne nos hac in parte à populari discedamus opinione, qui suo tempore prudentes sunt habiti, ingenium quisq; secutus est suum. Verũtamen prudẽtia ipsa rectam ubiq; sequitur rationem, ad quam se qui accommodauerit, næ ille mihi nõ recte non fecisse uidebitur, siue hilaritatem Lælij familiarem adhibuerit secum in consilium, siue amici eius Scipionis ambitionẽ, ac tristitiam, siue popularitatem Augusti, aut Socratis Ironiam.

De Industria.

Marcus Cicero non eloquentiæ modo, uerum etiam Romanæ Philosophiæ pater gloriatur apud filium, & iure quidem gloriatur qđ industria sua sæpe multis profuerit, ipsáq; industria nostris ab hominibus ore quasi pleno laudatur, et q̃ ea sunt præditi, ut industrij commendantur. Quæ tamẽ ea sit, & qualis, parum constat, neq; in hunc usq; diem est à quoquã traditum. Quãobrẽ huic ipsi, qui est de prudentia tractatui & hoc quoq; accedat, de ea uti prodamus, quæ sit nostra sententia. Ipsa uero ab ingenio hoc differt, qđ ingeniũ aut acutum dicimus, aut obtusum, neutiq; autẽ industriã, sed aut magnã, aut paruã, etsi ingeniũ quoq; & magnũ & paruũ dicimus. Ad hæc

mercatores & agricolas industrios potius dicimus, q̃ ingeniosos & Poëtas, Oratores, Philosophos, ingeniosos magis q̃ industrios. Ingenium quoq; ipsum omnino inest à natura, Industria uero ab exercitatione magis, atq; ab usu. Quid quod hæc ipsa absq; ingenij bonitate uix est aliqua, at ingeniosi permulti absq; industria, aut ea omnino exigua. Præterea ingeniũ in alijs est uersutum, et callidum, in alijs lene, mansuetum, aut contra asperum, atq; insolens. Quis unq̃ dixit aut lenem, aut asperam, aut uersutam, simplicẽ'ue industriã? Inest in genio celeritas, aut tarditas, Industriæ expeditio potius, & explicatio quasi quædã, in rebus impeditis, atq; perplexis, in inopia, in necessitatibus, in difficultatibus, ut uideatur industria quidẽ ab ingenio ortum ducere, cæterum agendo, atq; experiendo, ali, formari, perfici, nã ingeniũ si defuerit, qui nã potest esse industriæ locus? Rursus exercitatio nisi accesserit, atq; usus, ea quoq; nulla est futura. Quo'circa nomen ipsum uidetur ab inducendo ductum, ut sit quidã quasi habitus usu, exercitatione'q; ab ipsa, ac diu, multum'q; experiendo inductus. Nã pueros passim igeniosos dicimus, nequaquã uero industrios, at uiros & senes dicimus. Habent igitur hoc industrij, ut quod ingenio præstent, solerter atq; acute excogitent, quod autẽ sint in negotijs uersati, ac plura experti adinueniunt ex se etiam non pauca, & in ipsis negotijs cum facile sese, tum multa etiam arte explicant. Atq; in qbus alij laborant, ipsi haud difficulter res suas expediũt, nouas etiam uias reperiunt, nouum modum ad negotia transigenda, ad emolumenta comparanda, ad insolitos etiam quæstus faciendos, qbus è rebus efficitur, ut industrij habeantur maxime prudentes, quod & solertissime intellegant, & quid expediat, & qua etiã ratione, qđ expedire ducunt, sit illud consequendum. Atq; ut callidorum, astutorum'q; consortia, et societates fugiuntur, sic contra delectat industriorum, et pleriq; ad illorum se exempla libenter adiungunt, simles'q; eorum esse student, quorum profecto hominum maxime amica & peculiaris est solertia, atq; ea, quæ extemporalitas dicitur, diuturnũ eni ob usum ilico, atq; ex tempore, et capiunt consilia, et qd expediat uident, & pro loco, atq; occasione, modum statim, aut remedia adhibent. Horũ etiam assidua comes est uigilantia, cum sit industria ipsa minime desidiosa. Itaq; uis hæc & natura ab ipsa excita, et usu, exercitatione'q; confirmata in rebus hominũ plurimũ confert, maxima'q; est laus eius, atq; commendatio. Cũ eius sit propriũ, excogitare, atq; adinuenire in susceptis aut suscipiẽdis negotijs uiã, modũ, ordinẽ ad ea explicanda, atq; pficienda, atq; ubi alij caligant, aut intepescunt, ipsi

Industria unde dr.

& incalescunt abũde, & perspiciunt acute, & explicant se facile, et nouas ineunt rationes, nouaq; consilia, nouas etiam uias ingrediuntur siue mercibus alienandis, siue lucris excogitandis, siue damnis resarciendis, siue è difficultatibus se ipsis explicandis, ac liberandis, ut fortasse non imperite eam nos in Vrania nostra ex egestate, ac labore prognatam dixerimus, quoniam industrij homines et laborãt ipsi, exercenturq; permultum, & ad ea contendunt assequenda, quorum egere sese sentiant. Habetis igitur quid ipse de industria censeã, quã autem ea sit prudẽtiæ dedita, quamq; illius admiratrix, nedũ studiosa, facile quidem noscitis. Quamobrem ad alia transeamus,

De Vigilantia.

Est curæ illi ac solicitudini, de qua non multo ante dixi coniuncta uigilantia, a uigilũ munere, & officio dicta, atq; ut diligentiæ, neglegentia, incuria uero curæ, sic huic dormitatio aduersatur, ac somnulentia, profectum e pigritia, atq; ignauia uitiũ. Differt a cura, qđ autẽ cura quidẽ præcedit, uigilantia subsequitur, utq; illius est curare, ita huius est inuigilare, ne capiatur, ne'ue dũ opus est factu, relentescat atq; abdormiat. A diligentia uero, quod hæc agit, totaq; uersatur in actiõe, At illa obseruat, notat, animaduertit. Atq; ut dormitantibus, ac somnulentis tempus frustra labitur, suntq; ipsi fraudibus expositi, atq; insidijs, sic econtrario uigilantibus nullum frustra labitur tempus, nullumq; momentum relinquitur inanimaduersum. Minime autem dant ipsi locum, aut deceptioni, insidijs'ue, aut otio, ac desidiæ, frustraq; elabẽdo tempori. Vidẽtur autem copiarum duces, rerumq; administratores bellicarum in hac ipsa uigilantia, totius exercitus, suamq; ipsorũ securitatem, nocturno præsertim tempore collocare. Nã a uigilando et uigiles dicti, & uigiliæ. In uigilũ enim custodia, diligentia, & fide salus sita est, atq; incolumitas exercitus, dum cæteri corpora sub tabernaculis curant. Oportetq; imperatorẽ ipsum maxime uigilantem esse.

De Maturitate.

Omnino autem prudentis est proprium, naturam rerum imitari, quæ frugum ipsarum fructus ad maturitatem tempore suo perducit, quippe qui nisi maturi fuerint, nullo modo probãtur. Quid enim acerbum suaue? Eiusmodi itaq; intempestiuæ sunt actiones, ac perquã festinatæ negotia, ijdẽ etiã fructus ubi nimio plus ematuruerint, perputrescũt. Quo fit, ut maior, atq; lãguidior tarditas actiones quoq; ipsas corrumpat, reddatq; aut parũ eas utiles, aut prorsus inefficaces. Quo circa qui gerendis, atq; administrandis rebus tempus idoneum seruant, qui

uant, qui negotiorum qualitates, ac rerum ipsarum ita metiuntur, ut eas ipsas tempore suo, suisq; locis & aggrediantur, & prosequantur, eorumq; omnium, quæ casus, fortunaq; obtulerint, hominũ item, ac personarum quam par est rationem habeant, utq; nunc differant, remorenturq; nunc gradu suo incedant, hi ipsi sunt, qui maturi dicuntur, habitusq; ipse maturitas. Cuius ea natura est, ut hinc agendi acerbitatem maturescere permittat, illinc opportunitatem elabi minime patiatur, nihilq; præter tempus aut tentet, aut operam, ubi ea opus est, remittat. Quædam tamen negotia, actionesq; nonnullæ à maturitate aliquantulum si abfuerint, facilius, atq; accommodatius administrantur. Nam & genera quædam uini id uidentur exigere, ut uuæ ipsæ legantur aliquanto acerbiores, quædam, ut racemi præ maturitate siccescant. Quarum diuersitatum prudẽtem uirum, quẽq; maturum agnominamus, oportet esse obseruãtissimum. Siquidẽ hæc ipsa maturitas præcipuam prudentiæ laudem secum defert.

Quæ sint prudentis uiri partes atq; officia.

Hæ igitur, de quibus dixi, siue administræ, & tanquam collaterales, siue partes & membra quasi quædam, prudentiæ ipsi uel assunt in agendo & administrando, assidentq; ei, uel eam ipsam constituunt. Quo'circa prudentis uiri partes sunt, ac munera, & antequàm aggrediatur aliquid, & postquam est aggressus, diu multumq; & simul omnia consyderare, & discretim etiam singula, prouidenterq; prospicere, & quæ necessaria uisa sunt, apparare, ac nunc cunctari, nunc festinare, nunc insistere, nunc cedere, modo incalescere, modo refrigere, introrsus res ipsas perspicere, ad singula intentum esse, obseruare tempora, locum, personas, res, negotia, inter seq; discernere, uertere etiam sese, perinde, ut casus, fortuna, rerum euenta, inopinatiq; exitus tulerint, ac nunc simulare, nunc dissimulare, dum ne id fiat dolo malo, soliciti animo, cauere ad passus singulos, ne concidat, diligentiam ubiq; summam retinere, cum primisq; adhibere delectum, nec à seipso discedere. Atq; hæc quidem cum dignitate, & penso omnia. Quæ præcepta seruantem, & intra præscriptum rationis rectæ se cohibentem licebit prudenter, publice, priuatimq; cunctis in negotijs, actionibus, inceptis sese gerere, atq; administrare singula, consulentem è sententia et rebus ipsis familiaribus, cognatorum quoq;, atq; amicorum, itemq; aliorum, qui curæ eius, temperationiq; subiecti sunt, & publicis, atq; communibus, cum summa etiam commenda

tione tum ciuium, tum peregrinorum.

Hæc habui hodierna in confessione de prudentia uobiscum quæ discute rem. Et quanquam hæc ipsa satis multa per se quidem sunt, plura ta men sese etiam offerunt, quæ haud mentiar, si fortasse dixerim à uo bis desyderari. Quibus ut satisfaciam, diem in crastinum, dictionẽ hanc omnem reijcio, quæ ex toto quidem posita erit in commemoratio ne exemplorum, quibus cognitis, perspecteq; consyderatis (quoniam in exemplis ualentissima quædam inest efficacia, utq; Græci dicunt energia) facile intellegetis, quid prudentem deceat, & quibus sit ab eo uestigijs inhærendum, & quousq; etiam progrediendum, & quo modo, ne de rationis rectæ curriculo discedens aberret à uia, ne'ue inter progrediendum concidat, corruatq; sub onere.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE PRVDENTIA LIBER QVINTVS.

m ARINVS BRANCHATIVS, Homo festiuissimus, atq; è conuictoribus nostri temporis, facile quidem primus, hortari alios in cœnis solitus est, exemploq; etiam suo inui tare ad pocula, post epulas uero, poculorũq; suauissimos illos haustus, cum iocis aliquantum, facetijsq; esset indultum, uel demulsim, blandienterq; allectare ad somnum capiẽdum, quo uinum, atq; epu las longiore, ut ipse dicebat, quiete edormiscerent. Salubre prorsus consilium, taliq; in primis suasore, atq; authore dignum. Etenim Ma rinus suapte natura iucundus erat, conuiuiorumq; assiduitate ita cõ firmatus, uti compotores quoq; suos ad omne hilaritudinis, atq; festiui tatis genus, exemplo suo induceret, quippe qui passus etiam sit, mili tari quadam cœna, castrensiq; in conuiuio, inter arma, aciesq; ad pu gnam paratas declarari se prætoria bucina, regiorumq; tubicinum acclamatione, in potu, propinationibusq; uictorem. Suauis sane uir, summatumq; uirorum consuetudini propter tempora ipsa uel appri me quidem idoneus. Sed abusus nimirum ipse est tum natura, dũ stomachi nimium est potens, tum regia humanitate, dum iocandum inter & compotandum, ea delectandi gratia affert in mensam, quæ ab rege, principibusq; per risum tunc accepta, ac iocum, non in me diocreis calamitates, pernitiosumq; exitium paulo post uertere. Ve-

rum enim illos ipsos ad iocos, aulæ diffluentia, tempestatisq; illius mores inuitabant eum, tantus ætatis illius luxus fuit, atq; omnis generis licentia, ut populum continentissimum, temperantiæq;, ac castimoniæ admodum deditum omni è parte contaminarint, utq;, ne mihi progrediendum, aut declamandum sit ulterius, inter maxime tetricas matronas, puellasq; modestissime educatas, contaminatione hac inuentæ sint, & quæ tunc matres filiarum pudicitiam ambientes pluris uenderent, & quæ etiam uirgines, quo flos ætatis earũ maioris staret, omni arte, studioq; pellicationibus intentæ essent. Sed nos o' uiri optimi, quanquam etiam comitatis, atq; urbanitatis amantissimi, Marini iucunditatem in conuiuijs magis, magisq; commendemus, tamen & desyderio mortui illius finem statuemus, & urbanæ continẽtiæ deplorationem in aliud magis quietum tempus reijciemus. Quando autem neq; ut conuiuæ quidem, neq; ut licentius poti, fanulum in hoc conuenimus, uerum sobrij, deq; uirtutibus, ac præcipue de prudentia disserturi, illud in Marino tantum imitabimur, ut longas post dissertiones, quod ille post uina præcipiebat, & nos quoque conquiescamus, non edormiscendi uini gratia, sed quo paulo post maioribus ad dicendum resumptis uiribus, de alijs quoq; uirtutibus, deq; prudentiæ præsertim officijs, & uigilantius disseramus, & magis, ac magis sobrie. Vsi autem præfatione hac uobiscum sumus, quod licentiosi nunc celebrantur dies, qui Quadragesima de Christiano ritu præcedere soliti sunt ieiunia. In quibus si liberum & nunc est, & ab initio olim fuit, tum iocari, & ludere, tum etiam perpotare, permissum saltem dicenti sit mihi, in hoc ipso consessu, licentiore uti siue authoritate, siue exemplo hominis maxime festiui, & noti. Quo'circa ad dicendum ipse quidem, uos autem ad audiendum quæ reliqua sunt, accingamur, ut post nostrum utriq; suo, non sine defatigatione tamen functi officio, quietiore etiam somno uires corporis, atq; animum relaxemus.

ESTERNAM Post disputationem, quæ a' me est habita de Prudentia, Tristane Caraciole, tuq; Francisce Puderice, cum hoc è sacello domũ me, atq; in cubiculum reduceretis, fessum iam de dictione, quod contingere necesse est in sene, & quidem septuagenario, incidit inter reducendũ, ut probe meministis, sermo de Alphonso secundo, uel questus potius, quod Ferdinando patre mortuo, annũ regnans non impleuerit. Cũ

tu Tristane iustitiam, ac religionem in eo mirifice extolleres, nec du bitares asserere, omni pietatis genere, cæteris illum omnibus, qui Nea politano imperitassent regno, proculdubio anteferendum. Ac diu- tius si uixisset, seipsum cum primis, maioresq; item suos, diuini cul- tus studijs, sanctimoniaq; honestaturum. Mortuum autem eo desyde- rio Neapolitani præsertim populi, ut multos post obitum menses (obijt autem Messanæ in Sicilia) creditus sit etiam uiuere, & reditus eius publice, priuatimq; lætissimis animis, apparatissimisq; plausibus, à bonis præsertim tum ciuibus, tum proceribus exspectaretur. Tu uero Francisce simplicitate, rectitudine, ueritate, cunctis illum anteponeres principibus, & dynastis, de quibus aliqua exstaret memoria probi- tatis, præcipue uero popularitate, non inter ciues modo, ac subiectos populos, uerum etiam inter milites, quamuis non alius eo tibi conti- nendis ijs à ui, ac rapina, aut solertior uisus esset, aut seuerior puniē dis. Sed Gallicam illam insolentiam, ac rapaces gentis eius animos, Italicorumq; fraudes hominum, insitamq; dominandi præter ius, fasq; libidinem, quasi de medio ereptum sustulisse, ne uirtutes eæ, de quibus uterq; dixistis, enitescere in eo iā rege illustrius, magisq; eui denter possent. Mihi uero uiri optimi in illo, & puero & adolescen te, præcipue autem uiro, admirationi semper fuit memoria, qua su- pra omnes ætatis huius reges eminentissime excelluit, et rerum præ teritarum, & exemplorum. Itaq; quoniam hodierna disputatio, enu merandis exemplis eorum, qui prudenter aliquid egisse uisi sunt, uniuersa quidem uersabitur, repetam quæ aliquando eum summa cum commendatione referre memini de Roberto Sanseuerinio & ui ro, & duce fortissimo. Referebat igitur Robertum hunc quo uoto se damnatum absolueret, profectum Hierosolymam ad Christi sepul crum, indeq; proficiscenti ad montem Sinan, quo in monte & diuæ Catherinæ monimentum esset, & Deus Op. Max. Mosi se ostendis set, describendis tabulis, ac legibus Iudæorum generi, factos obuiam latrones Assyrios, qui uiam obsedissent, quos cum aliquanto longius arenarum agitatu uenientis animaduerteret, conuersum illum ad eos, qui Soltani sub fide publica eum deducebant, & qui nam ij es- sent percontatum, tum illos metu repentino consternatos, latrones esse Arabas respondisse, uagos, palanteis, nulla lege coërcitos, Ibi Rober tum confirmatissimo animo cohortatum familiares, ac comites, iussis se, uti sarcinulas explicarent, prandium enim esse parandum aduē tantibus, deq; puluere, atq; æstu fatigatis, Ac uultu maxime hilari, ut erat statura, totoq; corporis habitu insignis, processisse illis obuiā,

& arrisisse

& arrisisse uenientibus, & comiter etiam eos accepisse, multáq; per interpretes iucunde, familiariter, ac maxime fidenter locutum, Illos autem, quanq̃ barbaros, atq; inhospitaleis et maiestate uiri commotos, & comitate sermonis, pransi cum fuissent, donatos ab eo, quibus tum delinire ipsos posset muneribus, & gratias Roberto egisse, quod ab eo tam comiter accepti essent, & ualere hilariter cum iussissent, discessisse, quammaxime pacatis, atq; amicis animis, Sub uesperum autem, cum multum etiam itineris Robertus peruasisset, conspecto prius globo perquam puluerulento, admonitum fuisse aduentare aliam latronum manum, qua re illum et qui aderant omnes, summo metu perculsos, de salute iam desperare cœpisse. Ecce autem eosdem illos adactis circu͂m equis, Robertum capite cum salutassent, rusticana profecto non ingrata tamen, ante eius pedes posuisse munuscula, in ijsq; salitos ex ariete petasunculos, ut gentis eius mos esset. Quibus iucundissime acceptis, Robertum & metu esse liberatum, & iudicasse, nullam gentem tam barbaram, immanem, feram, quæ non et liberalitate caperetur, et gratiam referre pro benefactis studeret, quǽq; non ægre etiam aliquando ferret uinci se beneficentia, ac meritis. Hoc equidem ipse igitur exemplo admonitus, eo libentius hodiernum munus implere contendam. Nam & exemplum lex est quasi quædam, quæ bene institutos homines ad recte agendum inuitet, & ea est etiam efficacia, ut generosissimum quenq; excitet adeo, atq; incendat, quantum in ipso est, feruntq; facultates, uel superare contentis annitatur uiribus, uel summo saltem studio imitari.

Virtutes morales esse inter se complicatas.

Prudentia igitur cæterarum ut uirtutum dux est, ac materfamilias omnium, sic ipsa uix unquam sola, sine alicuius earum adminiculo munus exsequitur suum, quoties prosequendum aliquid susceperit, Etenim actiones ipsæ nostræ eiusmodi sunt, ut plerunq; confusæ inter se, ac complicatæ, rarissime autem simplices exsistãt, perinde, ut res ipsæ, negotiáq; cõmista iter se sunt nostra, et arctius inuoluta. Quid enim utile in re familiari, & ciuili, quod quærere proprium est prudẽtiæ, quod nõ sit idẽ etiam iustum? dum recte tamẽ quæratur. Debet enim iure naturæ et ciuis, et paterfamilias bonus, sibi, uxori, liberis, ciuibus, atq; notis prodesse quidẽ semper, nullo autẽ modo deesse. Ad hæc cõferre de suo, et erogare de facultatibus, ad liberalitatẽ ptinet. Subit idẽ et ciuis bonus, et paterfamilias etiã uitæ pericula, pro pa-

tria, parentibusq́; aris, atq; focis, quod, fortis quidē est uiri. Atqui iustum et hoc est à quibus tam multa acceperis iisdem quantū possis, gratum esse, et in referēda gratia propēsum, ac liberalē. Intemperātes, ac parū modesti homines & ipsi iniurij erga naturam sunt, quam corrūpunt, ac uiolant, & parum omnino fortes, atq; constantes, quippe qui sibi à cupiditate, dolore, ira fœdissimis etiam uoluptatibus dominari patiantur. Igitur & temperantes, moderatiq; iustitiam amplectuntur, fortitudinem, constantiam. Itaq; actiones ipsas nostras ubi acutius consyderaueritis, perplicatas inter se, atq; confusas intellegetis, potiore tamen à parte nomen accipiunt, ut cum prudenter aliquid factū dicimus, quod tamen ratione alia iustum sit, ac liberale. Itēq; liberale, ac iustum ducimus, quod aliter consyderatum sit etiā prudens. Nos igitur adhibitis immo conquisitis exēplis grauioribus, nec iis quidē multis, quæ ad prudentiam potissimum referantur, reliqua uestris iudiciis existimanda permittimus.

Alexander Hierosolymorum Rex ultima pressus ægritudine, scelerū suorū conscius, & auare, crudeliterq́; in populos grassatus esset, cū timeret liberis, ne suum post obitum regno à popularibus pellerentur, uocatā ad se Alexandrā uxorem monuit, uti animam cum ipse egisset, confestim cadauer in publicum efferendum curaret, conuocatisq́; ilico ciuibus, in eū prius inuecta, quod iniustus, rapax, impius, nefarius, perditissimusq́; fuisset moribus, inde quasi illorum faueret uindictæ, palàm diceret tradere se Alexandri corpus dilaniandū ciuibus ut quam in uiuum nequissent, in mortuum saltem iram exercerent. Dilacerarēt itaq; illud, et hoc uindictæ genere sæuissimum ulciscerentur tyrannum, Eaq; ubi peregisset, commendaret illis liberos ut innocenteis, impuberes, ac nihil mali meritos. Quod Alexandra summa seueritate, ac prudentia exsecuta cum esset, ita quidē uniuersæ multitudinis animum mouit, ut nō solū liberis, regnoq́; salubriter consuluerit, uerū mariti etiam funeribus. Siquidē populares hac tanquam liberalitate, iustoq́; iudicio deliniti, regio more iusta Alexādro persoluere. Prudentissimum sane morientis tyranni consiliū, nec minus Alexandræ post coniugis obitum egregium factum. Qua in re etsi sola prudentia uidetur locum obtinuisse, non caruit tamen occulto iustitiæ præsidio, cum populus ipse iuste secum agi ab Alexandra iudicaret, quæ pro patratis à tyranno sceleribus corpus eius popularium iræ, qui iniuriam acceperant, sponte quoq; permisisset. Inuenit igitur prudentia remedium, quod ratione alia, in re admodum perdita adhiberi nullo modo posse uisum esset.

Laurentius, de quo libro superiore mentionem fecimus, Florentinam rẽ publicam cum moderaretur, & à Xysto Romano Pontifice, coniunctis cum Ferdinando Neapolitanorum rege copijs, graui bello premeretur, laboraretq; ipse domi ciuium inuidia, uerereturq; populi leuitatem, ad hæc uideret res suas in arctum adductas, multa diu secum cumq; amicis agitans, cœpit tandẽ consiliũ, confugiendi ad Ferdinandũ. Itaq; ignorante populo Pisas profectus, inde mari Neapolim ad Regem nauigationis eius inscium profectus, ab eo amice accipitur. Qui admiratus illius fiduciam, reputansq; q̃d se tali in facinore, q̃d regia item dignum esset fide, et pacem, quæ post secuta est, procurauit, et incolumẽ Laurẽtium in patriam, ac uoti compotem remisit, comiter, amiceq; à se nulla non in re habitum. Laurentius igitur è paucissimis, quæ offerebãtur remedijs, cœpit quod uisum est saluberrimũ, sui ipsius quanquã hostis, regis tamẽ fidei commendandi, quæ regum maxime propria uirtus ab omnibus iudicaretur. Fidentissimum sanè facinus, quodq; ob fiduciam simul, atq; prudentiã, bene, utiliterq; ac publice, priuatimq; illi, omni quidem è parte uerterit.

Archelaus Cappadociæ Rex cũ intellexisset ab Herode Iudæorum Rege, captum ob pariadij suspicionem Alexandrum filium, suũ quidem generum, accurrit propere è regno suo, adiensq; Herodem. Pro dij immortales, inquit, ubi gener ille meus, sceleratus, infamis, parricida? ecquis eius mihi iugulum offerat, his aperiendum manibus, hoc discindendum gladio? Sed quæ nam inquam, quæ nam patientia est ista tua ó Herodes Rex, noluisti rebus tuis consulere, noluisti impijssimus filij consilijs, sceleratissimus ausis, maxime immanibus inceptis, ut par erat, debito supplicio prospicere. Ego uero filiæ meæ nurui tuæ Glaphyræ maritalis impietatis, q̃uis nullo pacto consciæ, prouidero tamen. Nam q̃ impijssimi uxor est uiri, satis, superq; fœdatam illã esse iudico. Ergo festinãs ipse è Cappadocia, frustra quidẽ Alexandrũ, dum interim iter facio, et tibi dedisse pœnas, meditatus sum, excogitati pariadij? & me tua è sententia, quia perditissimi uiri ea coniux esset, mea de filia capturum esse consiliũ? Cũ autem te te ipsum o Herodes patrem intuear plus nimio indulgentem liberis, quæso inuicem commutemus animos, Tuq; dextram da mihi tuã, contra meam hãc ipse dextram accipe, per quam & ego tuas in gnato suscipiam partes, tu uero in filia uicissim subeas meas. Quibus in hanc sententiã dictis, atrocẽ Herodis animũ ita lenijt, ut et filio Herodes pepercerit, et Archelai filiã, quã abducturũ se pater nefario ab marito simulauerat, rursus collocari in matrimoniũ scriptis nouis conditionibus uo

luerit. An non uidetis ipsi tanto in negotio, quantum simulatio pariter, dissimulatioq; eodem quoq; tempore, quantum etiam nouæ, parumq; opinatæ personæ ualuerit assumptio? etiã apud regem, maxime callidum, ac præter cæteros in stirpem, cognatosq; sæuientem.

I dem hic Herodes profligato Antonio, rebusq; eius excisis, Rhodũ ad Octauiũ profectus, dum apertissime se Antonij debitorem fatetur, ob beneficiorũ illius multitudinẽ in se, ac magnitudinẽ, dũ præsidia aduersus eũ Antonio misisse, dũ cõsilia sua dum Cleopatræ crudeleis animos, nefariasq; cogitationes refert, nec etiã fuisse defuturum, suis si consilijs paruisset, coràm obtestatur, dũ uenire se tandem ad uictorẽ prædicat, seseq; illi dedit, operamq;, et fidem suam neq; fluxam, neq; ignauã futurã pollicetur, nõ inuenit modo apud Augustũ ueniã, uerum etiam uirtuti suæ locum maxime illustrem. Quã de cætero ni fœdasset, tot cædibus filiorũ, cognatorũq;, facile Iudæorũ inter principes et iure habitus, et merito iudicatus primus eẽt in omni genere laudis, perinde, ut maxime quidem maiorũ suorũ omniũ liberalis fuit, atq; magnificus. Hic ipse igitur dũ se ipsum agnoscit, dũ Augustũ cõsyderat, dũ omnia circũspicit, dũ quid tempora illa ferrent, et quod neq; simulare poterat, neq; dissimulare, aperte loquẽdo, maximũq; præ se ferendo animum, atq; in illius se fidem permittendo liberaliter, fideliterq; ea prudentia res administrauit suas, uti Octauius regno eius, & urbes compluresque, maximeq; opportunas adiecerit & aliquot etiam finitimas regiones.

F ractis Romanorũ ad Cannas rebus, Cũ plebs Nolana ad Annibalẽ inclinaret, instigante maxime L. Bancio iuuene impigro, et acri, cuius multa in re militari præclara exstabant facinora. Cumq; Marco Marcello, qui urbi cum præsidio præerat, defectionis indicatio facta esset, & Bancius ipse aut dedendam è uestigio hosti urbem intellegeret, aut re male tentata, fugiendum ad Pœnum esse, hoc in discrimine tam ancipiti Marcellus consilium inijt, & duce, & senatore maxime prudenti dignum. Nam cum aut pœna cohibendus esset Bancius, aut beneficijs conciliatus in partes retrahendus Romanas, quod magis è re præsenti tum uideretur, benigne ab se uocatum allocutus Quantopere, inquit, Banci uirtuti tuæ uniuersa plebs inuideat, hinc tutemet iudicaueris, quod cum à te fortiter in militia, fideliterq; gesta permulta quidem sint, è popularibus tamen tuis nemo exstat, qui indicare mihi uoluerit, qui uir ipse esses. Atqui ne tu falsò arbitrere, obscurũ quicquã esse posse, aut ignobile, quod præclarum à quoquam in castris geratur Romanis, & qui calamitati Cannẽsi

è socijs superfuere, & fama ipsa, quæ nihil præter cætera egregie factum occultum patitur, testantur, in ea te strage non uictum cessisse, aut metu superatum, sed retinentẽ uirtute tua dignos animos, nõ ante à conserẽdis manibus desiisse, q̃ exsanguẽ te, confectumq; uulneribus, cadentium uirorum, atq; equorum ruina oppresserit, armaq;, ac tela semineceм obruerint. Macte igitur uirtute esto. An cuius eximiæ laudes in re militari exstant, non is suum apud Marcellum habebit locum, non apud populum Romanum gentium omnium gratissimum? Quin tu me de cætero frequens adito, mecum esto assiduus, non honos tibi apud me, non pretium defuturum. Atq; his dictis, quo aditus illi liber ad ipsum pateret, lictoribus coràm imperat, iubetq; statim eximium adduci equum, quo illum donauit, & numerari à quæstore præsentem pecuniam. Itaq; et laudibus, et muneribus iuuenem abunde cum onerasset, ex eo illius opera forti pariter, fideliq; usus est. In tanto igitur rerum discrimine summi uiri prudentia, sociam secum adhibuit & comitatem sermonis, & strenue actorum memoriam, ac gratitudinem. Quibus socijs uel ministris potius Marcellus rem Nolanam sic stabiliuit, ut labẽtes iam Romanas opes humeris suis & sustinuisse uisus fuerit, et belli molem docuisse in Annibalem, ac Pœnos posse aliquando uerti.

Sempronius Gracchus nauaturus egregiã aduersus Hãnonẽ, ac Bruttios, & Lucanos operam, cum legiones magna ex parte Volonum haberet, qui alterum iam annum libertatem tacite meruerant (referam autem Liuij ipsius uerba) pronuntiat, tempus uenisse libertatis, quã diu sperassent, potiũdæ, postero se die collatis cũ hoste signis dimicaturum, puro, ac patenti campo, ubi sine ullo metu insidiarum, uera uirtute geri res posset. Qui caput hostis retulisset, eum se extemplo liberũ iussurũ esse. Itaq; acri coorta pugna, quartam post horã, renuntiatur Graccho à tribunis militum nullã rem aliam magis impedire, quàm capita hostiũ pretia libertati facta. Nam ut quisq; hostem impigre occidisset, primum caput ægre inter turbam, tumultũq; abscindendo, tereret tempus, deinde occupata dextra, tenendo caput, fortissimus quisq; pugnator esse desisset, segnibus, ac timidis tradita pugna esset. Quo cognito Sempronius signum dari propere iussit, proijcerent capita, inuaderentq; hostem, nec dubiã libertatem futuram strenuis uiris. Itaq; redintegrata acriter utrinq; pugna, ducibus hinc, inde acerrime annitentibus, postremo pronũtiat, esse nihil, qui de libertate sperarent, nisi eo die fusi, fugatiq; hostes essent. Ea demum uox ita animos accendit renouato clamore, ut hostes haud dubie terga

uerterint. Cæſi igitur, fugatíq;, ac caſtris exſuti ſunt hoſtes ducis potiſſimum prudentia, primo dum libertati pretium, qua nihil ſeruo optabilius, caput hoſtis allatum proponit: Dein cum mutato è re conſilio proijciendа edicit capita, neq; dubiam libertatem futuram ſtrenuis uiris: Demum libertatis ſpem nullam prorſus futurã cum pronuntiat, niſi eo die fuſis, ac fugatis hoſtibus. Eſt igitur prudentis uiri pro re, ac tempore mutare conſilium, ac rei gerendæ rationem.

I ulius Cæſar in acie illa Pharſalica, quam è militum uiginti duobus millibus conſtituerat, cum uideret Pompeiũ id agere, quo dextrum cornu, ubi Cæſar ipſe decima cum legione uerſabatur, cætero ab exercitu intercluderet (abundabat enim equitatu Pompeius, duploq́; maioribus copijs) legionibus ex omnibus ſex eduxit cohortes, easq; poſt ſe occulto in loco conſtituit, ne proſpici ab hoſte poſſent. Quibus ita diſpoſitis milites cohortatur monetq;, ne aduerſus irruentes Pompeianos equites, conſueto pugnandi more uterẽtur. Eſſe enim illos adoleſcentes, bene cultos, radiantibus inſtructos armis, equisq; inſigniter ornatis, cæterum minime pugnaces, ac præliorum inexpertos, & infligendi, atq; accipiendi uulneris inſuetos. Illud uero maxime ab ijſdem timeri, ne ora fœdarentur cicatricibus, Quo'circa neq; confodiendis equis daturos eos operam, neq; figendis pectoribus, aut coxis equitum, ſed ora tãtum, oculosq́; illorum haſtis, lanceisq́; petituros, uibratibusq́; aſſiduis obtutum laceſſituros. Scirent igitur in hoc ſolum intentos ſeſe eſſe debere. Fore enim dum illi ora, formamq́; tuentur à uulneribus, dum oculorũ obtutus ea ratione intercipitur, facile ut repulſi in fugam uerterẽtur. Quod ut prædictũ fuerat à Cæſare, contingit. Eo nanq; pugnãdi genere inſolito, improuiſoq́; deterrito eq̃tatu, atq; in fugã uerſo, reliqua Pópeij acies facile profligata eſt, caſtraq́; haud multo poſt capta, direptaq́;. Conſiliũ ſane q̃ prudens, uſuq́; ab ipſo, atq; à multa præliandi cóſuetudine ſumma quoq; à conſyderatione profectum.

A nte Cæſarẽ hũc L. Lucullus cum Rege Tigrane conſerturus manum acies ipſæ inſtructæ, atq; ad dimicandũ paratæ cũ eſſent, ipſe cũ parte equitatus, ac duabus tãtum cohortibus tumulũ quendã pedes aſcẽdit, ac ſuperato tumulo contemplatus et hoſtiũ ordines, & loci ſitũ, exclamauit quanta maxima potuit uoce, Vicimus milites, uicimus, cóſpicatusq́; cataphractos equites, totius robur exercitus, ſub tumulũ collocatos, præcepit equitibus ſuis, uti in cataphractos maximis incurrerẽt animis, nihil aliud curaturi, præſtaturiq;, q̃ ut gladijs illorũ haſtas cóciderẽt, q̃bus cócisis, ac detrũcatis, fore, ut illi pugnæ inutiles omnino redderẽtur. Cóuerſus hinc ad milites alios. Nó pilis hodie, aut lan

ceis opus est, inquit, gladijs tantum res agenda. Itaq; strictis simul ensibus, suris, femoribusq; figendis tantum incumbendum est, qua parte cataphracti equites exarmati sunt, æreisq; tegmentis nudi. Quod cũ ab equitibus, peditibusq;, ut præceptum erat, seruaretur, cataphracti uix prima impressione sustentata, terga uertunt, quorum trepidatione reliquus quoq; exercitus in fugã coniectus est. Cæsis igitur supra centum millibus peditum, cataphractisq; admodum paucis incolumibus uictor Lucullus castris, ac præda omni potitus est, Tulitq; hanc prudentiæ laudem, ut diuersissimis artibus ipse cum parua manu duos potentissimos Reges Mithridatem, ac Tigranem, illum cunctando, hunc celeritate summa utendo, breui tamem utrunq; fregerit.

P ulsis è Græcia Persis, cum præter Athenienses, reliqui ferè omnes agrorum securitate parta, militiam detrectarent, seq; ad uitam quietam, remq; ad rusticam transferrent, ægerrime id Atheniẽsium duces ferebant, cum neq; maritimas, neq; terrestres ad copias, debitus militum numerus à socijs mitteretur. At qua prudentia erat Cimon, secus et sensit & prospexit, nã quicunq; pecuniam præstare, q̃ militiam se qui mallent militari eos ab honore, munere liberauit. Breui igitur arte hac effecit, ut Atheniensis populus efficeretur terra, mariq; bellicosissimus, atq; in re militari maxime expertus. Quas eni pecunias pro liberandis à militia socijs accepisset, ijs Athenienses ciues conducebat, conductosq; per ordines distribuebat. Breui igitur populum suũ bellacissimum reddidit, præstititq; ut arte et disciplina hac omnium Græciæ populorum principes Athenienses essent, fierentq; uectigales eos, qui paulo ante fuissent socij. Res profecto longius quidem prospecta, summoq; examinata consilio, quæq; Atheniẽsi rei publicæ utiliter cesserit maximaq; cum laude, ac dignitate.

A edificauerat Romæ ædes ea tempestate magnificas, editoq; in loco Publius ille Valerius, cui post à publica, ac popularis boni studio, indẽ tum cognomen est Publicola. Is ex ædibus cũ descenderet in forũ, atq; in curiam Valerius, ut et consulum, et primorum urbis uirorum mos erat, magno patrum, ac populi comitatu honoris gratia deducebatur. Quæ res uisentibus regiæ pompæ similitudinem præ se ferebat. Itaq; cum ob hoc ipsum, quodq; collegam minime suffecisset, in suspicionem uenisset affectati regni, clamq; à quibusdam etiam maledictis discerperetur, rei eius ab amicis admonitus, consilium è uestigio cepit diruendæ domus, quæ magna è parte causam suspicioni uidebatur afferre. Nocte igitur non exigua manu fabrorum, operario

rumq́; conducta, domum omnem a fundamentis dirui tanta festinatione iussit, ut albescente iam die, ædificium uniuersum æquatum solo iaceret. Hac itaq; e demolitione, non suspicionem modo aboleuit omnem, uerum in populo, patribusq́; summam uitæ, integritatisq́; sibi admirationem peperit, maxima etiam cum gratia ac beneuolentia, ex eoq; maior in dies est habitus.

D ion Syracusanus consilium cum cœpisset liberandæ patriæ ab impotente Dionysii dominatu, Athenis ubi exsulabat digressus Zacynthum uenit. Ibi autem conuocatis militibus, patefacto consilio suo, animaduertit illos, qui erant circiter octingenti, ac præcipue præfectos ferme omnes, improbare inceptum, neq; enim tã exiguis inuadendũ copijs maximũ atq; opulentissimũ Regem. Siquidẽ Dionysii opũ magnitudinisq́; ingens inter Græcos per id temporis fama erat, atq; opinio. Quod animaduertens Dion cohortatus eos, iussit bono animo esse, atq; ut peractis die dicta sacris in stadio adessent, secũ in Apollinis honorem discubituri. Itaq; præparatis lautissimis epulis, magnam ex auro, argentoq́; poculorũ, ac paterarũ uim, uasculorũ item diuersi generis, artificijq́; in abacis apponẽdã, ac mẽsis curat. Quo circa admirati conuiuæ auri magnitudinẽ, atq; argenti, reputantesq́; animo Dionem, neq; fortuito, neq; ob desperationẽ tantas diuitias obiectare casibus, neque etiam iuueniliter, cum ætate esset iam prouectior, atque eius grauitas admirationi esset Græciæ uniuersæ, omni terrore discusso maiora etiam animo conceperunt, coniectantes ex ijs, apparatas esse illi in Sicilia res, paratissimos etiam Siculorum animos, copiasq́; aduenienti instructas, atq; armatas in continẽti statim affuturas. Igitur e timore, ac terrore maximam in spem conuersi, promptissimus, ac spei plenis animis naues ascenderunt. Atq; hac quidem arte confirmandis militibus usus est Dion, Et qui frugalitatem præ se ubiq; atq; in omni uita tulit, ijs in epulis luxum adhibuit, diuitiarumq́; ostentationem.

P etrus Summontius & apprime doctus uir, et honesto ciue dignis artibus summe excultus, dubitare est solitus, an raptus ille Hetruscarum, ac Sabinarum uirginum, initumq́; ea de re consilium sit prudentiæ dandum Romulo. Quæ enim moderatio eius est atq; integritas, iudicat facinus illud nõ dolosum modo, uerũ etiã turpitudinis, ac pfidiæ plenũ, propter uiolata hospitij iura, idq́; nõ temere qdem iudicat. Cæterũ ubi in mentẽ uenit, Romulũ missis p Hetruriã, Sabinãq; legationibus, omni prius studio dedisse operã, quo finitimos sibi popu-

los et matrimoniorũ iure deuinaret, et urbis suæ, populariũq; propagationi unà consuleret. Illos uero utranq; rem inimicæ, inuidenterq; negasse, quod ægre ferrent nouam urbem in caput ipsorum crescere, eaq; ratione conarentur procreandis liberis ire obuiam, si artem arte lusit Romulus, non iniuria quidem uidetur excusandus. Itaq; ludos se uouisse Neptuno cum simulasset, ad eos publice celebrandos uicinas inuitauit urbes, spectaculo publice indicto. Igitur plurimi eò cũ mortales concurrissent, cum uxoribus, ac nubilibus puellis, ubi tempus uisum est, dato signo iussit Romulus, ab ijs, quibus demandatum id fuerat, uirgines rapi, quas post coniuncta sibi Hersilia, inter populares distribuit, celebratis solenni more nuptijs. Nam & ante nuptiarum diem honestissime eas habendas curauit, & ipse blande appellando, dum uim excusat, ac prolis cupiditatem in causam uocat, prætexitq; honestum culpæ titulum, solari eas omni arte conatus est. Itaq; cum hæc fuerint Romani imperij principia, maxime omnium quæ unquam fuere, eiusmodi consilium quis accuset? Cum præsertim Romulus de re uxoria prius cum finitimis amicissime egerit, & urbi suæ ut consuleret necessario cogeretur, aliaq; uia, aut ratio nulla esset reliqua. Quàm uero prudenter ab illo excogitatum sit & actũ, exitus ipse, ac tanti magnitudo imperij declarauit.

Conserta cum Veientibus, ac Fidenatibus, ab Hostilio Romanorũ Rege pugna, in ipso pugnandi ardore nuntiatur ei, Albanorum præsidia, quibus Metius præesset Suffetius, montem capere, nudata ab eo latere Romana acie, Quod eo consilio faciebat Metius, ut Fidenatibus sese, inclinante Romano adiungeret. Hoc cognito Rex nec animo, nec consilio destitutus, quãuis in maximum discrimen adductã rem cerneret, uultu quammaxime confirmato, uocem ita extulit, ut ab Fidenate audiretur, suo iussu Albanum, cepisse montem, quo aduersarios adoriretur à tergo. Quibus auditis Romani eo quidem audentius in hostem irrumpunt. Aduersarij uero destituti spe quod putarent se à Metio deceptos, consternatissimis animis dedere terga, atq; in fugam uersi, ingentem eo die cladem accepere. Itaq; uox illa prudentissimo consilio, animoq; uel maxime confirmato, inter acies iactata uictoriam Romano peperit, Post quam & Metium quadrigis illigatum discerpendum equis Rex permisit, & Alba diruta populum Albanum omnem, migrare Romam confestim coëgit.

Fabij Ambusti prudens factum minime prætereundũ uidetur, Is eni Anxur cum oppugnaret, ab infima parte, qua in paludes prona est,

Seruilium Ahalam quatuor cum cohortibus circummisit, qui parte à superiore, mœnia ex improuiso inuaderet. Igitur intra muros irruptum cum esset, diuq; anceps in urbe prælium (nulla nanq; cedendi spe relicta, cogebantur oppidani pugnam ob desperationem ipsam eo acrius inire) hoc cognito Fabius pronuntiari iussit, atq; edici, neqs ex hostibus præter armatos uiolaretur. Quo edicto proiectis statim armis, & cædes desijt, & urbs in potestatem Fabij redacta. Quid ultra? Iussit ab urbis direptione cessari, donec collegæ Valerius et Cornelius, qui interim Volscos distinuerant, cum exercitibus suis aduenissent. Iudicabat enim ab illis quoq; captum oppidum, quod Volscos interea à præsidijs auertissent, direptionisq; participes iure quoq; esse debere. Itaq;, ut Liuius inquit, ea primum benignitas imperatorũ plebem patribus conciliauit. Prudens hoc Fabij consilium omniq; è parte consyderatum, tum foris animos popularium mirum in modũ deuinxit, tum domi turbationes, plebisq; tumultuantis animos composuit, mirificeq; patribus, ac nobilitati conciliauit.

S enatus Thusculanus cum intellexisset bellum aduersum se à Populo Romano indictum, ac duce Camillo aduẽtare exercitum, clàm, matureq; inito consilio, id decreuit, edixitq;, nequis intrantibus Thusculanos fines Romanis, ex agris demigraret, finitimisq; exercitus itineri locis, ne'ue agrorum operæ intermitterentur. Quin patentibus portis urbis, & ciues obuiam togati, frequentesq; processere imperatori, & positis à Camillo ante urbem castris, commeatus in castra comiter ex urbe, agrisq; deuectus. Miratus id Camillus, ac fictum suspicans, urbem ingredi uoluit, cumq; comperisset quieta, ac tranquilla omnia, opifices intentos quenq; operi suo, ludos quoq; literarũ strepere discentium uocibus, denum ita omnia intra urbem geri, ut belli fama uideri eò perlata uix posset, uictus hac hostium patientia, ut Liuius ait, uocato ad se Thusculano senatu, Soli adhuc, inquit, Thusculani ciues, uera arma, uerasq; uires, quibus ab ira Romanorum uestra tutaremini, inuenistis. Ite Romã ad Senatum, apud quẽ è uestigio profecti ita uerba fecere, ut pacem non modo facile impetrarent, uerum haud multos post dies etiam ciuitatem. Itaq; aduersus Romanorum indignationem, ac potentiam, pro re præsenti, neq; sanius consilium, neq; prudentius excogitari potuisset ullum, nam & impetum, iramq; facile à se auertere, & non inuenere solum pacem, ac ueniam, uerum prudentis etiam facti meritum, cum ciuitate donarentur.

Ambigam constantiore'ne animo, an prudentiori consilio à Sp. Posthumo, post Caudinam illam pacem, qua ab ipso COS. exercituq; Romano itum est sub iugum, prospectum infamiæ suæ fuerit, atq; ignominiæ omnium maxime, quam Romani consules, aut duces ad ea tempora subiissent. Is enim à Publio Philone uocatus in senatum ad dicendum, ita quidem locutus est, primum ut diceret, non teneri populum Romanum sponsione sua, quando iniussu eius facta esset, neq; ex ea sponsione, præter suum, ac collegæ corpus deberi quicquã. Deinde censuit sese dedendos esse, nudos, uinctosq; per feciales Sãnitibus, ut ea ratione populum Romanum exoluerent, siqua illum obligassent, nequid diuini obstaret, humani'ue, quo minus iuste, pieq; aduersum Sãnites de integro bellũ iniretur. Quo'circa consules exercitum scriberent, pararentq;, quæ bello essent necessaria, non prius tamen hostium fines Romanus ingrederetur exercitus, quàm quæ de dendis ipsis præstari, iusq;, fasq; esset, perfecta essent cuncta. Quibus in hanc sententiã dictis, hæc, ut Liuius refert, subdidit. Vos dij immortales precor, quæso, si uobis non fuit cordi, Sp. Posthumium, & T. Veturium. COSS. cum Sãnitibus prosperebellũ gerere, At uos satis habeatis, uidisse nos sub iugum missos, uidisse sponsioni infami obligatos, uidere nudos, uinctosq; hostibus deditos, omnem iram uestram, nostris capitibus excipientis, nouos consules, legionesq; Romanas, ita cum Sãnite gerere bellum uelitis, uti omnia ante nos consules gesta sunt. Qua igitur fortitudine animi hæc dixerit, qua etiam prudentia ad abluendam infamiam, ipse idem testis est Liuius, qui dicat tantam admirationem, miserationemq; incessisse omnes, hæc ubi Posthumius dixit, ut modo non crederent illum eundem esse Spurium Posthumium, qui author tam fœdæ pacis fuisset, modo miserarentur, quod uir talis etiam præcipuum apud hostes supplicium passurus esset ob iram diremptæ pacis. Quinetiam post hæc dicta, cum tribuni plebis tentarent intercedere, ita quidem disseruit, ut ostenderet, nihil populo Romano, nihil ipsis tribunis esse cum Sãnitibus, cum quibus nihil ab ijs esset actum, neq; cum ipso Posthumio, ac Veturio, quibus nihil ab iisdem esset mandatum, uerum ipsos qui spopondissent, Sãnitibus sponsores esse solos, ob idq;, quod præstare ipsi possent, sua corpora, suas animas præstare Sãnitibus, in quæ sæuirent, ferrumq; atq; iram acuerent. Conuersusq; ad collegam, Nos, inquit, Tite Veturi, uosq; cæteri, uilia hæc capita luendæ sponsioni offeramus, & nostro supplicio liberemus Romana arma, Hisq; in hanc sententiam fortissime dictis, abdicato magistratu, uterq; traditi sunt fecialibus,

Caudium ducendi. Igitur ad locum ducti, ubi & detrahendæ uestes erant, & manus uinciendæ nudis, cum apparitor, uerecundia maiestatis tanti uiri, laxius deuinxisset, tum Posthumus, Quin tu, inqt, lorum adduce, iustáq; fiat deditio. Nec uero prætereundũ censeo, quod summa etiam admiratione dignum est. Cum peruẽtum ad tribunal esset, ubi Pontius præsidebat Sãnitium dux, dixissetq; fecialis, Hosce homines uobis dedo, quo populus Romanus scelere impio sit solutus, ibi Posthumus, quod ob deditionem factus esset iã Sãnis, fecialis femur quanta maxima ui potuit perculit sublato genu, quando manibus uinctus erat, clara obtestans uoce, Sãnitem se ciuem esse, illum uero legatum fecialem, à se contra ius gentium uiolatum, idq; eo consilio, quod iudicaret aduersum Sãnites, populum Romanum, iustius bellum esse gesturum, feciale contra ius gentium ab ciue Sãnite uiolato. Admirabuntur alij fortitudinem, quæ in hoc miserabili casu nimirum fuit summe admirabilis, ego uero uel prudentiam magis, qua una omni è parte infamiæ occurrit, atq; ignominiæ, non apud Romanos modo, uerum apud quascunq; gentes, ad quas rerũ Romanarum fama esset penetratura. Nam persuasum cum haberet, qua magnitudine animi senatus esset, populusq; Romanus, se dedendum hosti, ante quàm ea de re in senatu disputatum esset, ipsemet qui primus ut diceret rogatus est, seq;, atq; collegam et alios quosdam dedendos censuit. Et cum tribunis obstitit intercedentibus, senatumq; in suam traxisset sententiam, de reo seipsum fecit actorem, Et quamuis ubiq; reũ se confiteretur, ubiq; tamen perinde, ut actor causam egit, atq; in causa publica ex priuato se, ac reo iudicem statuit. Qua è re cum constantiæ, fortitudinisq; suæ ducem haberet prudentiam, ac fortitudinem prudentiæ parentem, quod ad Pontium, Sãnitesq; attinet, id effecit, uti confestim post deditionem, conuersus ad lictorem Pontius, diceret, I lictor, deme uincula Romanis, moratus sit nemo, qui minus ubi uisum fuerit, abeant, itaq; in castra inuiolati redierunt. Quod uero ad populum Romanum, ne fides dictis meis abrogetur, ponã Liuij uerba. Hoc senatusconsulto facto lux quædam ciuitati affulsisse uisa est. Posthumus in ore omnium erat. Eum laudibus ad cœlum ferebant. Deuotioni Publij Decij, COS. alijsq; facinoribus æquabant. Emersisse ciuitatem obnoxiã paci illius consilio & opera, ipsum se cruciatibus & hostium iræ offerre, piaculaq; pro populo Romano dare, ut arma ex eo cuncti spectarent & bellum, nunquamq; futurum sperarent, ut congredi cum Sãnite liceret.

Versabatur res Romana maximo in discrimine, cogentibus quãtas ma ximas possent copias Sannitibus, ad Aquiloniã urbem, Ibiq; pagen dis sacris quasi initiatis militibus, iureiurando adactis, diro etiã car mine composito in exsecrationem, non proprij modo capitis, uerum familiæ, stirpis'q; non recusandi imperatoris imperij, non fugiendi ex acie, quin occidendi, siquem quis ex acie fugientem uidisset. Atq; illud quidem militare robur Samnij totius fuit, utq; proditum est à scriptoribus, ad quadraginta millia lectissimorum militum. Has ad uersum copias, Romanorum duces erant Spurius Caruilius, & Lu cius Papyrius cursor. Itaq; partiti copias, eodem tempore Caruilius Comnium Samnij urbem oppugnabat, Papyrius sese ad pugnam instruebat, aduersus exercitum, qui ad Aquiloniam consedisset. Cũ igitur pugnæ tempus aduenisset, Papyrius collegam per epistolam ro= gat, aberat enim uiginti passuum millibus, nequid otij, quietis'q;, re- linquat obsessis, quo Sãnites, partem eò copiarum è castris mitterent. Die itaq; pugnæ, cum Pullarius auspicium mentitus esset, & ipse si- gnum proposuisset, ac paulo post comperisset mendacium, iussit Pulla rium inter prima signa constitui inquiens. Mihi quidem milites tri pudium nuntiatum est, egregiũ & mihi duci, & militibus uobis au spicium. Cæterum auspicio qui affuisset, siquid falsi nuntiauit, in ca= put illum suum religionem concepisse. Cumq; ad primum congres- sum Pullarius, pilo ictus occubuisset, Bene habet, inquit, adsunt dij præliantibus nobis. dedit pœnam noxium caput. Cumq; ante ini= tam pugnam iussisset Spurium Nautium ad hostium terga occultis itineribus cum iumentis, ac mulis castrensibus, insidentibus ijs mili- tibus in medio ardore pugnæ quantum maximum posset puluerem excitare, Nautius'q; in tempore & affuisset à tergo hostium, & pul uerem excitasset, mulis ipsis trahentibus frondentis ad caudam ra- mos, qui puluerem exagitarent multo maximum, hoc uiso Papyri- us sublata uoce, ut hostes quoq; exaudirent, Captum est, inquit, Co- minium. Collega aduentat Caruilius, An passuri estis milites gloriã pugnæ huius apud collegæ exercitum fore? Quo dicto ut hostium consternauit animos, sic adauxit suis, incendit'q; gloriæ cupiditate. Confestim'q; ascenso equo signum dedit equitibus, uti in aciem infer rent se hostium, quacunq; ipsum erectam quatientem cuspidem ui- dissent. Atq; haud multo post artibus his hostium exercitus, cæsus'q;, & in fugam uersus est. Reuersus autem ipse ab ijs insequẽdis, cum præter opinionem uideret, Romanos aliquot milites Aquiloniæ mu ros iam ascendisse, Quando inquit, paucorum temerarijs ausis, ma-

gna nobis oblata est occasio, utamur ea, Et quanquam fessis militibus signa in urbem inferri iussit, cumq; ea nocte magno cum silentio Sannites portis egressi fuga salutem peterent, ipse oppido potitus est, maneq; fugientes acerrime insectatus, Ex eoq; debellatus est Sānis, non tam militum, ac præfectorum uirtute, quàm ducis ipsius prudentia, atq; consilijs, ut nequaquam tantum ualuerint apud hostem initiationes, ac sacra, quantum apud Romanos Papyrij unius consilium, atq; prudentia.

Magnus ille Antiochus cum immineret Romanis, traxissetq; in amicitiam Ptolemæum Philopatrum Aegypti Regem, tradita ei in matrimonium Cleopatra filia, eadem etiam ratione Ariataten Cappadociæ Regem collocata ei altera filia Antiochia, tertiam Eumeni obtulit Pergameno, quo eodem quoq; affinitatis genere illum sibi adiungeret, haberetq; aduersum Romanos firmiorem. At Eumenes Romanorum uires, bellicaq; eorum instituta, & artes consyderans, decreuit, nulla ratione Antiochi partes sequi. Mirantibus autem id Attalo, & Philetæro fratribus, nec satis eius consilium probantibus, qđ maximi omnium ea tempestate regis, & quidem rogantis recusaret filiam. Atqui, inquit Eumenes futurum est inter Antiochum, & Romanos bellum atrox quidem, & quanquam procul ab Italia, tamen, quod ratio ipsa & Romani populi natura monstrat, in initio pares euentus propter Antiochi opes, atq; potentiam, communemq; fortunam habiturum, cæterum progrediente tempore, uictoriam omnino penes Romanos futuram, & propter magnitudinem, ac firmitatem imperij, reiq; militaris disciplinam, & propter tolerantiam laborum, & summam animorum pertinaciam. Quod haud multo post successit, superato Antiocho, intraq; montem Taurum redacto. Eumenes igitur, quo erat rerum usu, ac tum futurorum prospiciētia, tum præsentium perpensione, uictoris Romani iram euasit, ac uim, paternumq; sibi regnum & stabiliuit, & auxit, rem Romanam secutus.

Præbuit Seleucus, qui Alexandro mortuo Syriæ præfuit, lateq; plurimis imperauit populis, rarissimum paternæ charitatis in liberos exemplum. Is ex Apamea uxore filium susceperat Antiochum. Ea mortua Stratonicen duxit, Cuius amore captus cum esset Antiochus, tacitus, mœrensq; hinc pudore, illinc amoris conficiebatur impotentia. Qua è re letalem contraxit morbum, qui eo erat periculosior, quod eiusmodi affectus, medicis erat incompertus. Erasistratus igitur inter omnes, qui ægroto astabant & primus, & solertissimus

medicus cum adolescentis corpus syncerũ uideret, nullis'q; illud ma lignis uexari humoribus, ægritudinis causam ad ægroti animum re ferre secum cœpit, decreuit igitur assidere Antiocho, & ad salutatio nem, ingressum'q; singulorum intra cubiculum illius notare commo tiunculas. Permultis igitur diuersi generis quotidie eum inuisenti-bus, cum in illorum siue aditu, siue abitu non oris, non uenæ spiri-talis, signum aliquod commotionis appareret, sed iaceret Antiochus mœstus, languescens'q;, ac semitorpidus, nec tamen ipse ab incœpto de sisteret, continua'q; animaduersione, deprehendit tandem, & dum cu biculum ingrederetur, & dum languenti assisteret Stratonice, intin gi rubore Antiocho faciem, uenam'q; subsilire, ac corpus ipsum uigo rem resumere, confestim'q; abeunte illa labascere, spiritum'q; ipsum con cidere. Id'q; cum non semel animaduertisset, ut erat naturæ sciens Erasistratus, sensit hinc amorem morbi esse causam, illinc pudorem, ac paterni tori reuerentiam, atq; infamiæ metum, hanc'q; inter con=tentionem, affectuum'q; concursationem, tacitum illum, languẽtem'q; tabescere, atq; occulta cura confici, pudore, metu, amore, desperatiõe'q; obluctantibus. Huius igitur rei tam occultæ, & raræ deprehensio, quanta in Erasistrato inesset ingenij uis, quàm magna etiam mentis, intellegentiæ'q; eius siue prudentia, siue sagacitas, aut perspiciẽtia, ra rissima quadam cum admiratione omnium declarauit. Sed inuenta morbi causa, longe maior prudentia eius exstitit, comparandis, atque adhibendis remedijs adeo difficilibus, cum ea, quæ amaretur patris, & amantissimi quidem patris esset uxor. Itaq; multa secum animo cum agitasset, tandem his Seleucum est aggressus. Cõpertam habeo Rex morbi causam, amorem scilicet muliebrem. Verum quã deamat filius ea est, ut desperãdum sit illi, posse ea potiri. Ad ea rex, Dij, in quit, boni, quæ'nam hæc est mulier quam si minus donis, at certe coniugio, & parte regni etiam potissima in dotem tradita, traducere ad uoluntatem filij, & eius quidem unici nequeamus? quando nihil est, quod non libentissime, pro eius sim salute præstiturus. His auditis Erasistratus, regem cum uidisset maxime incensum. Atqui, inquit, o' Rex, ne diutius frustrere, mea est uxor, filius quam deperit tuus, ad=didit'q; & uerbis uultum q̃ aspernacissimum. Tum Antiochus pre-cabundus, O' amicissime Erasistrate, medicæ'q; facultatis cum primis experiens, quando ad eximiam rerum cognitionem summam etiam bonitatem adiunxisti, non'ne uno tempore, & patris senis miserebe re, & unicum filium tali ingenio præditum, tanti'q; imperij successo-rem arte tua, tuo item beneficio, munere'q; in uitam restitues, an pas

ſurus es per ſummam etiam iniuſtitiam tabeſcentem illum conficí, eiusq́; rei deſyderio, quæ in manu tua eſt, miſerabiliter expirare, et emori? Ad hæc aliaq́;, tum precum, tum pollicitationum plena perinde, ac indignaretur Eraſiſtratus, uim ſibi regem afferre uelle, uidelicet o' Seleuce tuam tu ſi eam filius amaret uxorem, eſſes illi traditurus? Ad ea benigno uultu Rex, Et uxorem, inquit & regnum. Sed tu iniuſtior, qui cum & morbum deprehenderis, & morbi cauſam, ſitq́; penes te unum remedium, tamen & patrem una, & filium, eadem opera uelis perdere, peruetus noſter cum ſis et amicus, & medicus. Tum rurſus Eraſiſtratus, Ne tu rex maxime, qui me iniuſtiorem uocites, iureiurando affirmaueris tuam te uxorem quãuis & unico, & cariſſimo nato traditurum, ſi ob eius amorem is iaceret, ut quidem de meæ iacet, quod uides, quam grauiſſime. Hic rex cũ & per regiam fidem, & per deos immortaleis iuraſſet pro Antiochi ſalute, quem unicum haberet, eundemq́; continentiſſimum pariter, ac maxime prudentem cognoſceret, animo quamlibentiſſimo, uxorem ſe illi ſuam eſſe conceſſurum, facturumq́; longe etiam maiora ſalutis illius ergo. Tum Eraſiſtratus, regem cum cerneret nihil ſimulanter loqui, uerum ex animi ſententia, compoſito admodum ſermone, & qua opus erat adhibita prudentia, rem omnem patri ſic aperuit, ut hoc cognito Seleucus lætatus fuerit mirificum in modũ; quodq́; reliquum in authoritate ſua intellegeret collocatum, operam primo adhibuit, uti filio, uxoriq́; à uiris grauiſſimus, maximæq́; authoritatis connubium perſuaderetur. Quo ab utroq; impetrato, conuocatis, undiq; amicis, dynaſtisq́;, ac ducibus exercatus, orationem huiuſmodi ad illos habuit, Senem eſſe ſe, ſuamq; ætatem indigere nepotum præſidijs, minime uero paſſurum, tantum ſe imperium ſua præſertim unius culpa Macedonum è iuriſditione ad alias manus, ditionemq́; prolabi. Hisq́;, atq; alijs in eam ſententiam explicatis, de nuptijs filij, & parte regni ei permittenda quid decreuiſſet aperuit, ſummaq́; cum lætitia, & amicorum, atq; exercitus uoluptate nuptias illorum celebrauit. Hoc igitur Eraſiſtrati factum eiuſmodi quidẽ fuit, ut non ad humanam modo prudentiam, uerum ad diuinam quandam potius ſapientiam referendum uideatur.

D euicto, ac recuperato Latio, eiusq́; receptis urbibus à L. Furio Camillo, & C. Menenio COSS. Senatus populusq́; Romanus, Camilli de ſumma rerum relatione laudata, decreuit, rebus ijs pro meritis populi cuiuſq; conſulere. Cenſuerat enim Camillus, quoniam uirtute exercitus, conſulumq́; ipſorum opera, dijs bene iuuantibus, in manu

ſenatus, ac

senatus, ac populi esset uellet'ne esse Latium, aut de cætero nullum omnino esse, pacem'q; sibi, quo ad Latinos attineret, parare in ꝑpetuũ, aut sæuiẽdo, aut ignoscẽdo posset, uel pœna, uel bñficio à senatu præoccupandum, maturéq; quodcũq; placuisset, statuendũ esse, minimé'q; tot populos inter spem, metumq; suspensos animi diutius habẽdos. Habita igitur præcipua cum maturitate populi cuiusq; Latini ratione, nominatim de singulis, de'q; Camilli sententia decreuit. Nã Lauinos ciuitate donauit, sacris etiam redditis, Aricinos quoq;, ad hæc Nomẽtanos, Pedanos'q; eodẽ quoq; iure in ciuitatem accepit, qđ etiã ius, q̃ Thusculani antea quidem habuissent, iisdem confirmauit. At Tiburtes, Prænestini'q; agro mulctati sunt. Cæteris uero Latij populis cõnubia inter se adẽpta. Quo autem remotiores qui essent populi, beneficijs eos sibi obnoxios faceret Campanos equites, quod cum Latinis minime ad rebellandũ, consensissent, Fundanos item, Formianos'q;, quod suos per fines Romanis exercitibus iter pacatum dedissent, ac tutum, etiam ciuitate donauit, pariter'q; & Cumanos, & Suessanos. Quo quidem consilio, quibus'q; decretis, rei publicæ prospectum est securitati summa cum prudentia, ac maturitate, habita tũ urbiũ, ac meritorum cuiusq; ratione, tum etiam illorum temporum.

Quintus Fabius dictator in obsidione illa Satricana, cum ipse iam obsideretur hinc ab oppidanis, illinc ab Samnitibus, qui auxilio Satricanis uenerant, cum'q; cognouisset ab Roma C. Fabium magistrum equitum aduentare cum præsidijs, monuit illum uti secreto aliquo, abdito'q; in loco delitesceret, donec ab ipso signum accepisset. Quo cũ magistro equitum constituto, cælauit de aduẽtu illius milites quo spem in se ipsis modo collocatam scirent, ratus illorũ animos, quos forteis esset exꝑtus, efficacius proposita necessitate incendẽdos. Itaq; pugnæ signum cum dedisset, sic allocutus est milites, ut diceret sola in eruptione spem esse, uiã ferro patefaciendam, ad commeatum comportandum nullum omnino aditum, cum circa omnia defecissent, Ne'ue illos frustraretur, castra ipsa esse relinquenda, atq; ab se mandatũ, uti primum cum agmen uallo excessisset, ignis inijceretur, iacturam rerũ, quæ incendio concremarentur, hostium è præda resarciendam, Atq; his dictis, & milites uallum egredi confestim iussit, & in hostem desperatione magis, quàm ira concitos ferri, et ab altera castrorum parte ignem inijci. Quod quidem signum ignorante milite cum magistro equitum conuenerat, qui in insidijs post hostẽ delitescebat. Hac itaq; ratione hinc milite ob desperationem acerrime in Samnitem illato, illinc magistro equitum repentino adortu inuecto, uehemen-

tiusq́; premente à tergo, hostis in medio cæsus est, Romanusq́; non solum obsidione liberatus, uerum etiam uictor castris Samnitum potitus est, Prudentia ducis arte sua uictoriã apparante. Diuerso idẽ consilio usus est post traductum ab se trans Ciminiã syluam exercitum, cum Hetrusci coniũctis unà finitimus se cum Vmbris, maxime in gentibus copijs in eius castra illati essent, quo tempore & res Hetruscorum eleuare admodum annisus est, imbelleq́; eum hostem ostendere, & suos ipse non modo est cohortatus, uerum etiam ijs uerbis usus, quibus spem milites conciperent proditionis inter hostes occultæ. Curarent igitur corpora, darentq; se quieti, dum pugnæ tempus affore, quod ideo fingebat, quo illorum animos, hostium multitudine deterritos corfirmaret spe, excitaretq́; ad uictoriã, quæ confestim secuta est. Nam paulo ante lucem, somno grauatis hostibus, negligentiusq́; circa agentibus, prorupto dolabris non una è parte castrorum suorum uallo, emissisq́; uno impetu copijs omnibus, semisomnes suisq; in cubilibus cæcīdit, fugientesq́; non modo insecutus est, uerum castris hostium potitus. Itaq; arte hac quanquam diuersa, eo die ad sexaginta millia hostium cæsa sunt, aut capta. Quanta itaq; uis sit prudentiæ, nullum non uitæ genus ostendit, ut nisi ea ipsa aut dux pro tempore affuerit, aut comes, fortitudo utiq; temeritas quædã futura sit, cum ex aduerso quæ per se temeritas quidem esset, eam nõnunquã uertat in fortitudinem.

Superatis bis uno anno cõserta manu Sãnitibus, militeq́; Romano Capuæ locisq; finitimis in hybernis collocato, quod Campanæ deliciæ militum animos emollissent, ubertasq́; cum primis soli, atq; agrorum amœnitas, initum est clàm ab illis consilium adimendæ cultoribus ipsis Capuæ. Quæ res magno cum agitaretur militum consensu, et studio, perlata à tribunis est ad Q. Seruilium quartum tunc consulem. Is uti erat ætate & rerum usu doctus, quod intellegeret quanto res in discrimine uersaretur, diuersa cum agitaret animo, metireturq́; grauitatem periculi, iudicauit arte tandem occurrẽdum esse. Itaq; clàm summisit, qui per hyberna rumorem, ut Liuius inquit, dissiparent, ijsdem in oppidis insequenti anno hybernandũ esse, Idq́; eo faciebat consilio, quo illi patrandi incœpti spem differrent, dum in manu sua positum esse intellegunt, quandocunq; exsequi illud uellent, hacq́; ratione aliquandiu militare frustratus est consilium. Post uero eductis eadẽ arte ex hybernis militibus, i æstiuis eos collocat aliamq́; ingressus uiã, è principibus coniurationis, sensim nũc hũc in patriã remittebat. quod emerito esset stipẽdio, aut parũ integris uiri

bus, nunc illum, quod diutius abfuisset domo, alium sub speciem pro curandi commeatus, modo singulos, modo plures ablegabat è castris, nunc alios, atq; alios, quēq; tamen sub honestam causam, commonefaciebatq; qui Romæ erant magistratus, ut quos Romam missos scirent, moras nectendo ludificarent. Itaq; arte hac, industriaq; perversis militum consilijs ijt obviam, rebusq; Campanorum occultissime pariter, tutissimeq; consuluit, nec minus senatus integritati, consulariq; dignitati, ac suæ.

Gorellus Orilia, cuius familia Neapoli non mediocriter Ladislao sub Rege floruit, quæq; nunc penè extincta est, cum Ladislaus victus, fugatusq; ab hoste, ex agro Casinate Neapolim confugisset, ibiq; de comparanda pecunia, ad restituendum exercitum solicitus esset admodum, decerneretq; suadentibus quibusdam, magis partium studiosis, q̄ sapientibus uiris, noua quædam, inusitataq; tributa parētibus populis imponere, ea re cognita Gorellus, quanquā senex, ac pedibus laborans, Regem adijt, & qua erat comitate, atq; prudentia, quàm inquit uereor ó Rex, ne dū hostiū īpedire conatus, ac repellere uim studes, id ipse agas, ut tuos in te populos popularesq;, noua ob tributa iratos excites, prouocesq; in odium, ac maleuolentiam. Quid obsecro, q̄ tibi male uolunt, quiq; aduersariorum rebus fauent, quid inquā aut magis cupiant, aut uehemētius optent, q̄ id consilij ut ineas, quod auertere à fidelitate, atq; in te beneuolentia, et studijs quamfacillime populares tuos queat? Atqui hæc quidem & una, et certissima est ad id ipsum uia, quā ut ineas, qui rebus tuis male consultum uolunt, sub beneuolētiæ speciem suadere tutò habeant. Quocirca consilia hæc, ut parum utilia, ut minime salubria, atq; ab hostibus tuis magnopere exspectata, ex animo tuo prorsus eijce, quodq; summa tibi centū milliū opus est, eaq; præsenti, nobis familiaribus tuis, atq; administris, quorū una futura est tecum fortuna, cogēdā iter nos, atq; enumerādā statue. Atq; his dictis, assumpto confestim calamo, paucos quosdam Regis ex administris designauit, quanta cuiq;, sibiq; in primis ipsi pecunia irroganda esset notata, eaq; è uestigio psoluta est. Prudentissimū sanè pro re, ac tēpore, et datū à Gorello et acceptū à Rege consiliū est. Quo effectum est, ut ex hac subsidiaria paucorū, eorūq; fidelissimorū hominū cōtributione, puersis hostiū obuiā iretur consilijs, Regisq; necessitudini, & populariū consuleretur beneuolentiæ, ac quieti.

Titus Quintius Flaminius repulso ad Hapsum fluuiū Macedoniæ Rege Philippo, cum uideret illum in Thessaliam properare, atq; incensis regionis oppidis, quæ infirmiora uidebantur, eius iussu incolas

intra montium aſpera ſe conferre, quæq; ſecum parum illi aſporta-re poſſent, ea Macedonibus à militibus diripi, Iuſſit militem Romanum, perinde, ac per pacata loca iter facere, ac tanquam Romanæ ditioni à Philippo permiſſa eſſent, ab omni prorſus direptione, uiolẽtiáq; abſtinere, nihilq; hoſtilem in modum agi, quin amice, perhumaniterq; adminiſtrari ab ſuis oĩa. Qua è re humanitas cum perſpecta eſſet Quintij, animusq; longe ab ſuperbia, auaritiáq; alienus, id effectum eſt, ut cum primum in Theſſaliam cum exercitu perueniſſet, certatim urbes ad ſeſe dedendas ſponte oratores mitterent, breuiq; Græci ut ipſi palàm dicerent, Romanos non aduerſum Græcos, uerum pro Græciæ libertate aduerſus ſuperbum Macedonum dominatum bellũ gerere. Quod re ipſa paulo poſt experti ſunt, cum Iſthmicis in ſpectaculis, quibus celebrandis omnis fermè Græcia conuenerat, pace parta ſuperatóq; publicæ libertatis hoſte, Titus ipſe Quintius publico edicto per præconem declarauit Græciæ populos, Senatu populóq; Romano, ſéq; ipſo conſule id ſtatuente, liberos, immunesq; de cætero fore, eosq; ſui iuris eſſe. Res ſanè non modo prudentiſſimo imperatore apprime digna, uerum etiam eius uiri propria, qui in literis, atq; humanitatis fuiſſet ſtudijs enutritus.

A theníenſis Phocion cum intellegeret, nulla ſe ratione populum ne aduerſum Bœotios arma ſumerent, continere poſſe, arte eos, induſtriáq; coërcendos iudicauit, Edici enim confeſtim per præconẽ iuſſit, ab ipſa uti pubertate, ad ſeptuagenarium uſq; qui ciues eſſent, omnes uti arma caperent, ac quinto poſt die uti armati, inſtructiq; adeſſent, ſex dierum commeatu aſſumpto, qui ſe ducem in Bœotiam ſequerentur. Quod edictum omnes cum accuſarent, ut iniquum, parumq; cõſyderatum, ipſe contra obſiſtens, aſſeuerabat, nullam ineſſe edicto iniuriam, cum ipſe octogenarius armatus eſſet cum cæteris in acie affuturus. Hac igitur arte impetu populi per ſummam prudentiã compreſſo, ciuitatem ipſam ad ſanitatem reuocauit.

M artius prætorius uir ſecutus Bruti partes, cum eſſet in cõflictu illo Macedonico ab Antonianis uictoribus captus, ſeruũ ſeſe eſſe ſimulauit, emptusq; ſub haſta à Barbula quodam minime impigro homine, eam in ipſa ſeruitute ingenuitatẽ præſetulit, ut præpoſitus primo ab hero ſeruitijs alijs fuerit, deĩn uero atq; haud multo poſt rei etiã pecuniariæ. Quodq; Barbula uideret ineſſe in eo ciuilis, atq; urbani hominis magis q̃ ſerui ſtudia, ac cogitatiões, nõ ſemel cohortatus eſt illũ conditionẽ indicaret ut ſuã, pollicitus etiã opam ĩpetrãdæ ueniæ, etiã ſi è proſcriptorũ eẽt fortaſſe numero. Ille autẽ qua erat animi firmitate,

atq; prudentia, obsecutus etiam temporibus, in proposito ubiq; persistit, seruum sese utiq; professus. Aliquantum autem inde post tempus Barbula cum decreuisset Romam proficisci, percũctatur Martium, essét'ne secum ad urbem profecturus, arbitratus si è proscriptis esset haudquaq̃ secum iturum. At ille libentissime iturum quo se cunq; uellet, respondit. Quò postq̃ peruentum est, eam aduersus Barbulam cõtinuauit operã, seruili sub famulatu, & habitu, ut proficiscentem etiã herum in curiam, atq; ad salutandos consules comitaretur, astaretq; seruili sub habitu ante fores. Itaq; cognitus tandem ab amicis quibusdam, Barbulæ in aures, subdubitanter tamen, & maxime consyderata opera instillatum est, ne seruulum illum crederet, sed ingenuũ esse sciret, ac Romanum ciuem, clàm igitur illum si amaret & operam nauare se dignam uellet, id ageret, ut à proscriptione eximeretur. Quod quidem à Barbula cautissime per Marcum Agrippam est procuratum, nec ita multo post in Octauij amicitiam receptus est, & prætor etiam declaratus. Ab ipso igitur initio Martius pro re quidem, ac tempore consilium id cœpit, ut uitam quo redimeret, uenaliũ se è grege faceret, cum ratione alia saluum se fieri posse omnino diffideret. Quod consilium ea secutus est opera, atq; industria, ut & nobilitatem generis circunspectissime obtegeret, ne qua manifestam in suspicionem ingenuitatis incideret, aut eius fidem faceret, & ut Romæ cum esset pensatis rebus simul, ac temporibus, melius, ac salubrius capere consilium posset. Quo autem fauore, quáq; benignitate fortuna quoq; ipsa consilio huic aspirauerit, animaduertite quæso. Antonij rebus ab Octauio profligatis, captus Barbula, q eius secutus erat parteis, cum & ipse seruum se Martij exemplo simulasset, uendereturq; sub hasta, fortuito est ab ipso quoq; Martio cum alijs quibusdã emptus, nequaquam tamen propter squalorem statim cognitus. At ubi Barbula se ipsum aperuit, non solum Martij opera ueniam impetrauit, uerum in Octauij amicitiam ita receptus est ut militareis ad honores, atq; ad præturam etiam euectus fuerit.

D inocrates architectus maxime nobilis, cum aditum ad Alexandrum impetrare, per purpuratos, ac familiares eius minime etiam multum post tempus posset, iudicaretq; ab illis se se irrisum iri, consilium, ac simul etiam auxilium à se ipso petijt, Cumq; esset ipse procero admodum statu, nec quadratis tantum membris, uerum forma, ac dignitate corporis totius insignis, atq; aspectu ipso præcipue gratus, nactus opportunitatem, quo die Alexãder populo dabat audientiã, præsidebatq; iuri dicũdo, nudatis mẽbris, oleoq; perũcto corpore, ac populea

frõde coronato capite, læuo humero leonis pelle amicto, dextra ipse cla uã gestãs, ad tribunal prodijt, qua nouitate permotus Alexãder iussit aditum illi ad se dari, percũctantiq; qui'nã esset, aut qd eo habitu sibi uellet, respõdit Dinocrates, quæsisse eo se habitu ad illũ aditum, atq; audientiã, esse autem architectum, ac genere Macedonẽ, afferre autẽ se multas quidem et egregias cogitationes Alexãdri magnanimitate dignas, In ijsq; de mõte Atho in uirilis statuæ formã redigẽdo, eo quidẽ artificio, ac positu, uti læua manu urbis maxime capacis amplitudinem contineret, ac mœnia, dextra uero pateram, qua fluuiorũ omnium, qui eo è monte defluerẽt, decursus exciperet. Quibus auditis Alexãder ingenio hominis ac sermone delectatus cũ admiraretur etiam inuenta, secũ illũ esse uoluit, utq; in Aegyptũ sequeretur statuit. Cũq; Alexãdreã ædificaturus esset, Dinocratis consilio, et opera usus est in ea ædificãda. Per hãc itaq; maxime accõmodatã uiã Dinocrates aditum sibi ad Alexandrum comperijt, cum alia se ratione inuenturum eam prorsus diffideret, ut uix quicquam exsistat prudentiæ ipsi imperuium.

Dacæ, finitimæq; illis gentes cum intellegerent Romanos inter se arma uertisse, miroq; ob id raperentur ardore belli in eos mouẽdi, Cotioq; illorum dux alia nequiret tantũ impetum ratione compescere, in principum ipsorum conuentu, ac frequẽtia, ferocissimos duos canes emitti è catenis iussit, qui statim in se conuersi, atrocissime inuicem sæuiebant. Cumq; illorum maxime atrox, ac sæuiens certamen esset, ex occulto lupum immitti iussit, quo uiso canes, quasi pacatis animis ac concordi fœdere in lupum è uestigio illati sunt, pugna inter se dirempta. Prudentissime igitur dux Cotio, quod nec ratione, nec oratione persuadere poterat, belluarum exemplo persuasit.

Lucius Antonius Marci Antonij triumuiri frater circunsessus Perusiæ ab Octauio, frustraq; non semel tentata eruptione cum fame iam conficeretur exercitus, communicato prius consilio cum primoribus, nulla impetrata fide publica, ad Octauium decreuit cum paucis ad modum proficisci. Quem proficiscentem cum intueretur Octauius, et ipse obuiam profectus est uenienti. Ibi L. Antonius eam orationem habuit, omnem in se conuertens culpam, nihil pro se omnino deprecatus, uerum, pro uno tantum exercitu, ut & pœnam à militibus auerterit impetrata uenia, et ipse amice acceptus ab Octauio ac maxime liberaliter fuerit. Itaq; dum extremis in difficultatibus omni ui, arteq; incassum tentata, eligit fidei se hostis libere permittere, dum quæ à se facta essent liberaliter apud uictorem

aperit. Dum pro se ipso nullo modo deprecatur, sed pro exercitu tantum supplex loquitur, dum crimen omne, omnemq; in se culpam, ac supplicium transfert, & se ipsum, et exercitum à cæde, supplicioq; liberauit, inuenta apud uictorem adolescentem arte hac, conciliandi animi ueniæq; impetrandæ uia.

Attulimus, ut iam uidetis, uiri optimi quæ uisa sunt opportuna in hoc uirtutis genere exempla, eaq; diuerso etiam in genere rerum agendarum. Quo circa finem afferēdis ijs, hodiernæq; etiam dictioni statuamus. Verum ne cui uideamur parti dissertionis huius defuisse, etsi parum quidem necessarium iudicari potest, non omittemus tamen exempla quædam, eaq; non adeo multa his ipsis adiungere, quæ ferendis in sermonibus, dicendisq; in sententijs, magis quàm in agendis rebus, negotijsue administrandis obseruata, admonere nos prudentiæ ipsius in communi quoq; sermone debeant, quotidianisq; in congressionibus ac responsis. Indicio enim sunt quantopere obeundis in negotijs illi ipsi fuerint prudentiæ studiosi, ad quos dicta ipsa referuntur, quantumq; et in dicendo, & in respondendo, eiusdem ipsius studium præ se tulerint, uitæq; circunspectionis, ac rerum gerendarum omnium.

Mortuo Romulo, acitoq; è Sabinis Numa ad capessendum imperium, Proculo, ac Voleso è patrum numero ad id à senatu, populoq; Romano destinatis, Suadente etiam Numæ ipsius patre, quiq; è cognatis in consilium uocati aderant, suscipiendum esse principatum, Tum Numa in hanc quidem sententiam exorsus dicitur. Quancunq; ante actæ uitæ mutationem, nec uacare eam periculis, & solicitudinis esse plenam, compluraq; secum afferre, dubia quæ sint ancipitia, incerta, trepida. Itaq; cui agendam ad uitam nihil deesset, neq; esset cur præsentis eum uitæ status pœniteret, à consueto illū uitæ genere uelle quasi desciscere, in quo & pro dignitate sua, & pro rei familiaris necessitudine, ac suppeditatione uersatus esset honeste, ac copiose, amentis id uideri magis quàm sani esse hominis, qua in commutatione ut aliud nihil omnino molesti, illud certe inesset, quod incertis certa commutanda essent. Hisq; summa cum grauitate explicatis, & illud statim subdidit, ad sententiam confirmandam, Romulum, qui imperium constituisset Romanum deo fuisse genitum, deumq; ipsum infantulo illi astitisse, deorum quoque ope, ac beneficijs altum, educatum, ad imperiumq; diuinam ob indolem maturrime euectum, Se uero mortalibus ortum parentibus, eductumq; atq; institutum ab illis uiris, quos pater ipse, quiq; adessent cognati probe quidē nossent.

Ex omni itaq; parte uitæ mutationem tantam iure sibi uerendam esse. Declarauit igitur Numa susceptum ante imperium et qualis ipse in illo futurus esset administrando, et in mutando uitæ genere, quàm multa quoq; sint circunspicienda. Idem hic Numa, Proculo ac Voleso omni studio conantibus, eum ad habenas regni capessendas perducere huiusmodi ad eos oratione usus dicitur. Mihi, inquit, oratores Romani quem ad regnum inuitatis, longe à Romuli ingenio moribusq; aliud est ingenium, aliaq; institutio, quippe qui cognitionis studijs ipse deditus, pacem colam, pacisq; ipsius otia, cum ille prælijs assuetus ciues suos, & bellicosiores reddiderit, & grauissimos etiam moriens, populo Romano hostes reliquerit, utranq; ut ob causam bellicoso uobis rege opus sit, & ad hostiles comprimendos impetus, & quam populus Romanus ob præliorum felicitatem concepit imperandi spem, bellicoso duce usus, ut ne frustretur ab ea. Itaq; talibus uiris parum ipse imperio idoneus iudicabor, ac tanquam ridiculus iure ab illis habebor, ubi apud eos deorum cultus, humanitatisq;, ac quietis studia docere annitar, qui imperare finitimus, armis contẽdant, nec illis sacrificulo opus est rege, quibus arma tantum placeant ac bello partæ diuitiæ. Videtis quanta cum moderatione, ac sapientia indicaret illis, quales sub se ciues Romanos futuros esse oporteret.

Passus est Theopompus Spartanorum Rex, Ephororum eligi magistratum aduersus Oligarchiam à Lycurgo constitutam. qua è re non nihil regia potestas cum uideretur immunuta, eamq; ipse ob causam ab uxore accusaretur, quod regnum liberis esset multo imbecillius traditurus, quàm ipse à maioribus accepisset suis, quin inquit, & stabilius, et magis, magisq; diuturnum. Quo è dicto diuturnitatẽ se eius ostendit longe etiam præferre magnitudini, inesse enim in licentiosa magnitudine periculum, atq; ex periculo breuitatem. Contra uero in ea potestate quæ ratione, legibusq; innisa esset, atq; ab ijsdem temperata, diuturnitatem uel etiam certissimam. Prudentissima sanè, & optimo digna principe prospicientia.

Alexander quoq; Augustus, matre Mamæa parum probante, uxore ẽt grauius ferente, quod popularitate uel nimia uteretur, præcipue uero quod ab amicis se, atq; familiaribus corrigi tam facile pateretur, ac siquid parum pro dignitate ab eo factum argueretur, illud confestim emendaret ad arguentis sententiam. Qua è re Imperatoriã maiestatem non imminueret modo, uerũ contemptibilẽ eam concessione illa sua redderet, Quin mehercule, inquit, securiorem, magisq;, ac magis stabilem, ac longe amplius gentibus acceptam.

Ioannes Caraciolus, qui sub Ioanna Secunda Neapolitanorum Regina, regnum ipsum administrauit, & in cuius moderatione res illius omnes conquiescebant, cum ab ea Capuæ principatu donatus esset, Amiciq;, ac cognati cohortarentur ad insignia, ut moris esset, principatus publice accipienda, detestatus est illorum omnium cohortationes, atq; consilia, cum diceret principatum eum à Regum filijs solitum administrari, titulumq; principatus eius esse illius solum, qui in regno esset post Regis obitum statim successurus, Sese igitur minime esse amplissimum Reginæ donum, per summam etiam impudentiam, perq; maxime inconsyderatam ambitionem fœdaturum, quin potius seruaturum titulum ipsum illi ipsi, qui futurus esset Rex, interimq; principatum, resq; eius probe, temperanterq; moderaturũ, ut cum Rex ipse, quicunq; futurus esset, declararetur, principatu illi liberaliter tradito, tituloq; adeo insigni in illum liberosue eius reseruato, hac apud illum ratione, & sibi & suis, et amicorum, atq; cognatorum rebus æque consuleret.

Causabatur Lycurgus, quod non parũ modo magnificus, uerum etiã tenuior fuisset in supplicijs deorum, sacrisq; instituendis. Quo circa palàm profiteri est ausus, eo id à se factum consilio, ut cultus ipse erga deos, quo erat paratior constitutus, pro cuiusq; facultatibus, ob id ipsum futurus esset longe etiam continuatior, magisq; frequens. Iudicabat enim propositis sacrificiorum sumptibus, & qui pecuniæ darent operam, dum lucris, aut parsimoniæ student, fore uti à sacrificijs abstinerent propter auaritiam, & qui paupertate premerentur arctius, quod parum ijs esset, unde necessaria ad sacrificandum suppeterent, sacra ut ob inopiam prætermitterent. Habita est igitur à prudentissimo uiro, quæ necessaria tum uisa est diuini cultus ratio, ne illius continuationi aut inopia obsisteret aut auaritia. Quo circa Ioannem patrem tuum Tristane dicentem non semel audiui, q Franciscum sequerẽtur religiosi, eos expeditissimos esse Christi milites, semperq; ad pugnandum instructos, quorum tela, clypeiq; ipsa esset paupertas, & animus cœlestis tantum patriæ studiosus.

Demarathus multi usus uir, & in qua uersabatur re publica senator in primis & moderatus, & prudens, cum uideret ab improbo quodam circumuentum se, atq; importune, insolenterq; efflagitante, ut qui infestanter scire id etiam contenderet, quem è Spartiatis optimũ iudicaret ciuem, idq; sæpius iudicaturum recusasset, expugnatus tandem ab illius importuna improbitate. Illum, inquit, optimum nostris è ciuibus iudicauerim, qui tui sit ipse quamdissimillimus. Quo re

ſponſo, & importunitatem illius repreſſit, & dignitati non minus ciuium conſuluit omnium, quàm ſuæ.

R efert Cicero Fimbriam conſularem uirum iudicem datum in cauſa ſponſionis, in qua ferendum eſſet iudicium de uiro bono. Cum igitur ſponſor Fimbriam urgeret, ad ferendam ſententiam, reſpondiſſe, Eã ſe rem nunquam iudicaturum, ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contra iudicaſſet, aut ſtatuiſſe uideretur uirum bonum aliquem eſſe. Cum ea res innumerabilibus officijs contineretur, ijsq; ſumme laudabilibus. Poteſt ex una hac ſententia facile iudicari, quanta eſſet Fimbriæ ipſius in agendis rebus prudentia, quantus etiam in eo ciuilium ineſſet rerum uſus.

M utius is, cui poſtea Scæuolæ inditum fuit cognomen, quaſi relaturus Porſenæ Regi gratiam, quod humanius ab illo ageretur, quodq; in uentus etiam apud hoſtem uirtuti eſſet honos. Quod, inquit, o' Rex nullo expugnatus ſupplicio indicaſſem, id tibi nunc ſponte indicaturus ſum, ne non aliqua ſaltem parte referendæ gratiæ memor tibi, ac gratus uidear. Neq; enim fortunæ ipſi ſuccenſurus ſum, quippe quæ id præſtiterit, uti meo ex errore uir maxime probus ſeruaretur, dignusq;, qui amicus populi Romani habeatur, potius quàm hoſtis. Trecenti unà iuuenes coniurauimus, quibus idem eſt conſilium tui conficiendi, eadem quærẽdi decoris cupiditas, idem gloriæ ſtudiũ. Sors mihi patrandi negotij prima obtigit, cæteri ſuo quiſq; tempore, rem aggreſſuri ſunt. Soli tibi cum trecentis Romanæ iuuentutis principibus futurum certamen eſt, qui tibi bellum indicunt, quibuscum horis ſingulis, tuo de capite dimicandum eſſe ſcito. His igitur dictis Hetruſcus Rex fidem cum adhiberet, non pacem modo cum Romanis fecit, uerum etiam humanitate, ac liberalitate non mediocri erga populum Romanum eſt uſus. In re igitur maxime calamitoſa Mutius minime à prudentia deſtitutus, ita Regem allocutus eſt, ut quam pacem regis morte, ac gladio conſequi haudquaquam potuiſſet, eã uerbis pro tempore compoſitis procurauerit.

A nnibal ante pugnam illã Cãnenſem, tumulum cum aſcendiſſet paulo editiorem, è quo et multitudinem intueretur Romanorum & ordines, quiq; illi aſtabat Giſcon quaſi obſtupefactus, cum dixiſſet, mirari tantam ſe multitudinem, tum ipſe qui obſtupefactum illum de numero intellegeret, ne qui adeſſent ſimili terrore caperentur, conuerſus ad illum, contracta admodum fronte, quanto maius, inquit, mirum tibi uideatur Giſcon, illud ſi cogitaueris in tanta illa hominum multitudine, qui Giſcon appelletur omnino eſſe neminem. Quod di

ctum cum statim inter acies emanasset, ad risumq; converterentur omnes, eam uim habuit, ut singuli existimarent, ijs dictis propterea iocari Annibalem, quod de Romano exercitu putaret iam actum. Effecit igitur maxime cautus imperator, ac prudens ex hoc dicto milites ad capessendam pugnam tum promptiores detracto metu, tum de uictoria pene certos, qui uiderent tanto in discrimine imperatorem iocari suum.

A cusabatur Pericles, & quidem acerrime, quod nimis magnam pecuniam profudisset in illa, ut Cicero ait, Propylea. Itaq; urgente Thucydide conuersus ad populum, qui et ipse de profusione querebatur, Quando, inquit, sumptus hos grauamini, sit mihi ipsi expẽsum, haud Atheniensi populo, meumq; operibus nomen inscribam. Quo quidem dicto, populus siue animi eius magnitudinem admiratus, siue quod cum de gloria ageretur, nollet ciuem ad unum transferri eam magnificentiæ laudem, quæ totius esset ciuitatis, uno statim consensu succlamauit, pergeret iam, neq; ullis parceret sumptibus. Itaq; prudenti hoc dicto Pericles, coq; summam animi eius magnitudinem indicante, uicit non aduersariorum modo improbitatem, uerum etiã Atheniensem populum in sententiam suam traxit uniuersum. Qua uero prudentia, quáq; secundis in rebus moderatione usus hic idem fuerit, docuit & illud quoq; eiusdem ipsius dictum, morbo enim laborantem multi eum cum circunsisterent, uictoriasq; eius in cœlum tollerẽt, enumerarẽtq; trophæa, maximasq; ab illo res gestas, neq; sua ipsorum dicta, morbo iam aggrauante exaudiri ab illo existimarent. Tum Pericles illis obstupescentibus, Ea, inquit, laudari à uobis sentio, quorum non exiguã sibi partem fortuna uindicat, quæq; multorum, ac maximorum ducum sunt propria, illud uero, quod meum est unius, omitti à uobis non iniuria miror. An nescitis aut parum meministis è tanta ciuium multitudine, qui propter Periclem pullam induerit uestem fuisse neminem? id uidelicet pulcherrimum, ac maxime gloriosum ducens in tanta sua potentia, neq; inuidiæ, neq; iracundiæ, minime uero superbiæ sese locum dedisse ullum.

N on caruit sua etiam prudentia Antisthenis dictum illud. Nam laudari cum audisset Ismeniam quendam tibicinem ut optimum, quin illum ego, inquam improbum necessario esse iudicem, quippe qui probus si uir esset, nequaquam tibicen esset.

P ersimile huius & illud Philippi Regis aduersus Alexandrum filiũ, & quanquam tacita illa quidem, prudentiæ tamen plena obiurgatio. Nam cum à multis commendaretur Alexander filius, quod suauiter

admodum cecinisset. An non pudet te, inquit, fili, aduersus eum conuersus, quod tam scite cantites? acsi non satis sit regem, siquando otium tulerit, dare operam canentibus. Permultum nanq; regem ipsum impertiri Musis, siquando certantibus alijs musicis de rebus, spectatorem se illis praebuisset.

Fabius Maximus qua erat prudentia, & gerẽdis in rebus circunspectione, & usu, non urbium modo, populorum'q; defectiones, ac tumultuantis motus, uerum etiam singulorum militum agitationes, siue suspectas, siue parũ laudabiles, leniendas mitioribus uerbis, mansuetaq; admodum oratione ducebat. Militem igitur Marsum fortem quidem, ac notum in militia hominem, cum suspectus is rebellionis esset, nec deessent q criminarẽtur, nulla in initio animaduersione psecutus, sed libere agere eum sinens, dissimulata etiã suspicione, post uero comiter illum allocutus, quid, inquit, Marse, nulla tua in re officium requiris meũ? nulla mea uteris opera? ne autẽ dum qd petas expectem, en tibi equũ maxime acrem, ac uirtute tua dignũ, aderũt munera quoq; alia fortitudini tuae accommodata. Qua e comitate dictator ex eo usus est illius opera fortissima pariter, ac fidelissima. Atq; haec quidem ipsa etsi uidentur ad comitatem potius referẽda, atq; ad ipsum rerũ usum, illud tamen sapientissimum est Fabij dictum, familiariter'q; usurpatum, Canes, equosq; deponere feritatem ob magistrorũ mansuetudinẽ, leniorẽq; tractabilitatem, magis q̃ ob catenas, ac uerbera. Eadẽ itaq; ratione & uia, debere q imperarent mansuetudine, ac lenitate, populorũ animos, cuiuũq; male pacatas uolũtates, & conciliare & delinire. Idẽ quoq; aduersum militem Lucanum, ne a seipso discederet, strenuũ qdẽ, et acrem hominem, eadẽ lenitate orationis adhibita, illum sibi maxime deuinxit. Nãq; accusatus hic ipse, qd noctu e castris subinde praeter tribuni praescriptũ discederet, ubi comperisset Fabius, absentis mulierculae amorẽ esse eius rei causam, ad quã ille clanculum noctu itaret, clã mulierculã ad se deduci abdiq; in tabernaculo iussit, mox'q; accitum ad se Lucanũ allocutus phumaniter, Tutemet scis, inqt, qua poena sis dignus, q praeter iura militaria, leges'q; castrenses saepius e castris contẽpto imperio discesseris, nec ego ipse ignoro quae multa a te fideliter sint, fortiter'q; administrata, quaeq; opera in obeundis militaribus laboribus, ac periculis fuerit ubiq; tua. Itaq; fiat horum inter se compensatio. Tu posthac neq d tale admittas caueto, quo'q; praestare id per me quidem possis, en illam tibi, quae tuo est cordi, eductaeq; e tabernaculo mulierculae dextram nec opinanti in manum dedit, quae in castris penes ipsum

ex eo futura

ex eo futura esset. Tu igitur talem te de cætero præstiteris, ut appa reat, quam amas, et cuius causa è castris furtim discedebas, eã ades se. Fabij igitur prudentiam quæ, & quanta fuerit, non facta modo, uerum etiam dicta declararunt, licet hæc ipsa dicta factis etiã coniuncta essent, quæ tanto maiorem illius circunspectionem fuisse testantur.

A ntigon naualis belli præfectus, cum hostilis classis ab ijs, qui in consilio admissi essent, numero nauium præstare diceretur, quo metum audientibus adimeret, eleuaret'q; aduersariorum uires, Et me, inqt, belli ducem, quot hostium nauibus opponetis? Ducis prudentiam ostẽdit quàm exercitus multitudinem pluris faciendam.

P elopidas ad bellum proficiscens, adhortante uxore, seipsum ut ab hoste saluum redderet. Atqui uxor, inquit, imperatoris est alios saluos facere. Ostendit aliud priuati hominis, aliud imperantis officium esse debere.

M arcellus deprecantibus militibus, cum ab ipso accusarentur, quod parum pro dignitate Romani pugnassent exercitus, diceret'q; Romana se & corpora uidere, & arma, Romanum autem uidere neminem, respondit non uictis ipsis, sed si uicissent ueniam sese daturum, proinde'q; die crastino sese ad pugnam pararent. Quibus quidem dictis id effectum est, summa ducis ipsius arte et prudentia, die ut insequẽti prioris diei ignominiam cæsis octo millibus ex Annibalis exercitu, fugatis intra castra reliquis, maxima cum uirtute, & laude abluerent.

E xstant Catonis illius maioris, non facta modo plurima, uerum etiã dicta, quæ prudentiam eius, ac sapientiam notam faciant. Vt cum ad Quirites conuersus dixit, Difficilem sane rem esse, ad uentrẽ uerba facere, auribus qui careret. Et rem publicam saluam esse diutius haudquaquam illam posse, in qua pisciculus quàm bos pluris ueniret. Item populum Romanum pecudum maxime esse similem, illas enim nemini parere singulas, uniuersas autem uni, quem ducem sequerentur. Et illud, Stultos prudentibus uiris, emolumenti plus afferre, quàm qui prudentiores essent, stultis. Ad hæc adolescentulos magis à se probari eos, qui rubore uultus, quàm qui pallore potius inficerentur. Fugiendam item illorum familiaritatem, ac consuetudines, qui palato, q̃ corde sentirent acutius.

S ciscitanti Arato, auidius'q; percunctanti Democratem Lacedæmonium, qui nam & qualis esset Cleomenes, quem Ephori cum exercitu misissent ad præoccupandum Palladis in Veluina templum, qđ

eo è loco in agrum Lacedæmonium facile pateret ingressus, ab illo ita responsum accepimus. Quod tibi Arate aduersum Lacedæmonios tentandum est, id ante tentato, quàm pullus hic per ætatem aculeo uti possit.

E xstat Tiberij Gracchi dictum sapiens, Desinere sacrosanctos eos esse, atq; inuiolabiles, qui ipsi aduersum deos delinquerent, per quos ijdē ipsi essent sacrosancti.

E xstat & Antigoni Regis à Pyrrho enim in singulare certamen prouocatus, respondit, Eum sese esse, qui in prosequendis bellis non ab armis magis quàm à tempore consilium caperet. Quod si uitæ Pyrrhū pœniteret suæ, satis quidem multas patere ad interitum uias.

I llud uero Sertorij memoratu dignum tum factum tum dictum, quo enim efferatam multitudinem, militarē ad disciplinā traduceret, aduocata concione, equos statui duos in conspectu omnium iussit, strigosum quidem alterum, macieq; atq; annis obsitum, at ualidissimo robore alterum, cuteq; quammaxime nitida, Ac macilenti rursum illius, qui caudæ pilos simul omneis, unaq; euelleret, robustissimum statuit hominem, nitidi autem alterius, homūcionem perquam imbecillum, qui singulos alium scilicet post alium euellens pilum, ad ultimum caudam singulatim depilaret. Hic igitur dum pausillatim, studiose tamen agit, compos uoti euasit. At ille alter quamuis brachijs uteretur quamualentissimis, demum irrisus ab omnibus, dum uno simul euulsu, quamsæpissime tentata re, summis etiam innisibus omnem expilare uult caudam, frustra est habitus, uanumq; inceptum eius esse res ipsa docuit. Hic itaq; opportuna maxime oratione adhibita Sertorius, Videtis, inquit, milites, quæ uiribus minime cedant corporis, ingenio ea cedere, utq; uno quæ impetu superari nequeant, eadē paulatim superari, opera assidua, ac pertinaci adhibita, quodq; corporis uires, ingenij superarentur à uiribus, illi dandam esse operam, nihil enim tantopere ualidum, ac robustum esse, quod non studiosa sedulitas, beneficio tandem usa temporis expugnaret.

M erito igitur Cæsarianum illud summis extollitur laudibus, idem conficiendis bellis sibi esse consilium aduersus hostem, quod probatis, ac maxime peritis medicis sanandis corporum morbis, fame uidelicet potius quàm ferro nitendum esse.

E xstat etiam Africani dictum non minus celebre. Cum enim accusari se sentiret, quasi parum pugnax esset. Atqui mea me mater inquit imperatorem peperit, non certatorem.

L acedæmonij grauissime cum premerentur ab Epeirotarum Rege Pyr

rho, decreuissent'q; muliebri sexu in Cretam transmisso ultima ex= spectare, improbantibus factum hoc matronis, tum Archidamia earum princeps, gladio incincta in senatum prodiens. Quae nam, inquit, uiri uos cepit dementia? nunquid ipsi existimatis excisa Sparta, deleta patria, amissis uiris, liberis'q;, mulieres Spartanas ulterius ui cturas? Ex eo itaq; dicto maxime generoso, & forti confirmatis uirorum animis, ut erat inter mulieres compositum, confestim multitudo uirginum, ac matronarum expedita, atq; instructa affuit, quae & desumeret sibi cum senibus opus ualli, aggeris'q;, aduersum Pyrrhi elephantos statuendi, & iuberet iuuentutem ipsam atq; aetate ualidos abstinere ab opere, se'q; seruare ad conserēdas tantum cum hoste manus, illum'q; à uallo reijciendum. Archidamiae itaq; non minus prudentibus quàm fortibus effectum est dictis, ut & Lacedaemonij re= sumptis animis defendendae urbi acrius multo intenderent, imminuto uiris labore, conficiendi ualli, quod opus sibi illae desumpsissent cū uiris bello inutilibus, & Pyrrhus ipse à uallo reijceretur, urbe in hunc modum acerrime defensa. Tanta igitur uis est prudentiae, ut nō raro etiam in mulieribus, quae affectibus maxime se dominandas permittunt, uel maxime spectabilem sese reddat.

Non dubitauit Gordianus socerum per epistolam commonefaciens dicere, miserum Imperatorem eum esse, à cuius auribus ueritas exterminata esset.

Marcus Antoninus quamuis adolescens, tamen cum interrogaretur à domesticis non parum mirantibus, quod in adoptione sua tristitiam prae se ferret. Nescitis, inquit, quae mala imperium secum ferat.

Antoninus Antonini Pij maternus auus, qui'q; bis consul fuisset, renunciatum ei cum esset, Neruam Imperatorem creatum, Heu senex, inquit, quibus te miserijs implicasti.

Obiurgantibus amicas, grauioribus'q; quibusdam uiris Marcum Antoninum adolescentem, quod educatoris sui mortem deploraret indulgentius. Tum Antoninus pater uehementius illos increpans, Quin, inquit, hominem esse Marcum permittitis? num aut imperium uultis, aut philosophiam humanos penitus affectus eripere? Idem hic Marcus in imperio constitutus, cum accusaretur, quod amicorum consilijs, ac sententijs nimio plus tribueret, Quanto, inquit, aequius est, ut ego tot amicorum, ac uirorum talium secutus consilia in eorum cō quiescam sententijs, quàm ut ipsi ad meam unius se comparent uoluntatem. Iudices quoq; reprehendere est solitus, qui ad ferendam de uita sententiam nimis festinarent, nunquam enim satis cunctari, q

de hominis capite iudicarent. Itaque pater eius Pius, Scipionis illud Africani frequentissime, maximeq; prudenter usurpabat, malle se ciuem unum seruare, quàm mille ex hostibus cædere. Idem hic deprehensis parum pudicis Faustinæ uxoris moribus, cum ab amicis repudij admoneretur, An ignoratis, inquit, uxorem si dimittimus, et dotem reddendam? imperium significans. Iudicabat enim quædã potius ferenda dissimulanter, quàm palàm ob iram uindicanda.

Marcus Cato is qui Vticæ manum sibi consciuit, Siciliæ cum præesset, ubi intellexit Cn. Pompeium metu Cæsaris, & urbem simul, & Italiam deseruisse, Prò dij immortales, exclamauit, consilia uestra ut latebrosa sunt, ut etiam decreta & diuersis, & multis complicationibus inuoluta, quippe qui olim Pompeio in ijs affueritis, in quibus fortasse iusti parum omnino inesset, at nunc in tuenda communi libertate, in patriæ causa maxime iusta & pia illum deserueritis. O' uocem Catone dignam. Cæterum dei optimi maximi sententiæ latebrosæ & abditæ communi quadam opinione iudicari possunt, Si quis tamen præteritas res omnes haberet animo comprehensas, si mores, actiones, uitas hominum, si peccata, si uoluntarios errores, si inordinatas appetitiones, si corruptissimas uolũtates, si secretiores potentiorum, ac principum hominum curas, cogitationesq;, atq; animorum commotiones nefarias, maximeq; conquinatas secum ipse uersauerit, illasq; sub rationem simul coëgerit, nimirum exclamandum ei neutiq; fuerit, aut dijs ipsis irascendum, sed confitendum potius ab erratis nos nostris in ruinam & trahi simul, & impelli. Quarũ quidem rerum qui iustus esse, & consyderatus æstimator, atq; expẽsor uoluerit, inueniet profecto, non nisi è re ipsa, Sallustianum illud in ore uersari hominum, Regibus bonos, quàm malos suspectiores esse, alienamq; illis uirtutem formidolosam. Quod nõ de regibus modo dictum putandum est, uerum de rerum quoq; publicarum gubernatoribus, ac temperatoribus populorum. Declarauit id modo Ludouici Sfortiæ Mediolanensis Dynastæ honoris appetitio insatiabilis, ambitioq; maxime insolens, ne de uitæ eius actionibus alijs, moribusq; non omnino temperatis dicam. Is ob insolentiam animi, moresq; peruersissimos, non sese ipsum modo in ruinam, carcerem, postremamq; immersit miseriam, uerum Italiam uniuersam penè in seruitutem coniecit, dum Ioannem Galeatium fratris filium, innocentissimum adolescentem ueneno effert ob dominandi libidinem, Carolumq; Octauum, Gallorum Regem ingenti conductum pecunia, quanquam dissuadentibus Galliæ primoribus fermè omnibus,

maximis cum copijs in Italiam trahit, quo Neapolitano e regno Alphonsum eijceret sororis suæ uirum, à quo paucis ante annis defensus armis fuerat, atq; in administratione Mediolanensis dominatus confirmatus, donec Ioannes Galeatius adolesceret, Dum etiam cum populo Florentino initam à Francisco patre amicitiam, multis'q; ac maximis tempestatibus seruatam fidei atq; honestatis immemor non superbe modo, uerum etiam amenter proterit, conculcat'q;, Pacem'q; cum Venetis à patre primum, post à Galeatio fratre compluribus annis summa integritate seruatam, ita nullam ducit, Christianæ'q; religionis adeo obliuiscitur, ut Turcas, gentem Christiano nomini infestissimam, inito clã cũ illis fœdere, omni arte, studio'q; ab Asia, Græcia'q; in Italiã euocare conatus sit ingenti classe, innumerabilibus copijs ab ijsdem aduersum Venetos comparatis. Sensisset'q; Italia letale hoc uulnus, ni uictus ipse à Ludouico, qui nunc Gallis imperat, amentiæ suæ pœnas miserabili captiuitate dedisset. Quia uero aduesperascit iam lenitis meridianis caloribus, tempus nos admonet, reddendæ rei familiari, domesticis'q; negotijs operæ, cum promissis præsertim meis abũde uideri possit satisfactum.

Audiuistis igitur uiri optimi his in confessionibus, quæ sint à nobis principio de felicitate disputata, de'q; moralium uirtutum initijs, atq; progressionibus, post uero quæ de Prudẽtia, de'q; ijs, quæ Prudẽtiæ eẽnt propria, quæ'q; ad illam uel spectarent omnino, uel eam ipsam potius constituerent. Deniq; ne qua in parte oratio desyderaretur à uobis nostra, exempla quoq; attulimus, id'q; quanquam parcius ex tanta copia, quantum tamen satis uisum est, pro natura rei, pro'q; susceptæ materia. Neq; enim propositum aut id meum fuit, aut à uobis ita efflagitatum, uti Græcas Latinas'q;, barbaras item historias simul omnes excuterem. Itaq; quo in sacello iureiurando pene me adegistis, ad hæc ipsa disserenda, in eodem ipso, dijs quoq; ijsdem testibus, promisso me absoluo. Cæterum quæ à me dicta sunt omnia, sic accipite, hominum quidem operam, industriam, labores, offirmationem illam animi cunctorũ expugnatricem, tum ad uirtutem comparandã eaq; quæ animi dicuntur bona, tum ad felicitatem adipiscendam, de qua primo in consessũ est dissertum, momentum quidem fere omne secum eas ferre, mirificum'q; in modum conferre, nihil deniq; esse, quod nõ pertinax expugnet opera, indefessa'q;, ac nunq̃ à rõne aliena uolũtas. In eo tamẽ summã ipsam uerti, uti Dei optimi maximi fauor assit, illucescat'q; benignitas, cuius absq; beneficẽtia, et munere, qd est obsecro, qđ uenire in hominũ possessionẽ queat, uel illorũ quoq;, quæ in

nostra uideantur potestate constituta? Deũ igitur ad ipsum bona sunt cuncta, eaq; in primis quæ dicuntur animi referenda. Illi diuitias, honores, magistratus, imperia, illi scientiam, sapientiam, felicitatem deniq; acceptum referamus. Nam & si in manu hominis, uoluntateq; positum uidetur, ad uirtutẽ contendere, honestisq; clarescere in actionibus, tamen eius ipsius dono uel hoc ipsum præcipue homini conceditur, uel humanæ gratitudinis primũ est potissimumq; officiũ, Deo id acceptum referre. In cuius beneuolentia, ac benignitate ualere uos uolumus.

LECTORI. S.

Vt nulla ex parte diligentia nostra obscura esset, quam in authoribus tum ueteribus, tum nouis describendis ponimus, uisum est lector optime te admonere in calce huius diuini operis de prudentia, nos cum recognosceremus præfationem, quam Pontanus author operi præposuit, obseruasse Lyceum Scholam Platoni attribui, cum omnium græcorum, & latinorum testimonio constet Platonem in Academia docuisse, Aristotelem uero in Lyceo. Curauimus autem apponendũ asteriscum loco, nihilq; præterea immutandũ, ut cum alijs omnibus, tum disciplinæ tanti uiri studiosis diligentes uideremur, et modesti. Vale.

Quod per Suardinum, & Thamyram mecum egisti, ut Pontani libros de magnanimitate, tua causa quamprimum ederem, quod ea de re multus tibi cum Pontano ipso, Romæ olim sermo fuisset habitus, feci id quidem libenter hortatu, seu potius iussu tuo, ut et tibi Iouiani nostri, ut audio, utq; in scriptis eius legitur, amicissimo, & Suardino pariter, ac Thamyræ, in re præsertim honestissima morem gererem. Sed tu hæc legens Coloti, caue, qua par est uiri admiratione ita obstupescas, ut quem olim Romæ Ferdinandi Regis legatum, apud Innocentium Octauum Pont. Max. de summa regni Neapolitani tã occupatum, agendisq; rebus tam peritum, atq; agilem uideris, eundem hunc fortasse non credas, cui tantum ad rerum cognitionem, ac scientiæ studia uacauerit. Hic idem ille, si nescis, est Iouianus Pontanus, in utroq; uitæ genere, ut uides, admirandus. Adueniet profecto, adueniet tempus, quo nobis, quibus hominem uidere contigit, inuideatur, tantoq; alumno Vmbria tua felix iudicetur. Tu uero quo exquisita hæc otiosius legas, intermissa paululũ Sertoriana illa militia, ad quam ipse à Pontano es haud immerito uocatus, depositisq; hasta ac clipeo ad notas te aliquando Musas refer, non ad Hetruscas illas tuas, in quibus summam tibi iam pridem gloriam comparasti, sed ad Latinas has itidem tuas, quas non minus à puero, quàm siue Hetruscas, siue Græcas coluisti. Atq; hæc interea lege, à te tantopere exspectata, dum & alia deinceps multa, conterranei tui scripta qua decet per nos diligentia edantur. Vale.

Pontanus Umbrie natus

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE MAGNANIMITATE AD ILLVSTREM VIRVM ANDREAM MATTHAEVM AQVEVIVVM MARCHIONEM LIBER PRIMVS.

m AIORES TVI ANDREA Matthæe, a quibus Aqueuiuorum familia ducit originem, longa quidem serie, perq; complura etiam secula, magna cum beneuolentia, maiore etiam authoritate, & gloria Vestinorum Populis dominati sunt, quorum tranquillum ac diuturnum imperium, gubernandi lenitas potissimum auxit, stabiliuitq́;, grauitate tamen pro causis, ac temporibus, modeste admodum, prudenterq́; temperata. Atq; illi quidem ad Iosiam usq; auum, atq; ad Iulium Antonium patrem tuum delectati bellicis tantum studijs, in eo genere laudum, excellentiæq́; claruerunt. Pater uero tuus, cum minime quidem assequi posset quod maxime utiq; cupiebat, ut militaribus ornamentis laudes eas adiungeret, quæ è literarum comparantur studijs, atq; cognitione, illud tamen summa cura, singulari etiam diligentia præstitit, et opera, quo, tuq́;, fratresq́; item tui, quandiu ætas cuiusq́; tulit, optimis sub præceptoribus instituti, ita erudiremini, ut cum ætas ipsa firmior iam, magisq; robusta ad tubam uocasset, ac gladium, ipsis è ludis literarum, atq; historiarum delectionibus, animi magnitudinem, cumq́; ea pariter maximorum uobiscum ducum, atq; imperatorum exẽpla in aciẽ afferretis. Nam & ipse sic bonarũ artium studijs dedisti operam, ut equestribus tamen copijs, diuersis etiã in bellis non semel fortiter simul prudẽterq́; præfueris, et militare decus, ac belli gloriam ita es assecutus, ut philosophia, cæteræq́; artes bonæ, te & authore, et magistro glorientur, Et seni iam mihi, atq; annos plurimos maximis in rebus agenti, gloriari etiam liceat, uidisse tandem principem uirum, & in medijs philosophantem belli ardoribus, & philosophũ inter libros, naturæq́; ratiocinationes tractantem ducum artes, muneraq́; imperatoria, utrunq; cum dignitate, neutrum sine suo & decore, & laude. Itaq; cum nec armatum te uerear offendere de hominũ moribus, deq́; uirtute differens, nec uersantem libros, non uel sum-

mopere delectare, mitto ad te quem proximis noctibus elucubraui de magnanimitate librum. Quam equidem disputationem, te etiam uel hortante, uel iubente, literis mandandam statui. Quam tu ita quidem leges, ut qui eam sis recogniturus. Ego uero eo consilio tibi illam mitto, ut nec exhortationibus ipsis tuis, nec iussis putem ullo modo satisfactum, nisi breui alij quoq; sequantur hunc, non de ijs modo rebus libri, quae ad mores quidem omnino pertineant, uerum etiam ad naturae ipsius, rerumq; coelestium cognitionem, atq; scientiam. Sed nos praefari iam desinamus. Tu uero ante quàm legere Aristotelea haec incipias, ita quidẽ statuas, post prudentiam, quae uirtutum dux, & moderatrix est omnium, post iustitiam, quae societatis humanae retinaculum est arctissimum, magnanimitatem maxime esse consentaneam principibus, ac rectoribus ciuitatum, nihilq; aut maius illis, aut potius, aut sequendum esse, aut desyderandum.

Honorem inter bona ciuilia primum locum optinere.

QVOD DIIS PRIMVM Immortalibus pie, reuerenterq; tribuitur, deinde regibus, principibus, magistratibus, cum summo etiam cultu, & summum illud, & maximum, merito existimandum est suo, quippe cum & dijs tribuatur, quibus nihil est omnino maius, et pontificibus, ac regibus, quibus post deos nihil est in teris sanctius, nihil augustius. Id ipsum autem est honor, quem quod ubiq; comitetur reuerentia, eaq; quod seiungi ab illo nequeat, icirco duobus ex his gignitur ea, quae ipsis & Dijs, & regibus, ac magistratibus summa cum dignitate inest, quaeq; sua de magnitudine, maiestas est dicta, mundumq; omnem temperat, ut inquit Poeta ille maxime tibi affinis, eminentissimeq; ingeniosus. Nam quid obsecro, Dijs ipsis immortalibus, orbem uniuersum resq; tum naturae omnis, tum hominũ moderantibus, aut quid regibus magistratibusq;, pro susceptis publice, priuatimq; tã multis, tanq; urgentibus curis, molestijs, laboribus retribui maius potest? aut quae referri conueniẽtior gratia, quàm honor, quàm reuerentia, cultusq; ille, & maiestati debitus, & ipsis illis, qui paternum pro nobis, deq; rebus quoq; nostris patrocinium suscipiunt, ac curam, subeũtq; difficultates tum maximas, tum maxime erumnosas, ac periculorum plenas? Quo fit uti ipsos inter hoies, ipsisq; in ciuitatibus, nihil honore habeatur, aut existimatione maius, aut amplitudine etiã dignius spectatiusq;, nihilq; rectoribus ipsis populorum, ac gentiũ optabilius

sit, magisq; expetitum. Et uero honor, in quam omnes quidem opinionem simul consentiunt, uidetur præmium esse uirtutis, earumq; actionum, quæ & uirtutes constituunt, & ipsæ quoq; eædem sunt uirtutes. Et si nihil uirtute ipsa maius est, aut præstabilius, nec præmijs externis per se indiget, nec honori famulatur, uerum id agit, in coq; est tota, ut emineat, atq; ut est spectabilis, ita quidẽ in summo gradu conspici, et in prætio haberi iure suo uelit, coq; tanquam excitamento quodã alliciat ad se se consectandam, atq; exercendam homines. Igitur honor exhibetur benemerentibus, ut recte factorum pretium, ac laudatorum facinorũ, siue ut in militia signum gerendisq; magistratibus, siue ut excitamentum quasi quoddam ad bene de uirtute merendum, perinde, ut in certamine uincentibus laurea, quæq; uetustissimis illis seculis dicta est Adorea. Oportet autem ut expetentem coronam prodire in certamen, quo illam assequatur, sic & qui honorari cupit, eũ sese omni è parte gerere, dignus honore ut & habeatur ab omnibus, & iudicetur à sapientibus, & ipse illo se dignum meritis suis existimet. Nam & è theatris plausum, nisi spectatus prius, reportauit nemo, & qui spectatus, perinde, ut dignus præmio suo exornatur. Itaq; præterquam si spectatus, dignus plausu habitus est nullus, nec uictor euasit quispiã, nisi pugna prius exãclata, aut coronã in Olympia meruit, nisi qui ea dignus est antea iudicatus. Non temere igitur in prouerbium ferè abijt, uirtutis ipsius prætium honorẽ esse. Itaq; si Dijs, pontificibus, regibus, summis si magistratibus honos exhibetur, si & uirtuti ut dignum prætium, gratiæq; consentanea relatio, quã uis, ut dictum est, nullum ea extra se prætium constitutum habeat, nihilq; se ipsa maius, digniusq; existimet, primum quidem tenere locum, humanis cum ciuilibusq; in rebus oportet, maximumq; omnino esse bonorum externorum omnium, atq; ut maximum, sic etiam pulcherrimũ, summeq; expetendum. Honor itaq; unde honesti nomẽ ductũ ciuileis inter, humanasq; actiones huiusmodi quidẽ est, externaq; inter bona. Cũ diuitiæ ipsæ, ac rerũ copia familiarium illius ante conspectum utiq; sordeãt, nam et diuitias, & potentiã, summã per turpitudinem adepti sunt, & adipiscuntur quotidie non pauci. At honorem uerum, syncerum, solidum, uiro dignum nisi per uirtutem assecutus est nemo. Cum etiam diuitiæ non raro postremorum sint flagitiorum authoramentum. Nam & Alexãdri pater Philippus Græciæ libertatem, seu seruitutem potius ab improbis ciuibus auro mercatus dicitur. & multi patriam pecunia uendidere, alij filiarum, aut uxoris pudicitiam, pro quibus quis bonus dubitet mortem oppe-

tere? Iure igitur pater tuus probatissimus uir dicere solebat, Solem quidem & teras illustrare radijs suis & cœlum, honorem uero hominum actiones præclarissimaq; facinora. Atq; uti exploratrix esset colorum atq; indicatrix lux, sic honorem indicem decernebat & generosorum pariter & degenerantium animorũ. Nanq; ut pecunia materies quasi quædam est & liberalium & magnificorũ hominum, in qua illi quidem cum laude uersantur etiam summa, sic honor, & eorum qui magno & præstanti sunt animo, & qui contra pusillo & degeneranti, perinde, ut eadem pecunia auarorum, atq; sordentium. Abunde liquet igitur honorem maxime expetendum, ijs præsertim, qui in luce hac ciuili, hominumq; societate uersantur, utpote illustrium factorum omniũ laudabiliumq; actionum testimonium, ac meritum. Et uero ut quisq; maxime generoso est animo, ita honoris est expetentissimus, quam ad rem natura ipsa duce rapiatur. Nanq; in tam multiplici ingeniorum diuersitate, natura ipsa rebus hominum consulens, quosdam etiã ingerat, quanquã perpaucos eos quidem, quorum studium sit, omnisq; cogitatio, & cura erga res maximas, ac maxime arduas, quod illorum animus maior insit, ac uehementior calor, & quibus, ut Poëta inquit, igneus est uigor. Etenim globus ille igneus, ut deorum regionibus maxime affinis est, sic maxime animos incendit ipsos, ad ea quæ diuiniora ipsa sint, atq; inter mortales habeantur prima. Quocirca huiusmodi homines necesse est optimis & institutis inniti, & artibus, multisq; pariter clarescere uirtutibus, quo honorem ipsum assequantur, qui præstantissimarum sit meritum actionum, quando nisi per uirtutem, cuius ipsius æstimatur pretium, aspirare ad illum nullo pacto queant. Cuius quidem rei haud sciam an ne alius locupletior esse testis possit Publio Cornelio Scipione, quo in uiro splenduerit admirabilis continentia, singularis fortitudo, mira integritas, summa pietas, ac religio, incredibile benefaciendi alijs studium, incomparabilis amor in patriam ac propensio, quibus ipse, atq; alijs artibus supremos assecutus est honores in patria omnium prima, tanta cum admiratione gentium omnium, ut Scipio homine quidem maior sit existimatus, creditusq; Iouis filius. Longe uero alia in Catilina ratio, scelerum, atq; flagitiorum omnium illuuie, ac sentina. Cuiusmodi homines non honoris quidem expetentes aut studiosi, sed grassatores illius potius sunt habendi. Itaq; in bene constitutis ciuitatibus Catilinæ similium ciuium similes plerunq; sunt exitus. Quo fit ut magni sit omnino animi, per uirtutem ad honorem contendere, in ma

gnisq́; uersari, ac maxime claris actionibus, perinde tamen ut opor-
tet, ac decet, rectáq; ut iubet ratio, quo illum adipiscantur. Id quod
nomen ipsum magnanimi præ se fert, ipsiusq́; magnanimitatis ap
pellatio.

Magnanimitatem esse mediocritatem quandam, Pusillanimi-
tatem defectum, inflationem uero excessum.

Nec uero magni uir animi honorem tantopere expetat, quærat, pro il
lo contendat, nisi eo se dignum omnino persuasum habeat. Quod ut
sibi ipse persuadeat, animi eius magnitudo impellit singularisq́; præ
stantia, bonarumq́; artium studium etiam summum. Quocirca de
honore quantum hac in parte satis est, explicatum cum uideatur, con
stetq́; hominum alios nimium, contra alios parum, mediocriter ue-
ro alios erga eum commoueri, & affici, uitiáq; ipsa cum aut exces
sum sequantur, aut defectum, nimirum mediocris ad honorem affe
ctus, moderatáq; animi impulsio mediocritatem constituet eam, quæ
quoniam inter parum, ac nimium, locum obtinet, uirtus est utiq; ap
pellanda, eademq́; erit illa, quam magnanimitatem uocari, paulo est
ante dictum, et qui sit ea præditus, eundem illum magnanimum uo
cabimus. Qui uero animo degeneranti sit, ac pusillo, longiusq́; rece-
dat à medio, propter innatam relassationem, pusillanimum, defe-
ctumq́; ipsum pusillanimitatem. Contra uero qui animo turgescen-
ti, ac uasto, longeq́; amplius quàm quod æquum & honestum est,
de seipso sentiente, lineam prætergrediatur, tumidum, quando habi
tum ipsum tumorem, tumiditatemq́; maiores nostri uocauere. Nec de
fuere, qui ita quidem affectos, inflatos, habitum uero ipsum, ac uitiū
inflationem dixerint, ac turgiditatem. Itaq; neq; improprie fortasse,
neq; parum apte definierimus, magnanimitatem mediocritatem esse
quandam, circa honorem, illum quidem magnum, quo se iure di-
gnum, ac bene meritum putet, is qui magnanimus uere dicendus ap-
pareat, Qui neutiq; magno esse animo aut dici, aut existimari iu-
re mereatur, nisi in magnis uersetur rebus, & in eo quidem genere
magnitudinis, quo honor ipse etiam magnus contineatur, qui in ho-
minum quidem opinionibus, ac mentibus & primus sit, & habeatur
maximus rerum externarum omnium, quando honor ipse exter-
num quidem est bonum, & primum idem, ac maximum, addamus
licet & pulcherrimum. Nam & diuitiæ, rerumq́; plurimarum co
pia, & opes, & potentia eo pertinent, uti honorentur, & qui cu
mulandis illis inhiant, & qui opibus, potentiaq́; ciuitatibus in ipsis

pollent. Itaq; cum sit hoc ipsum summum inter externa bona, cætera præ illo sordescant, ut quidem sordescunt omnia, necesse est. Cum diuites etiam non rari inhonorati, & despecti uixerint. Contra uero pauperes permulti, atq; haud magna cum re in maximis & honoribus, & magistratibus constituti, summa cum gloria claruerint. Qualis Fabritius, qualis Publicola, cui mortuo ob rei familiaris angustias funus de publico est factum, qualis Scipio ille, cuius filiæ post patris obitum, quod paterna pecunia ad collocandam uiro eam satis non esset, dos est etiam de publico persoluta. Parum idonee quidem inter hos Romanæ rei publicæ principes, ac fortasse etiam impudenter, me ipsum numerauerim, tu temet tamen scis Andrea Marchio, quem apud Ferdinandum Regem locum tenuerim, quæq; apud illum mea & authoritas fuerit, & gratia. Is igitur cum grauibus quibusdam me, quæ tunc agitabantur rebus præposuisset, idq; ego ferri à filio permoleste animaduerterem, nec recusare onus ulla id ratione ualerem, dicere haud sum ueritus, onus illud me quanquam male libenter, fidenti tamen animo suscepturum, nec deterriturum cogitationes meas, aut filij contumeliosum animum, aut suam patris ipsius in filium indulgentiam, habiturum enim me aduersus utrunq;, quanquam acerrimos accusatores, maximum tamen patronum. Quod rex dictum uehementer admiratus, scire è mecum pertenderet, qui nam is patronus esset, Paupertatem tum inquam o' Rex, ea me aduersus accusationes & tuebitur uestras, & liberum absolutumq; in iudicio sistet.

Qui & quales sint tum pusillanimi, tum inflati, & tumidi.

Verum quo magnanimitatis ipsius species honestior, magisq; augusta appareat, ante quàm de ea dicere aggredior, uitia ipsa quæ sint & qualia, defectus scilicet, atq; excessus, & qui sint, & quales tū pusillanimi, tum qui dicuntur tumidi, ordine suo aperiam, hinc primum exorsus, idem procul dubio usuuenire in magnanimitate, q̃d & in pulchritudine, quæ nisi magno in corpore inesse nequeat, oportet enim pulchritudinem præ se ferre dignitatem, quæ pusillo in corpore quonam modo inerit? breuitas cum ipsa corporis, staturæq; exiguitas contemptum sui ingeneret, ac despicientiam? Nam etsi magnifice dictum est de Tydeo.

Maior in exiguo regnabat corpore uirtus.

Dicentem tamen consyderemus Aristotelem ex Poëtæ sententia speciem primo quidem loco dignam esse, Nam & Iuliano Augusto non parum detraxit corporis status exilior, licet res ab eo gestæ essent quã gloriosissimæ, animus'q; ipse longe semper gestis amplior. Contra uero Maximino robur corporis, atq; proceritas, etsi abunde ipse incompositus erat, uel plurimum tamen adiumenti attulit, ad hominum nõ opinionem modo, authoritatem'q; excitandam, uerum etiam admirationem. Quæ tandem illi in perniciem uerterunt, cum magnitudo ipsa animi, rerum'q; amplitudo gestarum in impotentiam sese omnino conuertisset, seu agrestem potius, ferinam'q; immanitatem. Prisci quoq; scriptores referunt, nonnullas apud gentes creandis regibus, formam statum'q; ipsum corporis ualere quamplurimum. In Carolo Octauo Galliarum Rege, qui paucissimis ante annis arcessitus ab Italicis potentatibus, immo ingentissimus conductus fuit stipendijs, ad Alphonsum Neapolitanorum Regem patrijs, auitis'q; pellendum sedibus, Inerat non summa modo liberalitas, uerum singularis animi magnitudo, propulsandis periculis, bellis'q; suscipiendis. Nam humanitas, comitas, popularitas'q; inerat ei tanta, ut in Rege nec maior desyderari deberet. Summum tamen in modum dignitati eius detrahebat oris deformitas, ac totius corporis parum compositus status, ac si non etiam Vespasiani Augusti os expositum & ipsum fuerit scurrarum maledictis. Sed redeamus ad rem ipsam. Quemadmodum autem pusillo in corpore inesse nullo modo potest formæ dignitas, quãuis decor forte insit aliquis, aut uenustas, ac ueluti minutis quibusdã in floribus afflatus quasi quidam, sic pusillo in animo & perquam demisso, nulla omnino magnitudo aut dignitas, nulla prorsus celsitudo, aut maximas ad res aggrediendas honesta ac uiro digna inesse commotio. Aristoteles, quos maiores nostri tanquam à delicijs bellos appellant, uocari ait quasi à ciuium deblandimentis, populari'q; à laude ἀστείους, eosdem etiam à membrorum responsu & conformatione, συμμέτρους, qui lingua nostra sunt conformati, ut quorum artus, ac partes corporis inuicem sibi conuenientes, decenter pro statu ipso respõdeant. Iidem nec pulchri nec formosi aut nostra, aut Græca dicuntur lingua, nam etsi belli, uenusti, concinni'q; ipsi sunt, pulchri uero, formosi'q; nullo certe modo habentur. Qua ratione nec magnanimi, nisi qui magno, atq; excellenti sint animo prædití. Siquidẽ hæc ipsa magnanimi mediocritas alio est de genere, quàm illorũ, q in mediocri pecunia dandi seruant, atq; erogandi mediocritatem. In magnis enim, ac uere etiã magnis uersatur, et qđ à Virgilio dictum est,

» Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
» Vertitur, arma tenens, & toto uertice supra est.

Natura autem ab ipsa ita comparatum est, ut quemadmodum hominum statura, aliorum est procera, aliorum breuis, aliorum communis, atq; inter proceram & exiguam media, sic in animus quoq; usu ueniat, ut alijs magnitudo insit, & tanquam proceritas, alijs exiguitas, quæq; proprie magis pusillitas dicatur, alijs modestia quasi quædã. Cuiusmodi homines, quia paruo se dignos ducant, modicoq; sint contenti, appellare modestos solemus, quod nec maiora ipsi expetant, aut quærant, quàm quibus se dignos statuunt, & gerendis illis idoneos, pro æstimatione de semet sua, suoq; iudicio modum retinentes. Hiq; tantũ ac fortasse amplius distant à magnanimo, quantum à procero illo & eminenti corporis statu, qui sunt breuiore, ferunt tamen suam & ipsi laudem, ac pretium. At magnanimis omnia quidem et insunt & debentur magna, decora, eximia, maxime rara, atq; admiratione digna. Contra uero pusillanimus omni è parte despicabilis, abiectus, degener, cuius animus quamuis sit ipse ignobilis, ac pusillus, seq; deijciat, tamen longe etiam minoris seq;, resq; facit suas, itaq; uel inferiorem quàm ipsius captus est, se se in cunctis gerit, & si aut propter generis nobilitatem, aut maiorum merita, alijs'ue de causis ampliora forsitan mereatur etiam aliorũ iudicio, ac sententia. Quo' circa eo despicabilior est, quod nequaquam ob inscitiam, atq; insipientiam, uerum ob innatam ignauiam atq; timiditatem non moueatur ad ea consequenda, quæ & suapte natura appetenda sint, & ipse se dignum illis esse intellegat, qua è re deterior quoq; efficitur. Nam cum ex honesta rerum laudabilium administratione uirtus perficiatur, dum administrationes ipsas fugit, et laudabiles, & bonas actiones fugit. Itaq; ignauus, iners'q; sit necesse est, adde & improbus. Quid enim improbius, quàm quod commendatione dignum, honestum, pulchrum, ac bonum sit nolle id agere, longius'q; ab illo per desidiam fugere? Secus autem inflatus, & tumens, qui præter omne meritum, & magnum se se censeat, cum minime quidem sit, & præclaris, atq; excelsis dignum, cum sit illis omni è parte impar, minimeq; idoneus. Itaq; quod iniquus suimet ipse sit æstimator, sua falsus opinione deceptus'q; iudicio, cum nec uera, nec se digna sibi arroget, intumescit, & tanquam uento nimio, ac non suo feratur, uelis nimio plus inflatis præceps impellitur, ridetur'q; ab ijs omnibus, quibus inflatio eius bene est cognita, quin etiam aut calcatur, ut parum omnino dignus, maleq; idoneus,

aut ex honore

aut ex honore ipso, seq; indigno munere, infamiam sibi comparat, atq; obiurgationem, non sine populari odio, atq; inuidia. Persæpe enim non pauci è tumidis, atq; inflatis in male constitutis ciuitatibus, malis ipsi artibus per ambitionem ad honores euehuntur, primosq; etiam magistratus, quorum quidem administratio referta esse soleat ciuium improbationibus, maledictis, odio, detractionibus. Itaq; & illi longissime distant à magnanimo, propter animorum extinctissimos igniculos, & hi præter ius, fas, decus, honestatemq;, irrumpere in magnanimi castra, ut uiolenti, & quidam quasi grassatores conātur, dum supra quàm eorum ferant partes, & meritos se, & dignos etiā maioribus falsò existimant, longeq; plura sibi arrogant, quàm ipsorum sit captus. De hoc autem hominum genere potissimum narrari per iocum consueuit, ac risum Horatiana illa fabella, cum

Repetitum uenerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

Ac nihilo minus pusillanimitas ipsa magis aduersatur magnanimitati, quippe quæ & honorem ipsum defugiat, qui primū inter mortales locū teneat, et ab honestis ac præstantibus ob imbecillitatem, ac deiectionem abstineat actionibus, quæ bonos ac probatos uiros faciant, nec patiatur in ijs uersari, de quorum exercitatione magni euadant, & excellentes uiri.

Omnino autem pusillanimi, intumescentesq; maxime inter se differūt, quod horum animi ab excessu ita quidem rapiuntur, ut proprijs uiribus maiora affectent, sintq; pro captu tamen suo nimij. At magnanimis comparati & longius ab illis distent, & tanquam defecti uiribus oneri aut impares appareant, aut sub eo concidant, cum magnanimi ipsi ubiq; emineant, spectenturq; maiores. Illi uero alteri cum omni sint è parte degenerantes, nihil eorum animus omnino inest, qđ ratione referri aliqua ad animi magnitudinem queat. Itaq; non ab inceptis modo generosis ob insitam humilitatem, atq; abiectionem turpiter deterrentur, uerum eorum mentes ab illustribus & paulo etiā spectatioribus siue expetitionibus siue cogitationibus ignauiter auertuntur. Nec uero in eodem siue uirtutis, siue uitij genere singulis sibi è partibus omnes sunt similes. Nanq; & è tumidis, atq; inflatis quidam exsistunt, qui licet nullo pacto meriti, dignos tamen se uel maximis quidē statuant. Quidam etiam cum sint suo quodam in gradu collocandi, altioribus tamen se, longeq; præstantioribus dignos cēseant. Leuius profecto uitiū, nauigatioq; non adeo periculosa, uitiū

tamen, quæq; uelificatio non uacet periculis, iactationibus'q; & uentorum, & fluctuum. Et hi quidem digni forte uideantur uenia, cum difficilis sit admodum omnis ferè iudicandi ratio, ac de seipso præsertim, ut neq; supra quàm par est quispiam, neq; infra, de se; rebus'q; sentiat suis. Sunt eodem è grege, quos non ideo accuses, quòd dignos se, idoneos'q; existiment, cum utiq; ipsi sint, sed quod ob insolentiam intumescant, animorum'q; elationem. Itaq; ut à magnanimo qui recedunt alij modesti habētur, alij demissi, pusilli, abiecti, sic eorum, qui pusilli cum sint, nec uideri ipsi uolunt, nec intra modestos continere se aut uolunt, aut sciunt, duplex etiam est genus, nec non & illorum item, qui tumidi, inflati'q; seipsos non ignorant modo, uerum etiam à recto tota prorsus aberrant uia. Eadem quoq; et illorum diuisio, qui quanquam non omnino præcipites, sese tamen ipsos magis ignorant, quàm decipiunt, ut qui bona corporis constitutione freti, uiribus'q; abunde ualentibus uitulum ferre humeris satis cum habeant, conantur & taurum, Crotoniaten illum Milonem superaturi, uani admodum conatus, incepta'q; parum honorabilia. Verum enim uero quanti se quisq; facere habeat, qua'q; etiam regula metiri, quod'q; de illo alij iudicium ferre debeant, difficile est iudicatu, quando, ut Ouidius ait,

» Et mala sunt uicina bonis.-

Quam ob rem neq; inconcinne, neq; parum perspecte dictum est ab Aristotele, non quicunq; se maioris censeat, tumidum illum esse.

Addubitabit hic forsan aliquis & quæret, inflatus'ne iste, tontopere'q; intumescens cum maiora ipse sibi & persuadeat, & adiudicet, an ipsos illos uiri magnanimi, aut æquet spiritus, aut superet, quæ dubitatio prorsus est repellenda. Siquidem hic ipse tantopere qui turgescit, opinione quidem sua, suoq; inflatus uento tumet, decipit'q; sese, frustratur'q; cogitationes suas, suaq; consilia, atq; incepta. Quo enim hic pacto aut accedat ad magnanimum, aut ante illum eat? Cum magnanimus in maximis illis, maxime'q; excelsis rebus, quibus sese dignum atq; idoneum merito suo iudicat, mediocritatem studiosissime retineat? Nam neq; à mediocritate recedit, qui quanquam in maximis illis & quantumuis excelsis rebus, pro amplitudine tamen ac dignitate modum retinet sua, quem quidem retinere neutiq; potest, qui uento huc illuc inaniter rapiatur. Etenim magnanimus, si magni habeas parui'q; rationem, summo quidem in gradu constituitur, ac nihilo minus magnitudine in ipsa, recta à ratione nullo modo digreditur, qua duce, se'q; & illa dignam retinet mediocritatem, perinde,

ut qui cum sint ipsi locupletissimi, pecunijs tamen utendis à modo, mensuráq; minime recedunt, séq; rectæ undequaq; rationi accommodant, cuius usus in omni quidem re administranda mediocritatem gignat, Ac si non & maximarum ductores copiarum, modum, mensuramq; ductandis illis adhibeant, ut minimarum etiam copiarum duces, exercitus tamen ipsius tum qualitate, tum etiam quantitate pensata. Itaq; medium ipsum, in quo uirtus sedem sibi erexit, non à re quærendum est ipsa, sed à rectæ rationis usu, temperatáq; illius administratione. A qua uitia quidem aut destituuntur propter langorem, atq; imbecillitatem, aut illam fugitant præ immoderatione, atq; impotentia. Igitur inflatus iste, & pertumescens, nec si eius rationem habeas, mediocritate ulla utitur, nec rursus ad magnanimum si respicias, mensuram adhibet aliquam, quin potius et secum ipse agit exsuperanter, relicta prorsus ratione, Et magnanimum si consyderes, summam præ se fert & imbecillitatis suæ, & illius magnitudinis ignorationem, atq; præstantiæ. Itaq; paucis ut absoluam, inflati, atq; turgescentes ad eos ipsos si respexeris, exsuperantes quidẽ sunt, ac nimij, Sin ad magnanimum, defecti uiribus, longéq; imbecilli, ut qui ab omni quoquouersum mediocritate absint quamlongissime. Igitur & ab ipsa magnanimitate, quæ ubi à mediocritate destituta fuerit, ruat oportet, aut in perniciem eius, qui eam sectatur, qua minime opus est uia, aut urbis, populi, gentis, in qua hoc contigerit. Ad hæc utriusq; & tumidi, & magnanimi merita si consyderentur, hic ipse magnanimus ut maximis quibusq; et est, & habetur dignus, sic etiã necesse est idem ipse, & optimus, & optimis etiam artibus instructus sit, atq; exornatus. Nanq; ut bonis & honestis ciuibus honos debetur suus, paráq; referenda cuiq; est gratia, sic optimis maximi honores, maxima etiam præmia & conferenda sunt, & etiam referenda. At qui seipsum decipit, iniquusq; sui æstimator ac censor est, & iudex, ad eaq; contendit uel rapitur potius, quæ parum omnino compositi sunt, ac turgescentis potius ingenij, quo hic honore dignus esse possit? aut quánam meritorum dignatione honestari, aut gratia? Quid qđ inflatum hunc, & quæ ad ipsum nullo modo attineant arrogantẽ sibi, necesse est iactantem esse, séq; & sua ostentantem, patefaciẽtemq; cum primis aures assentatoribus, captantemq; uanitate ingenij popularis auras, seruientem deniq; multitudini, dum folles suos uanis impleat sufflatibus, iniustus ipse & uir, & ciuis, qui quod suum ipsius non est, eripere contendat alijs, indignis omnino artibus, ac male temperatis moribus. Contra magnanimus quomodo ostentet sua, iactetq;

sese inaniter, qui sui ipsius minime laudator exsistat, uixq; patiatur se coràm ab alijs laudari? qui magnitudine contentus sua, seq; dignam maiestatem retinens, à multitudine abhorreat, cum sit ipse cæteros inter omneis eximius, uelitq; nulli secundus esse, nedum ut popularibus passurus sit subijci se rumoribus, ac fabellis. Ad hæc iustitiā ita colat, æquitatemq; ut æquus ipse sit & æstimator, ac iudex rerum suarum, nec eripere alijs conetur, quod suum non esse, sibiq; deberi nullo modo intellexerit. Nam quod dicunt inflatos minime incommodanteis esse, aut nocendi cupidos, uidendum est quomodo id fieri possit, qui si in ciuitatibus uiuunt, quæ legibus temperantur, reguntur'q; sub magistratibus, fieri qui'nam potest, nemini ut noceant, cum magistratus, honoresq; alios indigne, arroganter'q; conferri sibi contendant, qui alijs iure ipso debeantur. Itaq; nocere eos & incommodos esse oportet, etiam in re maxima, honor enim inter ciues maximus habetur. Constat autem duplici eos uia recedere à mediocritate, et quod de se amplius quàm par est sentiant, & quod quæ alijs debētur, ipsi sibi uindicare studeant indigne, iniuste'q;, etsi cæteris in rebus minime sunt fortasse mali. Quo'circa abiectione ipsa animi, ut pusillanimus recedit à medio, hoc est à magnanimi celsitudine, & ab eo, in quo magnanimitas collocata est gradu, sic intumescens hic ob inflationem animi, suiq; ipsius ignorationem insolenter, temere, sine pudore, parum iuste ambiendo excedit, atq; ita quidem excedit, medium ut ipsum imprudens, suiq; parum potens prætereat, ac nihilo minus ad magnanimi præstantiam accedere nullo modo queat, cum sit & consilio destitutus, & operam temperare suā, seq; ipsum coërcere omnino nequeat. Quid quod cum magnanimus ipse singulis fere à uirtutibus præsidia sibi comparet, Inconsyderatus hic à pluribus contra uitijs circundatus obsidetur ab immoderatione, incontinentia, improbitate, impudentia, rapiturq; à grassatione, uiolentia, impotentia, iniustitia. Qui igitur et quales tum pusillanimi sint, tum inflati, quæ item tum pusillanimitas, tum inflatio, satis ex ijs, quæ dicta sunt, patere arbitror. Quæ quidem uitia longe apparebunt fœdiora, ac magis, magisq; turpia, ubi magnanimitatis ipsius facies sese ostenderit, cultumq;, ac formam ipsa suam spectandam præbuerit, sequi ipsam uolentibus. His in hunc modum explicatis, & quibusdā quasi coloribus inter se distinctis, quo uitiorum, ac uirtutis species magis inter se dignoscerentur, nunc ad ea transeamus, quæ magnanimitatis uidentur esse propria, ad magnanimumq; spectare & munera, & officia.

Qui & qualis sit magnanimus.

P rincipio oportet eum, qui ad magnanimitatis decus, ac gloriam est ꝑuasurus, natura sit ab ipsa munus ad hoc genitus, frustra enim repugnante ea nitetur. Igniculus nanq; ille, de quo iam diximus, male q- dem accendetur, aut flammam edet in minime apta materia, ad concalescendumq́; parum apposita, nulloq́; modo idonea. Oportet itaq; natura ab ipsa constituta esse huiusmodi principia quibus nisi consentienter constitutis, stimuli illi qui ad honorem excitant ac laudem, aut nulli futuri sunt, aut parum certe idonei ad magna & praeclara complectenda, aut quibus exercitatio adhibita, consuetudoq́; adiungere haud multum queat, futurũq; sit, exercitatio ut ipsa, atq; desyderatio deprauetur adeo, ut ad ea intendatur, quae nec ingenij sint eius, neq; proprij omnino muneris, deniq; ad ea ut rapiatur, quibus ipse nullo modo sit idoneus, ducaturq́; uanitate potius, quàm ratione, quae uirtutum omniũ, et huius potissimum, regulam, ac mensurã teneat. His itaq; principijs, insitoq́; à natura uigori accedat necesse est institutio ea, quae à cõsuetudine, moribusq́; profecta, naturae ipsi congruat, ciuitatiq́; in qua ipse natus, altus, educatusq́; est, ad summosq́; in ea magistratus, atq; honores contendit adipiscendos, quaeq́; et legibus conueniat, & honestati, sine qua honoratus euadere queat nemo. Quo fit ut institutio, atq; assuetudo, naturae adiuncta principijs, ciuilibusq́; firmata institutis, cogitatione, ratione, ac natura duce & magistra, mirifice augeat, confirmetq́; animum obeũdis magnis, et laude, ac commendatione dignis muneribus. Cõfirmatis igitur naturalibus principijs, accedenteq́; institutione, ac consuetudine, insurget magis, magisq; in dies animus. Cumq́; idẽ hic ipse q̃d ad magnanimitatem honeste, ac laudabiliter ꝑgit, praemunitum se natura senserit, eaq; institutione confirmatum, quae ciuilibus moribus, legibus, ipsiq́; rationi maxime consentiat, tum uero dignum se se honorificatione magis, magisq; in dies iudicauerit, peridoneumq́; ad ea tractanda, quae honore ipso digna sunt, atq; operaepretio. Alexander Mamaeae filius Seuerus in aetate satis tenera, Augustus à Senatu salutatus, Magnum se appellari noluit, cũ id illi nomen publico consensu esset oblatum. Nam quid ego, inquit, magnifeci? Sensim igitur ac progressim ita sese instituit, ut & aulam, et Senatum, et urbem ipsam à contaminationibus Heliogabali, impuritatibusq́; expurgauerit, et in suam dignamq́; Romano imperio formam restituerit, seq́; sic ad quascunq; principe dignas artes extulerit, ut inter magnanimos prin

cipes princeps ipſe ſumme magnanimus uideri poſſit. Tale igitur magnanimi ingeniũ, talis inſtitutio atq; aſſuetudo, tale etiam eius ipſius iudicium erit, atq; æſtimatio, neq; à natura digreſſa, neq; legibus aduerſans rationabilibus'q; præſcriptis. Conuentum autẽ, hominum'q; ſocietatem eam in qua magnanimus educetur, conſtituimus, legibus, moribus, atq; æquo inter ciues iure uiuentem, ac ſeruantem publica decreta, uiuendi'q; æquabilitatem, quibus è rebus bonum illum uirũ, & probum ciuem ſtatuimus, adhæc & peregrinis, & aduenis, ipſiq; hominum generi pro facultatibus amice pariter, ac fideliter conſulẽtem. Talis enim, tan'q; excellens uirtus, laus'q; tam eximia niſi bonum in uirum cadere minime poteſt. Nam et praui honore ſunt indigni, qui ſi honorari ob uirtutem uelint, ſe'q; honore dignos putent, nimirum ridendi omni è parte ſunt, perinde, ut ſtulti, ſtolidi, deſipiẽtes, quæ uitia à magnanimo q̃ longiſſime abeſſe qs non uideat? Magnanimus hic igitur, de quo nunc diſſerimus, natura primũ, deinde moribus legibus'q; bene conſtitutus, atq; inſtitutus erit, & in ea quidẽ ciuitate, in qua honeſte, ac pari etiam iure uiuatur, ſit'q; in honore probitas. Nanq; ut agrorum ſic etiam animorum uaſtitas ipſa inculta eſſe ſolet, & ſqualida, feris tantũ, nocuis'q; animalibus patens. Quid enim uaſto animo, & à ratione ac legibus aberrante pernicioſius? Sed iam ad ea quæ magnanimitatis, uiriq; ſunt magnanimi diſtincte explicanda, noſtra ſeſe conuertat oratio.

De officio magnanimi.

Primum igitur magnanimi munus eſt, ſe'q;, animum'q; metiatur ut ſuum, et quid ſe dignũ ſit, cui etiam ipſe ſit rei idoneus, atq; appoſitus, tanquam è ſtatera perpendat. Perſuadere autem ſibi longe plura, ac maiora, ad quæ neq; ſit omnino aditus, neq; uia pateat ulla, uani eſt, & ſe ipſum decipientis hominis, longius uero cogitatiões euagari ſinere, in caſſum'q; conferre operã, q̃d eſt aliud q̃ in irritum iactare actiones ſuas? Iure igitur deterrere ab incepto Phaethonta filium pater ſtudet apud Naſonem inquiens,

» Magna petis Phaethon, & quæ non uiribus iſtis,
» Munera conueniant.-

Itaq; quale inceptum eius fuerit, et q̃ iniquus ipſe uiriũ ſuarũ æſtimator, exitus docuit non ridiculus modo, uerũ etiã maxime miſerabilis. Oportet igitur magnanimũ, æquũ cũ primis eſſe ſui ipſius, uirium'q;, ac facultatum ſuarũ æſtimatorem, dimenſorem'q; minime uanum ex

petitionum suarũ, ac rerum earũ, ad quas intendit, consilio, opera, atq; actionibus suis omnibus. Persuadere autem sibi supra uires, supráq; ingeniũ, et attentare ea, ad quæ non sit accessus, hominis est incõsyderati, parumq; omnino confirmatæ mentis, quæ in homine quidem magni animi maxime sedata esse debet, minimeq; immoderata, aut lubrica, suiq; ipsius ignara. Nam si priuatim cuiquam, magis, quàm uniuersim cunctis, præceptum illud traditũ est, Nosce te ipsum, præcipue uideri potest, ut COLOTIVS BASSVS NOSTER, VIR CLARISSIMVS putat, magnanimo traditum. Itaq; ob difficultatem nullo in genere laudis ac uirtutis euadunt rariores quàm in hac ipsa, quæ ab animi magnitudine expetitionumq; ipsarum, atq; ab ipso fine qui est honor, uocata est magnanimitas. Cæsar diuina, & humana peruertisse accusatur, dum cohibere animum, & in gyrum rationis agere cogitationes, atq; consilia aut nequit, aut parum utiq; uult sua, Maléq; & se ipsum & res suas dimensum esse illud palàm fecit, quod suis etiam à beneficiarijs confossus fuerit.

Qualis esse debeat magnanimus in beneficijs collocandis.

Publius Scipio tum ciuis, Senatorq;, tum imperator nunquam plene laudatus, qualis magnanimus eẽ debeat in beneficijs collocandis, operáq; multis impartiẽda abunde quidẽ docuit. Quo circa benefaciẽdi studium uiam sibi ad honorem maxime certam comparabit, conferẽdo operã suam quam plurimis. Quæ enim res maiorẽ in ciuitate colligere potest beneuolentiam, q̃ beneficentia? quæ maiorẽ fidem, atq; authoritatẽ adiungere, q̃ ut is ipse sis, in cuius præsidijs omnes constãter sperent, nemo uereatur iniuriã? deniq; quid tantã potest ingenerare in animis ciuiũ admirationem, q̃ ut omnes uideãt, intellegãt, sciant in te uno et publicum et priuatum ciuium bonum esse collocatũ? Itaq; ubi tria hæc simul conuenerint, ut ament te omnes, ut fidem habeant, ut admirentur, quid deesse potest, aut quid non adesse, ad honorem, ac gloriam assequendam? Scipio idem Africanus, quem qui ueris honoribus dant operam, proponere sibi ante oculos, ut uerum, ac fortasse solum ueræ magnanimitatis exemplum, & tanquam speculum debet, non temere domum è foro se aut curia recepisset, nisi beneficio prius aliquo bene collocato. Itaq; fertur de eo, quo die operam suam nulli contulisset, regressum eum domum, non modo grauate id tulisse, uerum etiam obiurganter questum esse, quod amici diẽ

amisisset, O uocem præstantissimo uiro idest Scipione Africano dignā. Nullum etiam præteriisse diem proditum ab iis est, qui de Alexandri Seueri rebus scribunt, in quo non ille pium aliquid, liberale, humanum fecerit, publici tamen ærarij ratione habita, ut quamuis imperaret, sciret tamen moderatum se prudentemq; reipublicæ dispensatorem esse debere. Præcipue igitur in hoc contendet, totusq; in hoc erit uir magnanimus, ut prosit, si possit, omnibus, noceat nemini, nisi ratio, iustitia, maxime honesta causa, necessitasq; aliter tulerit. Nā cum proprium magni sit animi uelle studere, adniti, quo in honore habeatur & prætio, iis ipse artibus dabit operam, quibus plurimos beneficij deuinctos, maximeq; obnoxios sibi adiungat, quæ sola est, ac uera ratio alios subijciēdi, uidelicet neutiq; per uim atq; iniuriā, sed uera tantum uirtute, moribusq; quàm probatissimus. Quid enim est aliud honorari uelle ab omnibus, quàm ante ire omnes uelle? hoc nisi per uirtutem assequi quo nam alio modo quis poterit? Nanq; ab inuito si extorqueatur, esse honor desinit. Cum uis hæc quidem sit ad comparandū in libera ciuitate dominatum, nequaquam tamen ad magnanimitatis assequendū decus accommodata. Etenim magni animi uir qui ex hoc dictus est magnanimus, uel acerrimus libertatis defensor est, qui cum turpissimum esse ducat seruire aliis, uel inhonestissimū quidem iudicauerit, per uiolentiam, ac metum alios ad seruiendum compellere. Quando Hercules ut magnanimus monstra hoc est tyrānos, atq; impotentis homines domuit, liberasq; ciuitates ac nationes esse uoluit. Quo nam enim pacto ui utatur atq; extorsione magnanimus, qui ab aliis beneficia accipere etiam oblata defugiat? cum sit eius propriū nolle obligari, nemini debere, nulli esse addictum, quin deuincire sibi ipsi alios potius, ac subijcere conferendis operis, ac beneficiis. Quando eius qui beneficium confert, partes omnino potioris sunt ac superioris, illius uero, qui accipit, inferioris, longeq; minus præstantis. Itaq; quàm benefaciendo delectatur, tam ipse recusat, paruumq; omnino honestum ducat, ac nullo modo suum, ab aliis accipere, fieriq; obnoxium. Quo fit ut & rogatus libenter, & non rogatus sponte multa conferat, in bonos scilicet, ac beneficiis dignos, & quidem gratuito, solamq; ob benefaciendi gratiam. Neq; enim aut fœneratur uir magnanimus, aut captator est, minimeq; id aut agit, aut respectat, quo emat sibi eum, cui benefacit. Sed quia animi magnitudo eius sic ferat, ratioq; quam sequitur, utq; nihil inde exspectet, præter beneficij conscientiam, et honorationem eam quam ex se ipsis consuerint benefacta adducere etiā aut nolētibus, aut nō cupientibus

nobis. Nam etsi ueteri est in prouerbio, beneficium manere retributionem, mercenari tamen hæc ratio esse, uiri autem potest nullo modo magnanimi, quē nec pecunia moueat, aut aliud remuneratiōis genus ullum, quàm animi magnitudo ipsa, quàm honor, quo se dignum iudicat, quem solū sequitur, ad quem actiones suas omnes, suaq; cōsilia refert cuncta, quo se alijs deniq; superiorem fore, omnibusq; ante ferri et cupit, et summo etiam studio contendit. Tantum uero abest, ut de referenda sibi gratia, deq; remunerando sit solicitus, ut siquando, quod usuuenire est necesse, beneficio se affectū senserit, è uestigio det operam, quo se ab obligatione liberet, properetq; ad remunerandū. Cuius rei adeo multum inest ei studium, uoluntasq; tempore propensa, ut multiplicata remuneratione, peracumulatisq; meritis longe quidem arctius, atq; contentius à quo beneficium acceperat, illū ipsum sibi obliget, efficiatq;, quod mercatores usurpant, ex creditore debitorem. Est enim eius, qui excellere cæteris cupiat, nolle cuiquam debere, minimeq; alijs esse obnoxium. Quin illud præcipue cauebit, euitabitq; tanquam scopulum, supplicem se cuiquam facere, aut rogantis personam induere. Quod ad munus si ratio, si necessitas, si maxima aliqua, atq; honestissima quandoq; adduxerit causa eum sese nihilo minus geret, ut etiam in rogando, eius appareat animi generositas, præstantiaq; illa magno, et excellēti uiro digna. Itaq; apud Virgilium, Aeneas tempestate iactatus, & partim amissis, partim quassatis nauibus, his apud Didonem agit.

» Prohibe infandos à nauibus ignes, &,
» Parce pio generi, & propius res aspice nostras. Quo autem uultu, quoq; animo ea diceret, declarant illa.
» Quem sese ore ferens, quàm forti pectore & armis. &,
» Credo equidem, nec uana fides, genus esse deorum,
» Degeneres animos timor arguit. heu quibus ille
» Iactatus fatis, quæ bella exhausta canebat.

Magnanimum male libenter accipere, aut supplicare.

Quando autem eius, q beneficiū accipit, partes sunt, ut dictū est, omnino inferiores, dātis uero superiores, potioresq;, iccirco magnanimus male libenter, aut accipit ipse ab alijs, aut precatur, ac rogat, uult enim nullo modo subijci. sed quod magni esse statuit animi, partes ubiq; et habere, et gerere superioris, eiusq; q alijs præstet. Quocirca studiū erit eius, benefaciendo demerere alios, ac palàm feret, eo se è studio, et cu

*ra magnam utiq; uoluptatem capere. Itaq; non ut qui exprobet, aut
qui arrogans uideri uelit, libenter commemorat quæ à ſe exſtent be
neſacta in alios, ſed ut qui commemorando ea, delectetur, ipſáq; re-
cordatione ac memoria excitetur magis, magisq; ad eiusmodi beneſa
ciendi conſuetudinem. Quo fit ut aut ipſe raro, aut uix aliorũ in ſe
beneſacta commemoret, non quia ſit aut ingratus, aut male illorum
memor, quippe quem remuneratorem longe liberaliſſimum eſſe di-
xerimus, & cuius animi magnitudo maxime appareat in referen-
da gratia, quo ſe ab obligatione uendicet, uel quod id agat potius, ut
è debitore ſe creditorem conſtituat, ſed quod accepti beneficij memo
ria teſtificatio ſit quaſi quædam, ab alio ſe in eo magnitudinis genere
ſuperatum. nihilo minus & rerum commutationes humanarum, &
fortuna ipſa, quæ res noſtras ex libidine, ut pleriq; exiſtimant, magis
quàm ex uero uerſat, agitatq́;, eiuſmodi adducunt nonnunquam
tempora, ut uir magnanimus ſit ipſe et liberalis, maximéq; gratus
commemorator accepti beneficij, et expugnatus ingratitudine magis,
quàm uolens rapiatur ad exprobrandum. Vbiq; tamen et retinebit,
& præ ſe feret ſuam illam animi magnitudinem, ut neq; ira uinca-
tur, ac dolore in exprobrando, neq; in commemorando ſpecies ulla ap
pareat inſolentis, ac male uel non bene fortaſſe conſtituti animi.*

Magnanimum uirum libertatis eſſe cultorem.

*In hoc autem tractatu Andrea Matthæe, qui eſt de magnanimitate, ad
monet nos Plautus, faciendam eſſe de libertate mentionem, quam tra
dat Herculis fidiſſimam ubiq; comitem, nauem tamen ingredientem
noluiſſe illum ſequi, marine ſubijceretur ac uentis. Nec tu ipſe teme
re fortaſſe mecum es aliquando, nec parum quidem miratus agentem
de magnanimitate Ariſtotelem nullam prorſus de libertate habuiſſe
mentionem, contentum, ut arbitraris, ijs, quæ de honore dixiſſet, déq;
magnanimi conſilio, iudicio, propoſito, qui & reliqua præter honorē
parui omnino duceret, et cunctos hac in parte ſibi inferiores eſſe uel-
let. Quæ eiuſmodi quidem ſunt, ut cum libertate ſimul & conſe-
quenda ſint, & retinenda. Quæ nanq; ineſſe magnitudo in animo
qui liber non ſit poteſt? quomodo uera ſui ipſius exiſtimatio, aut re-
ctum eius iudicium, in quo ſeruile inſit aliquid? quánam uia recte
ſentiat, aut iudicet animus, qui ſui iuris minime ſit, prauis, atq; corru
ptis addictus affectibus? Verum excuſare iure poteſt Ariſtotelem,
quod rationem rectam ſequendam eſſe præcipit, quæ animum ipſum*

ab omni seruitute uindicet, temerarijsq; aut parum sedatis affectibus. Quod quamuis ita sit, non pigebit tamen pauca quædam hac in quæstione et causa etiã de libertate disserere, non de ciuili illa qdẽ, in quam se asserunt q manumissi sunt, uerũ de ea in q̃ se asserit liber a uitijs, animus, nullis libidinibus obnoxius, nullisq; expugnatus affectibus, uerum illos ipsos qui sibi per uirtutem subijciens, & conciliat eos, & moderatur. Vir igitur magnanimus nemini cum pareat, nulli se inferiorem ducat, cum primis liberum esse eum oportet. Cũ præsertim animi magnitudo illa sine libertate esse nequeat, nihil enĩ seruile magnum. Sed quæso & hoc quoq; consyderemus, num parere qui uelit nemini, nulliq; esse inferior, pariturus sit ipse legibus? Videlicet Hercules Iouis filius non ipse paruit Iunonis imperijs? non morẽ gessit Eurystheo illius nuntio? Dices Iunonem fuisse deã. Atqui ciuiles deæ sunt leges, morumq; instituta bonorum, & ipsi humani sunt dij, et bene quidẽ institutorum hominum dij. Quid quod bonus uir, idẽq; magnanimus, ipse sibi lex est? Itaq; legibus dum paret, dijs paret imortalibus, paret demum sibi ipsi. Nullius autẽ alius q sentit imperiũ, is uere liber est. Quid quod seruitus ad herum refertur, nemo autem sibi ipsi seruitutem seruit? At magnanimus sibi ipsi cum paret, atq; obsequitur, seruit omnino nulli, Quocirca maxime omnium magnanimus liber est, nam nec exteriorem ueretur herum, nec interiores expauescit, aut obseruat tyrannos. Nam qui obsecro aut superbiores tyranni, aut quorum dominorum acerbiora imperia, quàm immoderatorum appetituum, quàm illegitimarum cupiditatum, quàm sordentium uoluptatum? quibus compressis, ac intra gyrum rationis coercitis, non est, exteriorem cur aliquem dominum uereare. Quamobrem magnanimus uir undiq; quidem liber est, uacuus ipse malis cupiditatibus, compressor titillantium affectuum, uictor, expulsor, fugator turpium nefariarumq; cogitationum. Maxime igitur omnium liber est. Cuius autem patrocinium eximia hæc de qua nunc quærimus uirtus susceperit, an potest is seruus esse? Est igitur magnanimus ut iustus uerusq; rerum suarum æstimator, ut honoris solius studiosus, & cupidus, sic etiam nemini parens, nullis rebus addictus, præterquam exercendis magnis, ac maxime generosis tum actionibus, tum cogitationibus, quæ illum ad clarissima atq; honestissima quæq; & hortantur, & impellunt, ut affirmare iure ipso possimus eundem hunc maxime omniũ esse liberum, quippe qui magnis ac maxime honestis et claris intentus rebus nihil unquam degenerans, fœdũ, turpe admiserit, admittatue, nihilq; quod non omni

sit è parte honestum, pulchrum, etiam admirandum agat, cogitetq;. Quae quidem & uera, & certa, & sola etiam libertas est, & qui ita sunt instituti, ij maxime etiam liberi. Quam quidem quoniam assequi maxime est difficile, nec maxime solũ difficile, uerũ etiã rarũ admodũ, iccirco rarissimi ex omni genere uirtutum euadunt magnanimi, cum necesse sit, quod affluentissimorũ est fontiũ, scatere ut illos aquis, sic hos uirtutibus permultis ac diuersis, summaq; in primis probitate, beneficentia, fortitudine, continẽtia, et ad actiones omnes contentione, qñ & magna et illustria eorũ cuncta esse oporteat negotia, facta, officia, qbus ex omnibus hominũ sibi potissimũ conciliẽt beneuolentiã, atq; opinionem ad honorationẽ, reuerẽtiam, admirationẽ. Vt uere quidẽ liceat dicere, spectare ad magnanimum qcqd quacunq; in uirtute, & qbuscunq; in actionibus, ac muneribus insit praeclarum, excellens, maximũ, ac maxime omniũ commendatione dignũ, demum ut eius ipsius sit munus, opus, officiũ, quod in quaq; inest honestate, animorũq; excellentia operaepretiũ, sitq; necesse magnanimum ornari ea corona, quae uirtutum omniũ nobilissimus, selectissimisq; è floribus sit cõtexta, utq; in quaq; materia, ac uirtute id teneat, ac possideat, qđ in illa est maximũ, pulcherrimũ, decentissimũ, Perindeq;, ut ipsa ornamentum est ferè quoddam uirtutum caeterarum omnium (illustrat enim illas, multoq; spectabiliores facit) sic corona sese hac insignit, tanquam de illis ipsis & uniuersim, & sigillatim bene merita. Atq; haec quidem hactenus.

Quia uero eorũ qui in ciuitate uiuunt alij in dignitate quidem agant, multis ornati diuitijs, magnaq; in rerũ affluentia constituti, alij autem contra sordescant inopia, humilitate ipsa pressi, atq; hos iter sint etiam, medium qui locum teneant, uir ipse magnanimus eum sese statuet, geretq; apud diuites & opulentos, atq; in dignitate constitutos, ut insitam illã à natura, moribusq; confirmatam animi magnitudinẽ nõ retineat solũ, uerũ ut singularẽ operã, studiũ, contentionẽ adhibeat quacũq; in actiõe et munere, quo magnus ipse exsistat, et generosus atq; apud praestãtissimos quosq; multo maxiẽ et praestãs, et gloriosus, atq; ĩter illos insignis. Id qđ de Museo illo suo Poeta noster ait.

Atq; humeris extantem suspiciat altis.

Mediocribus uero cum hominibus eadẽ neutiq; ab eo ratio habẽda est, neq; eadem apud hos adhibenda contentio, quando magnis qui sit assuetus, facile admodum mediocritatem retineat, quam tamen ita retinebit, ut intellegant omnes magnis quidem eum atq; excelsis delectari, sequi tamen apud illos modestiam, ac temperamentum,

quo eis satisfaciat magis quàm sibi ipsi, quanquam & sibi quoq; ipsi, ne uidelicet à decoro recedat. Lucius Lucullus qui mortales uisus est cunctos anteire magnificentia domestici apparatus atq; conuiuiorum, pro magnitudine quidem cœnaculorum apparatum ipsum constituebat, ipsa uero cœnacula, apparatus'q; pro dignitate eorũ, quos in conuiuio accepturus esset. Adhibuit itaq; Lucullus minore utiq; in re delectum, ac diligentiam tantam, quam scilicet uir magnanimus in re longe maiore, immo uero maxima, maiore etiam cogitatione, & cura non adhibebit? quando longe est aliud magnanimi personã gerere, quàm splendidi hominis. Nam quod ad infimos, ac plebeios pertinet, licet magnanimi locus, pro illa animi celsitudine, ferè nullus apud eos sit, memor tamen ipse & obseruator Poëtarum esse debet, referentiũ deos aliquando è cœlo descendisse in terras, humiliá'q; haud dedignanter agricolarum subiisse tuguria, Dicet'q; cum Euandro illo Arcade, atq; ad se quidem ipsum, perinde, ut ille ad Aeneam conuersus.

» Aude hospes contemnere opes, & te quoq; dignum
» Finge deo. –

Quale igitur futurum sit magnanimi studium, quæ etiã ratio ad uersus eos, quibus cum uersabitur tenenda, ex iis, quæ dicta sunt iudicari facile quidem potest. Nam quamuis à seipso recedet nunquã, à magnitudine tamen illa sua sic diuertet aliquando, ut conseruata dignitate pro loco tamen, ac tempore, minores sese ad res accommodet. Quod in equis contingit generosis, ut nunc totis ipsi in cursu contendant uiribus, passu nũc tantum pleno ferantur, aliquando ita sedato & modico, ut penè uideantur sistere, uix'q; loco moueri.

Omnino autem magni cum sit animi peculiaris, ac propria libertas illa Herculis comes, de qua diximus, qui illam sequi uolent, ueritatis potissimum cultores erunt. Non metus illos coeget occultare sententiã, non utilitatis spes rem ipsam intuebuntur, se'q; dignos mores amplectentur, magis quàm popularem illam, quam pleriq; sequuntur assentandi tum leuitatem, tum malitiam, dummodo obsequiis, adulando'q; consulant emolumentis propriis. Verax igitur erit uir magnanimus, neq; aut se populari metietur iudicio, aut sua ad aliorum referet opinionem. Turpe est enim, noscentem se ipsum, neq; discedentẽ à uera, & excellenti magnitudine, accommodare sese uel potius obsequi uulgaribus opinionibus, & tanquam in famulatu uiuere. Videlicet famulaturus est populo, qui merito suo præesse cunctis & uelit, & contendat? id'q; unum in animo suo constitutum habeat? Erit itaq;

& ueri prædicator, quemadmodum magni eſt amator, atq; honeſti, non tamen ut odium inde quærat, proprias ob commoditates, quæ enim emolumenta, & commoda ualebunt amplius apud magnanimum, quàm ciuium beneuolẽtia, quàm honoris ſtudium? qui ab odiẽtibus quidem extorquetur uerius quàm exhibetur. Quæ res liberis in ciuitatibus pernitioſiſſimas ſæpe turbationes excitauit, bellaq́; inteſtina etiam atrociſſima, quamuis ob publica commoda, ueritatisq́; ipſius gratia, pro loco tamen, ac tempore, & manifeſtas interdum incurret in inimicitias, & mortem etiam oppetet. Tanta illi recti, ineſt boniq; defendendi cura, tantumq́; publicæ ſalutis, ac libertatis ſtudium. Terentiana uero illa ſententia pro re tamen, ac loco nimirum improbanda non eſt. Non ſi mortales mihi omneis inimicos capiundos cenſeam. Marcus Tullius Cicero in coniuratione illa Catilinaria, quibus non ſeq́;, resq́; ſuas omneis periculis expoſuit? Infinitus eſt Chriſtianorum numerus, qui tuendam ob ueritatem mortem euitare nullo modo uoluerint. Cicero idem uocaret hac ipſa forte in parte Catonem teſtem. Sed nos pari nequaquam in loco ponimus & mortem oppetere, & manum ſibi conſciſcere. In uero igitur aſſerendo, ueritateq́; tuenda neq; uiolentus erit, neq; ſeditioſus, aut litigator. Vis enim tyrannorum eſt propria, Seditio turbulentorum ciuium, Lis hominis omnino leuis, parumq́; ſibi conſtantis, controuerſiq; ac ſua ſorte minime contenti, perturbareq́; cupientis alienam quietem. Quæ uitia perinde, ut à uiro bono aliena ſunt, qualem eſſe magnanimũ uolumus, ſic ueritas cum ſit boni etiam uiri propria, eiuſdem erit familiaris, atq; amica. Cumq́; egregia, ac magna rara admodũ ſint, atq; omnino perpauca, quorum cauſa magnanimus moueatur, nimirum contentionis, ac litigandi ſtudium erit ab illo quàm remotiſſimum, quando ob leueis, atq; indignas cauſas turpiſſimum ducet deſcendere in certamen. Icirco minime contentioſus erit, litiumq́; excitator, atq; ut honeſtatis ſic etiam ueritatis exſiſtet, quàm obſeruãtiſſimus. Atq; hic quidem campus eſſet ad diſſerendum quàm latiſſimus. Verum hæc ipſa examinanti rei ipſius naturam uideri etiam ſatis multa poſſunt. Quamobrẽ ad alias magnanimitatis parteis ordine ſuo tranſeamus.

Iidem igitur magnanimi, ut ueritatis cultores, ſic amoris odijq́; neq; ſimulatores erunt, neq; diſſimulatores. Nam ſimulare, aut diſſimulare beneuolentiam, deceptoris eſt, fraudemq́; parantis hominis. Eadẽ quoq; eſt odij ratio. Nero Auguſtus dum odium diſſimulat, dum beneuolentiam fingit, ſæuitiam ſuam ferè in præclariſſimum quenq;

tum ciuem, tum Senatorem exercuit. Itaq; naturale uidetur esse magnanimi, palàm odisse, palàm etiam amare. Nanq; ut quispiam uel amet clàm, uel odio afficiatur in aliquem, necesse est à metu proficisci. metus uero à magnanimo maxime alienus est. Vbi enim magnitudo, inde metum abesse oportet. Tãtas has uirtutes, præclarissimamq; hãc animi indolem illa quoq; uel fidelissime comitabũtur, palàm etiã ut loquatur, & agat, quippe cui fictum omne molestum sit, maximeq; indignum appareat. Hinc illud,

» -Tenebras & inertia furta
» Palladij, cæsis summæ custodibus arcis
» Ne timeant.- Et quod eiusdem est rationis,
» Luce palàm certum est urbi circundare muros.

Quæ quidem uerba propria sunt magnanimi.

Callidum autem, inquit Cicero, è Pœnorum ducibus Annibalem, e nostris Quintum Maximum accepimus facile celare, tacere, dissimulare, insidiari. Quæ quidem ipsa uidentur prorsus aduersari magnanimo. Nam quem habeant in pectore eius locum fraudes, atq; insidiæ, in quo nihil sit omnino angustum, aut tenebricosum? cum deceptio, atq; insidiarum usus illorum sit proprius, qui uirtuti parum fidant. Itaq; Iulius Cæsar minime fuisse insidiosus legitur. Decet igitur magnanimum apertiloquentia, fiducia item, ac securitas, magnanimitatis ipsius sociæ. Contra insidiæ dedecent, ac deceptiones, fucata item uerba, atq; oratio, dolosaq; consilia. Quocirca fortissimi duces in mouendis castris, palàm iubent conclamari uasa. Timidissimus uero quisq; consilia, actiones, motus deniq; omnes ut sint quàm occultissimi, summo studio, & arte curat. Quæ quanquam prudentiæ uidentur esse propria, in timidis tamen uidentur potius ad formidinem referenda. Quod Alexander declarauit, cum amicis consulentibus noctu, atq; in tenebris cum Dareo pugnandum esse, respõdit nequaquam sese uictoriam furaturum. Quemadmodum autem apertum eum, insidiarumq; inimicum esse uolumus, sic omnino ab adulationibus alienum. Quid enim adulatoribus uendibilius, dicam etiam seruilius? neq; enim locum apud eum Terentianum habebit illud,

» Obsequium amicos, ueritas odium parit. Quid autem mirum, palàm illum aut odio quempiam aut amore prosequi, si rerum quidem, præterquam honoris, contemptor est omnium? contemnit eas autem, quia in animo eius magnitudo summa inest, summusq; rerum cæterarum contemptus, præterquam sui ipsius, hoc est honorationis. At qui uideri, quod de amore dicimus, deq; maleuolentia, immoderati

potest magis quàm magni animi, atq; à mensura recedẽtis. Quo circa quod dicimus tale est, ut uelimus eum palàm diligere, palàm odisse, hoc est liberum esse à simulatione, fraude, minimeq; esse uersipellem, neutrãq; in partem fingere, quæ omnia generosis ab animis aliena esse debeant. Nanq; simultatibus hoc est tacitis uti odijs omnino dedecet magni animi uirum, dedecet etiam & quem amet ignotum esse uelle, quippe cum ipse in luce uiuat. Et qui magnis illustratur honoribus, clarescitq; inter alios, amicitias suas occultas esse quomodo patiatur? Quod si magnanimitas uirtus est, ut in colenda ueritate, sic in amore odioq; declarando, modus etiam suus, suaq; mensura à magnanimo retinebitur, decoro ut satisfaciat, quod seruari relicta aut contempta ratione, cuius propria est mensura, ac modus, profecto nequit. Nec uero odium compellet illum ad maledicentiam, contumeliasq;, nec querulum faciet apertiloquentia, aut uanum, minime uero obtrectatorem, aut conuitiatorem, ab omni deniq; uerborũ acerbitate abhorrentem eum uolumus, præterquam si in turpem aliquẽ, ac dedecorosum sit inuehendum, Nam si palàm odit, & palàm, ubi locus, ratioq; ipsa tulerit, uitia insectabitur.

Meminerit tamen magni esse animi eiusq;, qui præter honorem cuncta despicit, & placabilitatem ubiq; seruare, et iniuriarum facile obliuisci. Itaq; odium eius neq; tenax erit, neq; diuturnum, studiumq;, ac propositum ut est eius, superbos debellare, compescereq; impotentes, sic uictis seq; prostrantibus parcere, ueniamq; impertiri sese dedentibus. Quid enim indignius, quàm iniuriarum perpetuam habere memoriam, uulneraq; refricare post obductam etiam cicatricem? Clamabat Cæsar in acie illa Pharsalica, Parcite ciuibus. Digna uox Cæsare, si post eam uictoriam publicæ libertati ciuibusq; ipsis, patriæ deniq; pepercisset. Quid contra homine ratione utente, atq; inter alios excellere cupiente aut dignius, aut quod magis exspectari ab eo debeat, quàm deuictis ut parcat, detq; ueniam petentibus? Agesilaus ille Rex & imperatorijs, & regijs laudibus abunde clarus, ex hoc ipso mirifice laudatus est, quod sua illa animi magnitudine remittendis condonandisq; iniurijs potissimum uteretur. Cum autem uindicandi cupiditas ab ira foueatur, quæ studium ipsum uindictæ excitat, iratorum uultus, uerba, oculi, motus uniuersi corporis declarant, quàm ea dedeceat, quodq; sanguinolentia illa ferarum sit propria. Itaq; appositissime dictum est à Claudiano,

-Nam cum uincamur in omni
Munere, sola deos æquat clementia nobis.

Et uero qui parcit, duplici ratione magnitudinem ostendit suam, & quod uicit (est enim uictoris parcere & q od illum cui parcit, forte aliquando contra insurrecturum minime etiam timeat. Generosum itaq; admodum illud Fabritij ad Pyrrhum, Saluum te ab insidijs uolumus, ut armis aliquando uincamus. Ferdinãdus Neapolitanorũ Rex à puero conceptum odium seruauit ad senectutem. Itaq; indigne multa, præterq; regiam dignitatem etiam in innocentissimos homines patrauit. Multa etiam sunt, quæ partim ridere, partim despicere, partim quæ ne audire quidem, aut scire uelle magnanimus uir debeat. Idem Cæsar in ignem coniecit & literas, & libellos aduersum se scriptos, minimeq; à se lectos, maluitq; ignorare maleuolentium, atq; aduersum se sentientium nomina, quàm habere certam illis causam irascendi. Augustus quoq;, multi cum accusarentur, male quod & sentirent de eo, & loquerentur, satis esse sibi dixit, qui nocere posset, penitus esse neminem, atq; in ciuitate libera linguas quoq; ciuium liberas esse oportere. Generosius Alexander Rex Macedonum, qui in detractores liberalitate quoq; usus sit, cum regium esse diceret, à quibus male audias, in eos etiam beneficentiam exercere. Generosissime autem Alexander Seuerus Imperator Romanus, deprehenso enim in coniuratione, tyrannidisq; affectatæ, conuictoq; Ouinio Camillo Senatorio uiro, atq; ad se uocato. At ego, inquit, Ouini Camille uel etiam maximas tibi gratias ago pro suscepta rei publicæ cura, tantoq; in eam studio, quippe qui sponte eius patrociniũ suscipere uolueris, quod non pauci & probati quidem uiri persæpe oblatum recusent. Atq; his dictis deductum eum secum in senatum, quanquam pertimescentem ob sceleris conscientiam & commendauit senatoribus, & imperij participem, ac sociũ appellauit, concessis etiã Augustalibus ornamentis, secumq; in palatio habuit, adhibuitq; in mensam. Quin etiam suscepta aduersum Germanos expeditione, secum ut proficisceretur hortatus est, proficiscentemq; ut socium prosecutus, donec ille pertæsus laborum, & abdicauit se imperio, & in uillam, atq; agros suos senex iam secessit. Idẽ itaq; ut facile ponet odiũ, obliuiscetur q; iniuriarum, condonabitq; placabiliter indigne admissa, sic & à maledictis, conuicijsq; abstinebit, ac præsertim querimonijs, quæq; etiam homine indignæ sunt, conquestionibus. Dicendi autem leuitas illa futilis, inanis, uana prorsus repellenda. Minime autem magnanimus ipse aut prædicator rerum est suarum, aut recitator. An igitur qui sibi ipsi, laudibusq; parcit suis, delectabitur maledicentia? Quiq; neq; captator est laudum, neq; earum curiosus, stude-

bit ne obtrectationibus, atq; conuicijs? quod muliebris est ingenij. An qui laudatoribus uix aures suas aperit, patefaciet'ne eas aut uituperantibus alios, aut linguam ipse suam ad criminandum exacuet? Et cuius oratio & rara est, & parca, & commendandis aliorum bene factis breuis, an ne erit in opprobrijs atq; uociferationibus intemperata, & multa? Iacobus Caldora magni, atq; excellentis animi dux hactenus militis cuiuspiam aut laudabat uirtutem, aut increpabat ignauiam, ut diceret strenue illum fortiter'q; in hac, aut illa pugna, & hoc, aut illo die, aut ignauiter se timide'q; gessisse. Erat enim hic mos eius, ut diem quoq;, ac pugnæ locum inter commemorandum referret. Itaq; neq; parcebat laudibus, aut ignominiæ, neq; in extollendo, aut obiurgando nimius erat. Nec uero prædicator ideo non est alienorum facinorum magnanimus, quod aut illis inuideat, aut q̄ occulta ea esse cupiat, Sed quia propter animi sui excellentiam cum nihil ei uideatur magnum, non est admirator alienarum laudum, ac benefactorum, nec etiam commendator suorum. Cum igitur pauca sint admodum quæ admiretur, quæ'q; digna se esse ducat, pauca omnino aggredietur, atq; ea quidem tantum, quæ ardua, præclara, prorsus magna iudicet, atq; in quibus eius animus dilatari, & tanquam persultare arbitratu suo ualeat, pro animi celsitudine, rerū'q; ipsarum excellentia. Et uero magnitudo tanta est ipsa, adeo'q; supra res humanas exposita, ut ferè cuncta quasi subiecta pedibus, atq; infra sese collocata despiciat. Itaq; non multa quidem sunt, quæ admiretur, quæ'q; aggredienda à se sua cum dignitate, atq; commendatione ducat. Ad hæc exteriores quidem res nequaquam tanti apud illum sunt, ut rationis rectæ monitu non se ipsum undiq; introspiciat, metiatur'q; & animum suum, & res ipsas, atq; æqua lance inter se perpendat, quo ueram proferre sententiam possit, sint nec'ne ab ipso aggrediundæ, quas quoniam raras, atq; admodum paucas, quæ aggressu dignæ sint, comperiet, ex hoc fit, ut rara omnino sint magnanimorum incepta, quæ'q; ab illis gerenda, administranda'q; suscipiātur, ea deniq; tantum, quæ magna ipsa per se sint, talia'q; ab ipsis iudicentur, Cum sciant, intellegant, cum Hercule ipso constitutum habeant, uirtutis esse, domare quod cuncti pauent. Proinde se'q;, suis'q; conatibus, atq; aggressionibus nihil dignum putent, nisi de quo recte dici, ac iure possit,

» Hoc opus, hic labor est,

» Pauci'q;, quos ardens euexit ad æthera uirtus.

Siquidem, ut pro dignitate apud Senecam dictum est, Herculis,

Semperq́; magno constitit nasci deum,
Magno semper constandum est magnanimo, quo in opere, quoq́; in facinore magnitudinem ostendat suam.

Quod Pado in Italia, Danubio in Germania, ingentibusq́; plerisq; flu minibus usu uenit, uti complures simul amnes confluant ad illorum constituendam magnitudinem, usu uenit etiam constituendæ magna nimitati. Quapropter rarissimi euadunt, ut dictum est, magnanimi, qui uere quidem sint exacteq́; magnanimi, ac non unam tantum aliquam, aut pluteis forte assecuti uirtutis eius partes. Neq; eni beneficum esse eum solummodo oportet, qua de re satis multa diximus, nec iustitiæ cultorem, temperantiæ, continentiæq́;, uerum etiam fortitudinis. Nam etsi pericula maxime difficilia, & in quibus pulchrum sit emori, materia sunt fortitudinis, et quidam quasi campus, in quo ea spatietur, nihilo minus magnanimitas quoq; in illis sese exercet, quæritq́; suum ex ijs decus sibi comparare, atq; honoratio nem. Vir itaq; magnanimus ut est rarissimarum omnino delector re rum, atq; etiam admirator (neq; enim quæ parua sunt pericula ut sese indigna adit, & quia non multa sunt, quæ ab eo magna existimentur, idcirco rara etiam sunt, quæ ab illo adeantur) adibit illa tantum, quæ magna quidem, ac se digna duxerit, in quibus utiq; il lustrari abunde, decenterq́; magnitudo eius possit, cum dignitate, atq; excellentia, in illisq; præ cæteris enitescere. Quod ut assequatur, eua datq́; uoti compos, uitæ suæ minime parcet, secus enim uita se indignum putet, ducatq́; indecorum uiuere. Itaq; in maximis illis quidem, pulcherrimisq́; inceptis ita uersabitur, uti in magnis maior ipse appareat, in maximis quoq; multo maximus, ac præstantissimus, Ideoq́; periculorum ipsorum erit contemnẽtissimus, quoq; maiora il la fuerint, eo se in illis fidentiorem præstabit, ut uideatur etiam illa nihili, ducere. Nam qui præter honorem cætera contemnat omnia, pro quo adipiscendo ne uitæ quidem parcat, necesse est hunc quàm fidentissimum esse, periculorumq́; omnium, quæ pro dignitate obierit, contemptorem. Habitus est Iouis filius Hercules, quod animi sui uiribus inferiora cuncta duceret, & quanquam pacasse orbem dicatur, nisi duodecim tantum eius non connumerantur labores, quia minora pericula parum se digna iudicauerit. ad hæc præterquam cum monstris congressus minime legitur, quod rarissima ea essent, cumq́; illis congredi supra hominem duceret. Nam et suffulsisse cœlum humeris uideri monstrũ potest, naturam cum excedat humanam. Quid? quod infans elisisse pusillis angues manibus decantatur in fabulis,

quodq; monstra superauit, prius quàm nosse posset, cum tamen nec per ætatem delectum habere ullum periculorum posset, nisi quia Ioue summo satus. An quod hæc qui primi finxere, idem illud censuerunt, quod natura ab ipsa comparatum est, eam scilicet esse à paruulo magnanimi indolem, quæ sese statim indicet, etiam cum decore ætatis illius. Quod maior ille Africanus præstitit adolescentulus in pugna ad Trebiam, recepto ab hostibus patre, eoq; uulneribus grauato, quam indolem post id, qualisq; ea omnino esset, longe apertissime indicauit, cum bellum sibi Hispanum refutantibus alijs, contremiscente re publica, depoposcit.

Fortunæ, ut Cicero existimat, magna est uis in utranq; partem, atque, ut Aristoteli uidetur, eadem quoq; magno est adiumento magnanimis. Itaq; & potentia, & diuitiæ, & claritas generis, quæ fortunæ dicuntur bona, ubi aderunt magnanimo, cum & ipsa quoq; honorem afferant, quis dubitet uel plurimum etiam conferre ad exornãdum eum, honestandumq;? cum enim & nobilitas, & opes in ciuitatibus, et rerum copia familiarium habeãtur in pretio, multiq; præsidijs indigeant diuitum, nobiliumq; familiarũ patrocinijs, ut ij honorentur admodum necesse est. Itaq; si adminiculetur magnanimo accessio ipsa tum generis, potentiæq;, tum diuitiarum, hisq; etiam è rebus honor accumuletur (quanquam uerus honor debetur tantum uirtuti, quod animi bonum est) tamen huic ipsi bono & pulcherrimo, et honestissimo cum accesserint etiam fortunæ bona, nimirum uirtus ipsa tanto & conspectior erit, & honorabilior. Quando & pretium, & honor accrescit etiam gemmæ, ubi auro exornatur. Quoniam autem in externorum mentionem bonorum incidimus, non temere prætereundum uidetur, quem sese in diuitijs, principatuq; habiturus est magnanimus, & qui futurus sit status eius, atq; conditio. Nimirum quem honores etiam summi non efferunt, an diuitiæ insolentem, aut principatus sui immemorem facient? Et quem moderatio non deseruit constitutum in summo illo honoris suggestu, quod bonorum omnium habetur maximum, deseret'ne in opulentia, & copia, quæ longe est honori inferior? Patietur ne magnitudo illa eius comes, infirmari animum eius, deq; suo gradu deijci? Quocirca & in diuitijs dignam se modestiam retinebit, & in principatu humanitatem uiro consentaneam, atq; eo quidem uiro, qui se ipsum & planè noscat, & quid quẽq; uitæ statum deceat, non ignoret.

An fortasse quam personam retinuit in prosperis, eam ipse abijciet in aduersis? ut quem felicitas non extulerit, aduersa frangant & aspera? quippe

ra? quippe qui nec tumultuanter, ut Cicero ait, eijcietur de gradu, sed præsenti utetur animo, atq; consilio, nec à ratione discedet, hoc est à se ipso. Est itaq; magnanimi proprium, ita lætari prosperis, ut ne id quidem nimis, eum'q; sese in illis gerere, rerũ ut humanarum nullo modo uideatur immemor, ita etiam commoueri aduersis, ut nullo pacto concuciatur de'q; gradu corruat suo. Miraberis fortasse quod dicimus commoueri asperis magnanimum, eundem'q; lætari non omnino multum prosperis. Nimirum commouebitur quia homo, quem natura ita constituit, ut lætetur iucundis, doleat tristibus, non consternabitur tamen, quem ratio quidem ducat, et animi magnitudo illa ubiq; uictorẽ statuat. Etenim in magnum, ac præstantem animũ, rerum'q; humanarum contemptorem non cadit consternatio. Quid? insolentem'ne facient illum secundæ res, atq; impotentem sui? minime id q-dem. Nam quid obsecro honoris affluentia secundius? qui primum inter externa bona locum obtinet. Igitur suprema dignitas quem nõ extulit, summus'q; honoris gradus sui non reddidit immemorem, efferent'ne longe inferiora bona, minus'q; ab illo expetita? ac decoris sui ut obliuiscatur, impellent? Quarum quidem rerum admiratione, ut pleriq; mortalium, neutiq; capiatur. Itaq; neq; magnanimus efferetur secundis, neq; deijcietur aduersis.

Igitur qui uideantur aduersantis fortunæ ictus, ac procellas ridere, quam sunt qui dominari rebus humanis uelint, qui secundas res atq; ad uotum fluentis diuitias, opes, potentiam non modo non admirentur, uerum quandoq; etiam contemnant, atq; despectui habeant, qui laudari res ab alijs suas minime ambiant, neq; ipsi laudandis alienis, quasi earum admiratores sese profundant, qui non quæcunq; pericula à se obeunda, ut'pote parum digna magnitudine sua putent, nisi summa ea fuerint, atq; ut ita dixerim, Herculea, quibus honor deniq; uix satis omnino uideatur, quamuis ciuilium bonorum supremum sit omnium, neq; etiam quiuis honor, aut qualiscunq;, hi iure quasi quodam elati superbi'q; iudicari solent à multitudine, atq; ex eo passim condẽnantur. Sed aliud est profecto superbum esse, aliud retinere grauitatem, ubi & quando opus est, ac supercilium. Etenim honoris comes est grauitas, eadem'q; magnanimitatis socia. Quid enim ab honore, atq; ab animi magnitudine alienius leuitate? Quid? quod superbiæ adiuncta eẽ solet crudelitas, cum è contrario magnanimi propria sit placabilitas. Est igitur magnanimus grauis non superbus, mitis atq; ad parcendum propensus, non sæuus, aut asper, facilis aditu, non difficilis, de suo conferens, non eripiens alijs, quod ui

tium ſuperbiam ſequi ſolet, illiq; inhærere. Idemq́; tutator bonorũ, propulſator iniuriarum, bonus deniq; ipſe & uir, & ciuis, & princeps, ſecus enim honore eſſet indignus, cum prauitas ipſa ſumme ſit uituperanda, atq; aduerſa fronte honori obſiſtat uituperatio, improbatioq́; reuerẽtiæ. Quomodo igitur ſuperbi erunt, atq; ĩpotentes magnanimi? quorum peculiare munus ſit benefaciendi ſtudium, atq; cõſuetudo? Deſinant igitur qui male hac in parte ſentiunt abuti uocabulis, & quæ grauitas eſt, eam appellare ſuperbiam.

Hanc ipſam uero ſuperbiæ opinionem multa ſunt quæ augeant, primũ commotiones uiri magnanimi, quæ tardæ quidem ſunt, ac ſine ulla leuitate, quæ enim magna tarda, præ magnitudine uidelicet ſua. Et cum honori, qui magnanimum antecedit, aſtet ſemper reuerentia, nimirum leuitatem abeſſe ab eo longius eſt neceſſe, quæ reuerentiæ plurimum aduerſatur. Deinde etiam uox grauis ipſa quidem, ac plena, cuius omnino ſonus nihil habeat muliebre, nihil puerile, aut languidum, minime uero petulans. Quid enim in magnanimo langore indecentius? aut abhorrentius petulantia? In Iacobo Caldora duce fortiſſimo iudicabatur uox tum plena, & grauis, tum etiam canora referre animi eius magnitudinem, & quandam imperandi authoritatem. Qua è re habebatur elatior, cum eſſet ipſe quidem perhumano, maximeq́; compoſito ingenio. Sed parte in hac præcipue nõ quid uulgus inepte ſentiat, uerum quid magnum uirum deceat, magis conſyderandum eſt. Deinceps oratio quoq; ſibi conſtans, eaq́; breuior, atq; inconfuſa, uerba ipſa expreſſa, quæq; præ ſe ferãt pondus, ac penſum, ut ne ullum prorſus uanitatis, inſidiarum, fraudis, intemperantiæ, libidinis ijs inſit indicium, ſed quæ animi potius præſtantiam, firmitatem, atq; excellentiam repræſentent, tum quotidianis in ſermonibus, tum etiam in deliberationibus, atq; inter conſultandum. Ipſa autem oratio nullo pacto aut præpopera erit, aut diuagans, temperandaq́; linguæ uolubilitas, Qui enim maximis de rebus eſt ſolicitus, ac neq; multis aut leuibus, ſed paucis potius, ac maxime grauibus intentus eſt, huic nullo pacto uideatur conuenire dicendi celeritas, & quædam quaſi præcipitatio. Cum minime quidem ſit ei properandum, propter rerum tum magnitudinem, tum etiam raritatem, quoniam, ut dictum eſt, magnanimus niſi magna non complectitur et præſtantia, quæ quidem ipſa pauca prorſus per ſe ſunt, aut non omnino multa. Etenim magno qui grauatus eſt pondere, is honere ab ipſo ne properet impeditur, & qui paucis occupatus eſt, huic feſtinatio, parum eſt neceſſaria. Ad hæc neq; acrimonia, neq; maior uehemen

tia orationi eius inesse debet, Torrens'q; ille Oratorius ab eo prorsus
alienus. Nam neq; uerbis ipse innititur, uerum rebus ipsis potius, et
collectio illa uerborum, efferendæ'q; orationis uehementia uidētur de
animi eius magnitudine haud parum detrahere, cum fucare uidea-
tur uelle orationem, atq; illius fuco trahere alios in suam sententiam.
Itaq; & oratio, et uerba, & motus ipse corporis, gestus, status retine
bunt ubiq; uiro dignam grauitatem, ac pensum magnitudini ipsi con
» sentiens. Incessus Catilinæ, inquit Sallustius, modo citus modo tardus,
» fœdi oculi color exsanguis. Quo'circa & incessus quoq; grauis eius
» erit, nec pedum modo, uerum manuum quoq;, atq; oculorum motus
» erit graui, & præstanti uiro, quiq; præter honorem cætera nihili du
cat omnia, conueniens, atq; appositus, omniq; è parte congruēs. Quæ
quidem ipsa magnanimitati cum sint coiuncta, ac rerū ipsarum ma
iestati, aliter'q; eā humillime sordescere sit necesse, quando magnani
mitas ab omni prorsus abhorret uanitate, inconstantia, fuco, nimirum
apud homines, q̄bus rerū natura parū nota est, falsam illā superbiæ
opinionē ingenerat, quæ suo nomine est grauitas, maiestati hominis
magnanimi & rerū eius dignitati coniuncta. Quod ita esse probi-
tas undiq; spectata declarat, uiuendi'q; innocentia, atq; ab beneficiē
dum semper occupata sedulitas, mens'q; nunquam à publicis, ac pri-
uatis beneficijs conquiescens. Minime uero insolentem debere esse eū,
aut rapacem, uiolentum'ue, aut rapto, subrecto'q; gaudentem, quæ ui
tia superbiæ comitātur, hæc docent, quod minime est querulus, de'q;
ijs præsertim, quæ licet minuta, ac paruiducenda, cum tamen defue-
rint in re familiari, īdigentiæ ut succurrat, nullo modo aut queretur
apud alios de inopia, aut subueniri sibi rogabit, ne uideatur mendica
re, quod ab eius magnitudine penitus & sit, et uideatur alienum. Cū
magni sæpe exercitus æquissimis, ac maxime contentis animis famem
tolerauerint, eam'q; constanter ferendo euaserint uictores. Ad hæc in
solentia, crudelitas, uis non cadunt in bonum, ac probatum uirum,
bonitatem uero, ac probitatem uirtus præstat. Quod si per uirtutem
magno uir animo et res moderatur secundas, et constat sibi in aduer
sis, nunq̄ committet, ut honor diuitiæ, potētia labefactent adeo eius ani
mi magnitudinē, ac robur, ut dilabatur ad superbiā, aut ut habēdi
cupiditas impellat ad rapinā, etiā ubi facultates pro animi magnitu
ne parum suppetent. Nec profecto et plurimorum, et præclarissimo-
rum ei uirorum hac in parte exempla defuerint. Cū ætas illa pri-
scorū Romanorū talis omnino fuerit. Itaq; siqui forte eiusmodi repe
riantur superbi, crudeles, rapaces, uiolenti, hi simulatores penitus ha-

bendi ſunt magnanimitatis, cum uere ſint nullo modo magnanimi. Quorum cum ſit proprium præter honorem cætera contemnere omnia, quæ'nam erit iſta contemptio, ſi ab habendi cupiditate, & ſtudio, ad uiolenta rapiantur ac turpia? falſo'q; inferiores ſibi exiſtimabunt alios, ſi à fœdiſſimis ipſi uitijs ſuperabuntur. Oportet enim uirtute, præclaris'q; actionibus præferentem ſeſe alijs hoc ſibi uindicare. Nemo autem remota uirtute, iuſtus eſſe æſtimator aut ſui, aut aliorum poteſt. Nullus quantumuis diues, ac potens, quantumuis etiam generis nobilitate inſignis, dignum ſe qui alijs præſit, iure recte'q; iudicauerit, uirtute neglecta. Quæ ubi uires, poteſtatem'q; retinebit ſuam, quas diximus opes, ac facultates, ſuperbũ illum & impotentem, aut petulantem et nequam efficient nunquam, multo uero minus turbulentum, facinoroſum, aut in bonos præcipue graſſantem, nec dijs ipſis parcentem, nec hominibus. Potentia nanq; ſine uirtute an ne eſt aliud, quàm gladius in manu furioſi? aut diuitiæ, præterquam inſtrumentum ad omnem petulantiam, atq; improbitatem? Itaq; quàm huiuſmodi homines à magnanimitate abſunt, tam magnanimi ipſi, atq; etiam longius ab elatione, atq; impotentia, & earum ſocia crudelitate. Immo uero magnanimi ipſius ubiq; comes erit, ubiq; ſocia humanitas. Nam ſi placabilis, ſi odij minime tenax, ſi facile etiã parcit, neceſſe eſt ſit etiam, & humanus. Ad hæc magnitudo illa animi niſi humanitate temperetur, in neruum rumpat oportet, neq; enim ita ſe alijs præfert, aut tanti ſe facit, uult'q; haberi ab alijs, ut hominem eſſe ſe obliuiſcatur, cum ſciat Deum nequaquam eſſe ſe, neq; inter deos agere, ſed uerſari inter homines, quorum maxime propria, ac peculiaris ſit humanitas. Non temere igitur à Poetis ficta, quæ de Salmoneo referuntur. Nero Auguſtus non minus fuit ridiculus, quàm crudelis, nam dum ſtudet cantoribus, muſicis'q; præferri omnibus, humanitatis loco, quam ſæuiendo in bonos exſuerat, deſpicabilitatem induit, atq; contemptum. Quo'circa ut iuſtitiæ rectitudo, liberalitati gratia, temperantiæ modus, fortitudini ſecuritas, ſic magnanimitati coniuncta erit humanitas, quæ & animi ſublimitatem, atq; excellentiam moderetur illam, & prudentia duce dirigat, cuius ſub ductu, auſpicio'q; euadat magnanimus, ut omnium qui uirtute præſtant aliqua, omnino maximus, ſic etiam præclariſſimus.

Ariſtoteles uirtutum omnium, atq; huius maxime diligentiſſimus inquiſitor, magnanimum uirum ſic ſtatuit, ut putet illum perinde, ac ſibi præfidentem, atq; in animi ſui celſitudine reponentem omnia præclaris'q; in actionibus, gauiſurum ipſum quidem rebus potius claris, ac

*magnitudine ſua dignis, quàm fructuoſis illis & ad lucrum, merca
turamq́; comparatis. Digna quidem & authore ipſo, qui loquitur,
& de quo loquitur magnanimo ſententia. Quo'circa quæres ipſe
fortaſſe, addubitabisq́;, qualia eius prædia, quales fundi, ædesq́; eſſe
debeant, qualis etiam ornatus corporis, ſupellexq́; uniuerſa. Dicam
ad hæc quæ ſentio, quæq; digna eo uiro, de quo nunc agimus, uideã
tur. Qui igitur cætera omnia, præter honorem deſpicit, præterq́; ma
gnitudinem illam, animo infixam, quæq́; magnitudine ipſa digna
uideantur, nihil quærit aliud, nihil affectat, nihil admiratur, an cu
rabit ornatum corporis, ac cultum? qui communis ſit pueris, mulieri-
bus, effœminatis etiam hominibus. At nihilo minus ornatus, ac cul
tus cum honore ſimul dijs tribuitur, inq́; bene conſtitutis urbibus, ni-
hil ornatu templorum prius, nihil ſacrificijs, ac ludorum pompis ma
gnificentius. Quomodo igitur deſpectui habeatur à magnanimo? q
mea quidẽ ſententia, ut magnus ipſe per ſe, atq; animo maxime cla-
rus, nec ornatu quæret corporis honorari, puſilla ſanè de re, neq; ob
lucra, quæ mercatorum præcipue ſunt, fortunasq́; prædiorum. Cum
ob animi magnitudinem nihil ſibi defuturum timeat, habeatq́; per-
ſuaſum, uirtutem abunde quidem omnia ſuffecturam, nihilq́; in ma
gnitudine illa animi, rerumq́; quæ ab ipſo adminiſtrantur, nõ ſum
ma etiam cum ubertate affuturum, ac ſiquid defuerit, paruum omni
no momentum habiturum. Nanq; ab Alexandro Rege Macedoniæ,
ante quàm in Aſiam tranſiret, diſtributis inter amicos, ac beneme-
ritos regijs prouentibus, ac rebus ferè omnibus, dicenti Perdicæ, Ec
quidnam tibi ſupereſt o' Rex, Spes ille reſpõdit, quæ uox futuræ fuit
magnanimitatis non obſcurum indicium. Verum cum homo ipſe ſit
plurimisq́; (ut qui magnis uerſetur in rebus) indigeat, nequaquã pa
trimonium ubi ei opulentum fuerit, negleget, quo benefaciendi ſuppe
ditetur copia, alatq́; abunde familiam, quiq; ſub umbra eius degunt,
quin etiam liberorum, parentum, cognatorumq́; quod naturæ ipſius
ius, ac lex eſt, proq́; dignitate etiam ſua bene memor erit, quippe qui
alia ratione futurus ſit & parum prudens, & minime etiam bene
ficus, aut iuſtus, cum illis maxime deſit, qbus maxime teneatur. Quo
fit, ut quod magnanimitas ipſa per ſe fortaſſe non exigit, & exigat
& poſtulet ratio benefaciendi, ac iuſtitia ipſa, quæ humanæ ſocieta
tis arctiſſimum eſt uinculum, quando, ut dictum eſt, magnanimitas
ipſa è quaq; uirtute, ut eſt ipſa præclara & nobilis, ſic pro natura,
ac dignitate ſua ſibi mutuatur, accommodatq́; quod eſt in illa præcla
rum, & nobile. Itaq; ut prudens paterfamilias, atq; aduerſum eos q-*

bus maxime obligatus est, iustus, utq; benefaciendi etiam maxime stu diosus, nullo modo negleget res familiares, nec abijciet rerum earũ curam, p quas benefacere etiam possit quamplurimis. Nam & Paulus Aemilius licet ex tanta illa, multiplicíq; præda Macedonica nihil intra domum, præter gloriam intulerit, rem tamen diligentissime curauit familiarem. At Cæsar seruari apud se diuitias, ac partas bello res prædicabat, quæ uirorum essent fortium præmia. Quid autẽ dijs immortalibus similius, quàm de suo & posse, & uelle prodesse plurimis? Et uero quam curam dij habent rerum nostrarum, quarũ nihil ipsi penitus indigent, an non habebit suarum magnanimus? è quibus & conferat erogando alijs, & se ipsum inde colat, & tanquam honores condiat, quibus summa etiam cum dignitate fungatur. Quócirca prudenter, ac pro dignitate rem tuebitur familiarem, & quam ipse aut parum potest suscipere, aut se indignum ea iudicat, curam, procurationemq; ministris, ac probatis uiris demandabit. Quid quod nulla tam pudica est matrona, quæ non cultum pro dignitate admittat sua. Sunt dij ipsi per se satis honorati, sine templis, sine aris, donamus tamen eos ædibus etiam magnificentissimis, ijsq; auro, argento, purpuráq; instructis, atq; ornatis. Et honor quoq; ipse est exornandus, tametsi per se satis habet ornamenti. Igitur et magnanimus idem præstabit ipse sibi in cultu corporis, domesticóq; apparatu, quod & dijs præstatur, quorum aras, ædes, statuas, et purpura ornamus, & coronis, non quod inde sit ipse ornatior (Cui enim honor uix est satis, quantum apud eum habeant momẽti aut aurata laquearia, aut purpuræ? (Sed quia naturale est, ut exactissimis ac perfectissimis quibusq; rebus accedat ornatus, qui & ipse sit etiam maxime conspicuus. Cuius rei admonere nos quoq; cœlum ipsum potest, qui ex eo, ut Latine mundus, sic Græce κόσμος est dictus. Color albus, inquit Cicero, præcipue decorus deo est, cum in cæteris tum maxime in textu, & magnanimo quoq; decorus erit ornatus ille maxime, qui honori etiam rerum humanarum omnium summo idoneus iudicabitur, qui maiestatem deceat, utq; est illa augusta, sic sit & ille quoq; ipse augustus, pro loco tamen ac tempore, suaq; cum dignitate. Nam egredi uelle hominem, quàm dedeceat, Caius Cæsar Imperator docere potest, qui dum deorum induit ornatus, publice ab omnibus est irrisus, habitusq; contemptui. Vniuersæ autem gentes, ac clarissimi quiq; populi in exornandis magistratibus, præsertim pontificibus, quiq; sacras res tractant, & sunt hodie, & fuerunt semper cum primis splendidi, & sumptuosi. Itaq; ut propria emolumenta, fortu-

nas'q; non negleget magnanimus, sic suapte natura delectabitur præcipue amœnitate hortorum, uillarum, ædificiorum, illorum'q; laxitate, ac magnificentia, ut etiam in pascendis feris, peregrinis'q; animalibus præ se ferat delectari sese amœnis & raris, magis quàm fructuosis, lucrum'q; afferentibus.

Arbitror autem ex ijs ipsis satisfactum huic dubitationi, cæterum ne te fortasse moueat, quod honorem simul, & materiam esse dicimus, in qua uersetur magnanimitas, & pretium uirtutum omnium, atq; huius potissimum, sic habeto, Eandem esse hac in parte honoris rationem, quæ felicitatis, cum in ijs, quæ ad felicitatem pertineant, actiones nostræ uersentur omnes, uelut in materia quasi quadam, ea tamen cum primus expetatur, quo fit ut eadem ipsa materia sit, ac finis & pretium actionum omnium, secundum diuersam rationem. Senatores, magistratus, ciues, uiri deniq; boni omnes circa bonũ uersantur publicum, eaq; illis est materia, idem quoq; publicum bonum susceptorum est laborum, tantarum'q; curarum pretiũ. Ad hæc neq; honor dignum est uirtutis pretium, sed ipsa quidem, ut Claudianus luculenter canit, pretium est sibi, quæ cum admirabilis sit ac diuina, suapteq; natura honorabilis reuerenda'q;, trahit ad se honorificationem. Cumq; nihil sit in hominum consuetudinibus, atq; opinionibus honore maius, quo & deos, hoc eodem uirtutes quoq; prosequimur, præcipueq; hanc ipsam, de qua nunc disserimus, quæ'q; se hoc ipso præ cæteris dignatur. Nec uero magnanimus siquid esset honore maius, eo esset utiq; contentus, nam & minores honores spernit oblatos, cum intellegat posse sibi maiores tribui, se'q; maioribus dignum, dedignatur'q; illos omnino capere, quos tamen etiam libenter accipiet, ac longe interdum minores, ubi ab illis qui eos offerant conferri nullo modo maiores posse cognouerit. Quã naturã deorũ esse ueteres tradunt Theologi. Nã cum regnũ, imperatorũ'q; tauri essent uictimæ, et Hecatombe illa multifaria, humilibus tamen ab hominibus, mulierculis'q; placari deos asseuerabant, uel segetis manipulo, molã'q; illis salsam uel maxĩe acceptã esse. Quæ igitur et qualis magnanimitas sit uides, qua ut uirtus nulla est rarior, sic dijs fortasse nulla est simlior.

Quo'circa eorum, qui euasuri sunt magnanimi indicia, & signa quasi quædam conabimur ostendere, tametsi quem uere hoc est exacte pfecte'q; proferri in exemplum forte cupias, mea quidem sententia nullum habemus. Afferemus itaq; ex illis exempla, qui etsi non omnes, aut multas tamen, aut non paucas saltem, eas'q; egregias assecuti sunt magnanimitatis partes, ut actiones ipsæ quidẽ habendæ sint omni

no magnanimæ. Quamuis qui ita institutus fuerit non sit iudicandus usquequaq; magnanimus, id quod in alijs quoq; uirtutibus non raro contingit, & in plerisq; item facultatibus, ut in Oratoria, in Poetica, in Medicina. In quibus etsi permulti sunt q partes aliquas, paucissimi uero qui exacte consecuti sint omnes. Natura igitur ipsa, quod in generosis quoq; animalibus usuuenit, ab ipsis incunabulis indicia quædam profert futuri magnanimi. Nanq; ut repugnante natura uix fieri quicquam egregium potest, sic quæuis excellentia non sine maximis cum adiumentis naturæ, ac præsidijs prouenit. Nãq;, ut est in ueteri illo maximéq; diuulgato prouerbio, Non omnes hominũ
» contingit adire Corinthum, Adeunt autem illi, quibus magnum à
» natura præbitum est subsidium, eaq; tanquam suffragatur nascentibus. Hæc igitur ipsa præsidia, adiumentáq; indolem quasi quandam præ se ferunt illorum indicatricem, futuræq; magnitudinis, ac uirtutis, Id quod in Alexandro, Cæsare, alijsq; quibusdam apertissime est cognitum, atq; in Alexandro præcipue, ut à scriptoribus est proditum, cum maximi esset, ac bellicosissimi Regis filius, qui si dum in quaq; re magnitudinem illam magnanimo dignam retinet, ab ijs tẽperasset, quæ magnitudinem eam & natura ingenitam, & moribus confirmatam uel turpissime fœdauerunt, quem profecto magnanimum quærimus prorsus haberemus. Nam Cæsar in libera natus cum esset patria, nec ea præstare puer potuit, quæ Alexander, nec etiam adolescens, demumq; ut iniustus, & nimius in patriam, ac publicam libertatem, quæ ipsi cum ciuibus uniuersis erat communis, impie grassatus est. Maior Africanus nec ad Alexandrum accessit, nec ad Cæsarem, licet Annibalis uictor, domitorq; Carthaginis, quæ tamen est assecutus, ea per omnes suos numeros adimpleuit. Itaq; ut illi magnitudine uincunt rerum gestarum, sic hic perfectione, & cumulo eorum omnium, quæ magnanimitati comitantur. Puer igitur Alexander inter eiusdem ætatis æquales constitutus, quidã eum cum percunctarẽtur, libenter'ne certaturus esset in stadio (pedum enim præstabat pernicitate) Atqui perlibenter, respondit, si certaturi secum reges essent. Pares dignitate in certamine puer adhuc, & penè infantulus requirebat. Perlatis nuntijs uictoriarum, atq; expugnationũ Philippi patris, conuersus ad æquales, qui astabant, non semel dixisse traditur, Male mecum o' pueri agitur, nam dum pater cuncta sibi occupat, nihil mihi relinquit egregium, quod uobiscum postea exanclare habeã. Mortuo Philippo, ac perturbatis, tumultuantibusq; prouincijs, cum amici suaderent omittendas Græciæ res, quiq; desciuis

ſent barbari comitate illos, clementiáq; reconciliandos. At inquit audacia potius tutandum eſt regnum, atq; animi præſertim magnitudine, Se uero peſſum datum à cunctis iri, ubi præſenſiſſent, remiſſius ab ipſo agi, E ueſtigióq; coactis copijs aduerſus Triballos in Illyrium profectus, Rege in pugna occiſo, profligauit eos, atq; haud multo poſt, ſuperatis Thermopylis, Athenas petijt, uirum ſe pro muris earum oſtenſurum ciuibus profeſſus, quod Demoſthenes primo puerum, dũ aduerſus Triballos bellum gereret, poſt agentem in Theſſalia adoleſcentulum uocitare eſſet auſus, indigne admodum contumelioſéq; ab illo actum iudicans. Idem Achillis ſtatuam ueneratus cum eſſet, felicem'q; appellaſſet, quod Homeri præſertim ei præconium contigiſſet, inuitatus ad uidendam Paridis citharam, Immo uero ſtatim ſubdidit, Achillis ipſius quæritandam eſſe citharã, qua heros ille heroum laudes, res'q; maxime inclytas decantare eſſet ſolitus. Cæſar uix dũ pubeſcens quamuis dominante Sylla, tamen ad populum Romanum prodiẽs fiduciæ plenus, diale auſus eſt ſacerdotium petere. Idem adoleſcens à piratis captus pro redemptione quinquaginta pependit talẽta, cum illi uiginti tantum peterent, eos irridens, quod quem captiuũ haberent, minime intellegerent, eis & ſæpius et palàm minitatus inter iocos, quod ad unũ omneis in cruce eſſet exanimaturus. In alpium Gallicarum tranſitu iter ipſe in Hiſpaniam faciens, ignobile admodum cum præteriret oppidum, à paucis'q;, atq; iiſdem maxime ſordidis habitatum incolis, ibi'q; è comitibus quiſpiam cum per iocum dixiſſet, Ecquidnam & hos quoq; inter certamen eſt de principatu, magiſtratibus'q; adminiſtrandis? Conuerſus ad illum, At ego me Hercule mallem inter hos eſſe primus, quàm inter tot, tantos'q; Romæ ciues ſecundus. Admirabundum primo eum, poſt etiam lacrimantem ad Alexandri Gadibus depictas hiſtorias, percunctati quidam lacrimandi cauſam cum requirerent, reſpondiſſe poſt aliquantum ferunt, Iure ſibi dolendum eſſe, quod qua ipſe ætate tum eſſet, Alexãder innumerabileis ſubegiſſet et urbes et nationes, cum à ſe nihil actum eſſet interim memoratu dignum.

Cum igitur qui & qualis magnanimus ſit, quæ etiam magnanimitas, quæq; magnanimi indoles explicauerimus, neq; diſputatione hac indignum, neq; à materia alienum fuerit, quantum fortuna ipſa magnanimo conferre ſoleat, ei'q; adminiculari, exemplis quoq; declarare. Pompeius cognomento Magnus laborante urbe, uniuerſa'q; Italia rei frumentariæ inopia, huic rei à Senatu populo'q; Romano præfectus cum in Sicilia, Sardinia, Africa'q; magnã tritici copiã compa

raſſet, ea nauibus impoſita, per multos dies aduerſa tempeſtas prohi
buit, quo minus ipſe in Italiã, atq; ad urbẽ cum frumento nauigaret.
Itaq; animi anxius, ac populo fame laboranti quãprimũ prouidere
cupiens, ad claſſem è continenti profectus, cum uideret nauium præ
ſides, ac gubernatores omnes uereri ſe procellis committere, nolléq;
è portu, ac ſtationibus ſoluere, nauem ingreſſus confeſtim ſolui oram
iuſſit, maximisq; increpat omnes clamoribus, ac uociferatur, nauiga
re quidem omnino neceſſe eſſe, uiuere autem minime eſſe neceſſe. Nec
multum inde abfuit, cum trepidantibus omnibus, maximéq; pertur=
batis, ſecunda ex inſpirato tempeſtas exorta eſt, à qua incolumi claſ
ſe in Italiam perlatus & urbem Romam, & finitimos populos fa-
me liberatos etiã ſaturauit. Quid ſi atrocitas illa procellarũ aut perſti
tiſſet, aut etiã increbruiſſet? nam nec imperare procellis Põpeius pote
rat, quod nequaquã uictori eius Cæſari ſucceſſit, cum cymbã ingreſſus
è Macedonia Brunduſiũ atq; in Italiã an nauigare uellet, tranſpor
tandi militis gratia. Ferdinando Neapolitanorũ Regi circunſeſſo pe
nè Baroli in Apulia ab Ioanne Antonio Vrſino, ac Iacobo Picinino
eius duce, ex inſpirato cum claſſe affuit Alexãder Gaſtriotus cogno
mento Scanderbechus cum equitibus circiter mille, nec multo mino-
re peditum numero, quos ſecum è Macedonia deuehebat, quo laborã
ti Ferdinando ſuppetias ferret, non rogatus ipſe, non certior ab rege
de obſidione factus, ſed beneficiorum tantum memor ab Alphonſo
illius patre in ſe collatorum. Quamobrem repentinus Alexandri
huius atq; inſperatus aduentus uictoriæ Ferdinandi, quæ poſt ſecu-
ta eſt, maximam attuliſſe cauſam iure quidem uiſus eſt. Macedoniæ
Rex Alexander uiſendi Ammonis cupiditate tractus, cunctis diſſua
dẽtibus, ac reformidante exercitu, arenas ingreditur, ea per loca pro
ficiſcens, in quibus Cambyſes Rex cum millibus qnquaginta homi-
nũ, uentorũ ui, atq; arenarũ turbinibus penè demerſis fuerat. Itaq;
cum ſitis paſſim timeretur, iterq; incertum ſine ueſtigijs, ac procello=
ſum eſſet, præter regionis cœliq; illius naturam, imbres inter profici=
ſcendũ repente è cœlo fuſi ſunt, qui & æſtum leuarent, et metum
ſitis adimerent, ac reſtincto puluere firmarẽt ſub incedentiũ pedibus
arenoſum ſolum, nullo perflãte uento. Quodq; fortunatius fuit, uel
diuinius potius, itineris duces cum deerraſſent, præter ſpem affuere
incedentibus alites corui, qui die quidẽ uolatu, noctu uero crocitatio
ne & cantu aberrantes dirigerent. Arato Sicyonio rem maxime dif
ficilem, ac periculoſam aggreſſo luna et quidẽ pernox, itemq; nebu
la, ac nubes fuere auxilio. Cũ enim Acrocorinthũ admotis ſcalis, no

cturno aggressu capere decreuisset, luna ipsa iter militibus, qui praemissi ab eo fuerant, ostendit. Hi cum urbi propinquassent, eoq; per uentum esset, ut arma uideri ob lunae irradiationem possent à uigili bus, densissima repẽte exorta è mari nebula, armorum aspectum pe nitus eripuit. Ipsi autem Arato cum alia manu proficiscenti ꝑ loca ignota, & confragosa, luna fulgore suo uiam similiter aperuit. Rur= sus uero constitutum ubi peruenit ad locum, ne conspici ab hoste pos set, eadem ipsa sub nube admodũ densa, et atra delituit. Vrbe itaq; potitus cum aduersus arcem profectus esset, copiaéq; aduentarent aliae, luna ipsa nubibus liberata, radijs'q; eius fulgentissime collucen tibus, armorũ, telorum'q;, ac militum numerum, staturam quoq; pro gredientium ita ingeminare uisa est, ut terrorẽ hostibus mirificum in cusserit. His igitur fortunae fauoribus, atq; auxilijs adiutus Aratus & urbe, & arce praeter omniũ opinionem potitus est. Non modo au tem fortuna, sed dijs quoq; & monitoribus, & authorius, ijs- dem'q; suffragatoribus usus uidetur Lucius Lucullus, nam cum in- certamẽ descendisset cum Mithridate Ponti Rege, nec detrectare ullo modo pugnam honeste posset, licet maxime id cuperet, conspecta mul titudine Mithridatici exercitus, suorum'q; paucitate, hic medias in- ter acies, cum paulo ante coelum minime turbatum esset, igneus re pente globus, argento, candenti ꝑsimilis, maxime terribili fragore, ex aere corruit, qui flammantis dolij speciem prae se feret. Qua è re tantus utrunq; exercitum pauor inuasit, ut uterq; in castra redie- rit religione deterritus. Lucullo item huic cum in Troadem diuertis set, Veneris'q; de more ueneratus esset templum, dormienti astitit Dea, ecquinam inquiẽs leo dormis, quem par est propinquos sectari catulos? Experrectus'q; inter amicos de uisione cum egeret affuerunt ei missi ab Ilinienisibus nuntij tres uno fere tempore, qui significa= rent Isidorũ Regis praefectum Chium cum classe applicuisse. Quo'= circa instructis nauibus è uestigio in Regiam inuectus classem, caeso Isidoro, omni ea potitus est. Idem quoq; transmissurus cũ exercitu Eu phraten, tumentem tunc imbribus, ac turbulentum, cũ lintribus com- parandis daret operá, ac iungendis ratibus, ad traijciendũ militẽ, no ctu ita defluxit ac subsedit amnis, ut mane incolumibus copijs, illũ uado inuẽto transierit, obstupefactis accolis, rẽ'q; insolitã summũ in modũ admirantibus, ac Lucullũ uenerãtibus, qđ flumen ipsum ei, et uiã aperuisset (conspiciebant enim in alueo breuiusculas quasdã ena tas repente insulas, antea nusquã uisas) et transitum militibus tutissi mũ praebuisset. Itaq; passim praedicabant haec absq; deorũ minime cõ

tigisse fauore, & munere. Quid ultra? tranato Euphrate bos foemina Dianæ dicata, armentalis ipsa quidem, neq; hominum assueta manibus, aut pastorum blanditijs è cætero secedens armento, atq; ad lapidem profecta qui Dianæ sacer erat, ac si Luculli transitum expectaret, tam diu illic morata est, donec egresso eo è flumine, submissoq; ad pedes capite, sese illi in Deæ sacrificiũ obtulit. Itaq; peractis sacris in Tigranem profectus illũ felicissime fudit, fugauitq;, cæso ferme uniuerso illius equitatu, qui è quinquaginta millibus constabat, ac pedestribus etiam copijs, cum cæsorum peditum numerũ supra centũ millia fuisse, sit memoriæ traditum. Nam & Antiochus philosophus in libro de dijs immortalibus, quemadmodũ Plutarchus meminit, dicere non est ueritus, nusquam gentium eiusmodi pugnam de cœlo fuisse à sole spectatam. Hetrusci rerum in Italia potiti, cum diripiendis intẽderent Cumis, quæ urbs ea tempestate in ora Tyrrheni maris admodum florebat, tum ciuium frequentia, tum diuitiarum magnitudine, propter agrorum ubertatem, et rerum quæ mari comportabantur affluentiam, quodq; Græca esset colonia, comparato exercitu peditum quinquaginta millium ac duodeuiginti eqtum, ut memoriæ proditum est castris haud procul, Leborijs in campis positis, urbem quotidianis uexabant impressionibus. Quibus artibus Cumanorũ res in arctum, ac prope in desperationẽ adductæ cũ essent, accidit, siue deorũ benignitate & opera, siue assiduis, atq; ingentibus maris tempestatibus, ab austro urgentibus, uti Lyris atq; Vulturnus amnes qui finitimũ in mare influunt, ab hostijs retrouersum ad fontes dies plurimos refluerent manantibus quoq; è cœlo continuis atq; immoderatis imbribus, omnis ut ea regio restagnaret, et quæ interiacebant proxime oppidũ ualles, aquis confluentibus obmergerentur. Itaq; cum nõ ut antea Hetrusci palantes ferri possent, angustis admodum itineribus in urbem irruebant. Quod animaduertentes oppidani, utendumq; esse tantis in periculis, deorũ operati, muris egredi in pugnã decreuere, et cum hoste conserta manu, in locorũ angustijs, in certamẽ descendere, cum minime timendum uiderent, propter lacunas ac restagnãtes agros, ne ab hostiũ circunsisterentur multitudine. Cœpto itaq; prælio, cum in acie quatuor cum millibus, aut paulo plus peditum, equitibusq; sexcentis, diuersis in locis acriter stetissent, collatis cũ hoste manibus, tanta aquarum moles cœlo repente fusa, tot in hostẽ excusa è nubibus fulmina, tam emicantes fulgores in illorũ ora oculosq; ex aere dissiluere, ut hinc locorum angustijs, inde stagnantibus uallibus, campisq; pluuia natantibus, Cumano etiam ipso premẽte,

dijs quoq;

dijs quoq; cœlitus fauentibus, tantus exercitus paucis horis fusus, atq; ad internitionem pene redactus à quampaucissimis fuerit. Quem si bi ludum parasse fortuna uisa est, quo tyrannidẽ Aristodemo strueret, cuius opera in ea pugna maxime perspecta fuerat.

Ex his igitur quanquam paucis iudicari facile quidem potest, ad consequendam magnanimitatis laudem, quantum etiam in fortuna repositum sit & collocatum. Quæ uero sit magnanimorum fiducia tum in suscipiendis inceptis, tum in faciundis atq; obeundis prælijs, exẽplis quoq; etsi non multis, testificabimur. Cæsarem iter cum exercitu facientem, Heluetij ex improuiso adorti cum essent, & ipse pedes inter acies uersaretur, oblatusq; illi esset equus, uultu maxime hilari, summamq; fiduciam præ se ferente, Peropportune, inquit, pedibus pugnanti mihi, adductus est equus, ut habeã quo paratissimo haud multo post utar ad insequendum hostem iam iam in fugam inclinãtem. Ad Rubiconem cum peruenisset, deq; traijciendo esset amne disceptatum inter amicos, ipseq; cum tacitus aliquantum, deliberãdusq; perstitisset, obticentibus ut in re ancipiti ac dubitantibus illis, offirmatissimo animo, sit alea inquit, iacta, iussitq; statim exercitum transmittere, atq; eodem impetu, animiq; confirmatione inceptum prosecutus est.

L. item Lucullus, de quo plura diximus, cum Tigrane Rege manum cõserturus pridie nonas Octobr. à militibus cum admoneretur, diem eum atrum esse, ac nefastum, quod eo die Romanus fuisset à Cymbris cæsus exercitus, At ego bono, inquit, animo uos esse iubeo milites, hunc enim ipsum diem ex atro, nefastoq;, maxime candidum, ac felicem populo Romano faciam. Nec cunctatus instructis copijs, tumulum quendam pedes cum ascendisset, ut non multo est ante dictum, dimensus oculis ordines, situm, hostem, cunctaq; cum perpendisset, conuersus ad suos, qui sequebantur, fidentissime exclamauit, Vicimus milites, uicimus. id quod statim secutum est.

Euagoras Salaminius cæso patre à coniuratis, puer ipse regno pulsus in Ciliciam concessit, ubi adolescentiam egit. Itaq; animo agitãs, quanam ratione & patrem ulcisceretur, & regnum per scelus sibi ademptum reciperet, assumptis secum quinquaginta tantum delectis uiris, naue comparata in Cyprum delatus, facta statim descensione, ac cohortatus socios ad rem strenue nauandam, recta quidem Salaminam petit, atq; ex improuiso urbem ingressus, regiam adoritur, summaq; uirtute expugnat, tyrannumq; ipsum conficit. Sola igitur fiducia, animiq; magnitudine, cum exiguo admodum numero, pau-

cissimis non tantum diebus, uerum etiam horis, cæsis aduersarijs, regnum recuperauit, uictorq; paterno in solio consedit, multaq; ex eo etiam fortissime gessit.

Quæ uero, & quales sint magnanimorũ cogitationes, quæ item cupiditates, mentisq; agitationes, atq; consilia, declarare illud potest, quod nihil nisi magnum animi eorum concipiant, nihil expetant nisi excelsum, rarum, atq; omnium primum. Arati Sicyonij illa summa & maxime generosa fuit cura, studium, consilium, ut Græcæ urbes à tyrannis liberaret, atq; in libertate constitueret. Nam quæ de Hercule feruntur ac Dionysio, fabulosa habentur, ac theatralia.

Antigonus Rex & sua, & Demetrij filij opera, industriaq; succedentibus è sententia rebus, cum pecunijs, opibus, copijs, tera mariq; plurimum polleret, fortuna etiam secundo flatu aspirante, uocato in consilium filio, ita quidem cum illo simul egit, ut nihil magnum adeo uideretur, quod non assequi se posse confideret. Itaq; communibus simul sententijs decreuere, seruientem Cassandro, & Ptolemæo Græciam suis opibus liberare. Quo haud sciam, an ulli unquam reges aut natura iustius, aut commendatione dignius, honestiusq; bellum susceperint. Maxima igitur classe comparata, ingentibusq; etiam instructis copijs, seruienti Græciæ Demetrius affuit, statimq; Athenas liberauit, quæ annis iam quindecim Cassandri imperium seruiliter tulerat. Ex eoq; pater, ac filius maximis, & cogitandis, & gerendis rebus nunquam defessi sunt. Quod ni Demetrius præclarissimas à se gestas res uoluptatibus inquinasset, quod item è nostris Marcus fecit Antonius, nimirum post Magnum illum ni fallor Alexandrũ, Græcorum omnium siue ducum, siue regum gloriam ad se ob res fortissime gestas traxisset.

Quæ Alexander etiam adolescentulus animo conceperit, quibus nõ gentibus nota sunt? Idem hic per Indiæ fluuios ad oceanum delatus, indeq; ad Psytulcin insulam enauigans, contemplatus cum esset & litoris naturam, & maris, quantũq; adiri liceret, rebus diuinis rite iam peractis, id tantum deos precatus dicitur, susceptæ à se expeditiõis terminos necui superandos mortali post se unquam concederent.

Cæsar quo plures assecutus esset uictorias, eo magis ad decus ac gloriã accendebatur. Itaq; compositis tandem Romæ rebus, ni coniuratorum intercessissent consilia, decreuerat Parthicum bellum suscipere. quo confecto per Hircaniam perq; adiacentis Caspio mari montiq; Caucaso regiones in Pontum regredi, indeq; in Scythiam, ac Germaniã, atq; illinc in Galliam & per eam in Italiam atq; ad urbem tanquã

orbis totius uictor, ac triumphator in patriam reuerti.

Marcus Crassus, quanquam infeliciter suscepta expeditio ei cessit, Romanoq; exercitui, tamen contra Parthos eo est consilio profectus, nihilq; animo agitabat aliud, quàm ut imperij Romani fines Caspium mare statueret, Indicumq; Oceanum.

Qualis item quantusq; in dando, atq; erogando magnanimus esse debeat, etsi de eius beneficentia, et dandi studio in initio multa sunt à nobis dicta, Alexander tamen Macedoniæ Rex apertissime id ostendit. Qua de re selecta quædam deq; eodem ipso exēpla referemus, quæ magnanimi potius, q̄ liberalis uiri esse uideantur, Capto Poro Rege maxime inclyto, cui & corporis ingentes inerant uires, & animi longe etiam maiores uirtutes, hanc ipsam & corporis, & animi excellentiam admiratus Alexander, sciscitabundus ipse quidem, magna tamen comitate adhibita ab illo exigit, quanam se ab Alexandro ratione tractari, quemq; erga ipsum sese gerere Alexandrū cupiat. Ad ea nihil Porus aliud, quàm ut pro regia secum dignitate ageretur. Rursus Alexander, num nam forte & aliud. Ad ea quoq; & ille subdidit, regiam dignitatem, quæ ipse cuperet cuncta secum continere. Quæ dicta cum Alexander pro sua, regiaq;, & Pori dignitate, ac decore pensim examinasset, non regnum modo illi restituit, belli iure uindicatum, uerum imperio eius latiores etiam fines adiecit, auxitq; popularibus. Quid liberalius, si donum spectes? si uictorem, ac belli ius, quid clementius? sin animi magnitudinem, q̄d maius, rarius, memoratu dignius? Venerat ad Alexandrū Taxiles uir & sapiens, & opibus quammaxime insignis, quiq; magnæ opulentæq; Indiæ imperitaret parti. Is igitur primis in congressibus et comiter & magnanime. Neq; inquit, remotissima in hæc à Macedoniæ regno loca ideo profectum te Alexander arbitror, quo deuictis nobis ea tantum adimeres, quæ ad uictum necessaria sunt, utq; & terram, et aquam, quod nostri dicunt, uictis eriperes, pro quibus tamen & strenuis, & sapientibus uiris pugnandum uideatur, maiora itaq; his, à te tot, tantisq; laboribus, ac periculis quæruntur. Quare sic ó Rex habeto, Si te forte Taxiles hic opulentior tuo etiam ipsius iudicio habeatur, conferendis in te muneribus abunde paratus, atq; instructus uenit ad certamen. Sin maior ipse, longeq; me his instructior es omnibus, tua ipse in Taxilem ut maior, ac locupletior confer & munera, & officia, neq; enim inferior tibi esse recusat. Ad quem nec degeneranter Alexander, nec non ex dignitate. Per Iouem ego quidem ó Taxiles, uel hoc uno pugnæ tantum genere decertaturus te

cum sum, neq; ipse uinci ullo abs te modo patiar. Itaq; quanquam plura ab illo accepit, longe tamen plurima in illum Alexander contulit, ut post alia, permagna'q; etiam munera, mille talenta familiaritatis, ac beneuolentiæ gratia ad illum miserit. Atq; hæc quidem aduersum deuictos hostes. Superato autem Poro proximisq; subactis nationibus Philippum unum ex æqualibus suis quinq; millibus præfecit oppidis, uicis'q; longe plurimis à se captis. Velle autē referre quibus prouincijs quos præfecerit, quantus'q; in hoc Alexander ipse fuerit, historiæ est potius, quàm susceptæ de magnanimitate materiæ. Quo'circa paucis his contenti erimus. Ne autem dicere hæc de Cæsare liceat, hinc res publica est in causa, hinc Brutus, alij'q;, qui illū de medio sustulerunt. Profusus fuit in eodem hoc liberalitatis, ac magnanimitatis genere Marcus Antonius. Sed quis hominem laudet de publico erogantem? quando largitio ea iure ipso uideri potest rapina. Alexander ut uictor ipse sibi lex erat, & alijs præscribebat. At Cæsari, Antonio, Romanis'q; alijs patria ipsa lex erat ad quam referenda erant omnia, quippe cuius auspicijs pugnabatur.

Ne autem disputationem hanc nostram, hunc'q; tanquam ultimum de magnanimitate actum perinde, ac neglectum relinquamus, magnanimorum quoq; principum, eorum'q; laudatissimorum exempla quædam referemus, quibus & abundæ constet, magnanimum uirū uirtutibus undiq; omnibus munitum esse oportere, & qui uolunt principes, ac rerum publicarum administratores in hac ipsa uirtute potissimum enitescere, habeant quos potissimum imitentur, cum aperte uiderint quæ ipsi uerbis prosequimur, extitisse qui factis ea, actionibus'q;, & declarauerint illis, qui tunc uiuerent, et post se etiam alijs testata reliquerint.

Breuiores uero erimus referendis Iuliani Augusti monimentis, propter nomen eius Christianis hominibus parū gratum, quippe qui à Christi religione, in qua natus, atq; educatus esset, parum pie descierit, & quod à militibus oblatum per ambitionem imperium præoccupauerit, non exspectato Constantij obitu, qui Galliæ eū cum imperio præfecerat, aduersus quem collectis in unum copijs suis omnibus, ac uiribus armatus, instructus'q; processerit, paratus confligere. Magno igitur, atq; excelso fuisse eum animo illud docet præcipue, quod in imperio stabilitus cum & animi sui excellentiam, & Romani imperij magnitudinem per fortitudinē, ac decus domitandis declarare barbaris uellet, essent'q; è consiliarijs, Senatoribus'q;, qui tum aduersus gentes alias, tum maxime Getas, qui illo quoq; tempore Gotthi uocabantur, quod

bantur, quod fidem sæpius fregissent, quod parum stetissent fœderibus respondit maiorem rem, magisq; strenuum, atq; generosum, qui cum confligeret, hostem quærere. Galatas enim mercatores, qui Romano subiecti essent imperio, satis quotidie multos ære suo e' Gothis coemere, quos perinde, ac commerciales prouincialibus exponerent. Itaq; quod generosiora, ac maiore fama digna sibi proposuisset, in Parthos expeditionem suscepit, quo & cladium exercitibus Romanis illatarum ultor esset, & gentis bellicosissimæ, quæ per annos ferme' sexaginta finitimarum nationum capitibus insultasset, uictorijs suis titulum adiungeret, Parthicusq; agnominaretur, cuius rei tanto tenebatur desyderio, ut lituos fere' assiduus somniaret, et prælia. Pugnauit autem aduersus immanes, ac barbaros exercitus, collatis sæpius signis ubiq; uictor, profligatorq; aduersariorum. Disciplinam militarem constantissime retinuit, quàm & à militibus seuerissime seruari iussit, obeundis periculis ac prælijs maxime fidens, ac fortis, moderandis populis citra rigiditatem iustus, ac puniendis criminibus seuerus. Ipse continens, gratus, liberalis, beneficus, in sacrificijs magnificus, rerum ciuilium, omnisq; urbanitatis, naturæ etiã ipsius rerum eminenter doctus, sciensq;, ac doctissimorum hominũ admirator, et cultor. Qui si in qua religione natus, quaq; instructus fuerat, in ea perstitisset, uix haberent qui uirtutibus eius, ac moribus detrahunt, in quo iure in illum inueherentur.

Ante hunc longe maiorem præ se tulit magnanimi uiri speciem Vlpius Traianus aduersum numerosissimas, maximeq; feroces nationes, plurimis, difficillimisq; exanclatis bellis. Qua e' re & complures sibi titulos de uictorijs comparauit, & Romani fines imperij longe, ac late protulit. Nã & Germanos transrhenanosq; ut compressis quiescerent spiritibus coegit, & Daciam, finitimosq; Daciæ populos subegit, compluribus trans Danubium regionibus in prouinciæ formam redactis. Itemq; trans Euphraten, ac Tigrim. Arabiã quoq; imperio adiecit. Armeniam à Parthis occupatam recepit. Albanis, ac Persis Regem dedit. Babylonem, finitimasq; nationes ad Indiæ usq; fines armis subactas cepit. Ad mare Rubrum processit, tribusq; ibi prouincijs constitutis, ingentem classem comparauit, qua in Indiã trajceret. Tantas has bello partas laudes adornauit singulari humanitate, qua in omnes utebatur, summa moderatione, ac popularitate, Romæ pariter, atq; in prouincijs amicos mirifice honorauit, ac beneficijs prosecutus est. Liberalitatem in omne genus hominum exercuit & priuatim erga notos, & publice erga ciuitates, ac populos.

Vias strauit, flumina pontibus iunxit. Ipse ingenio maxime tranqlo, & placido, moribus adeo compositis, imperatorijsq; uirtutibus ita cumulatis, ut ab orbe terrarum deo proximus haberetur, nam et mortuus inter deos relatus est, & quod Romanorum Imperatorum ante eum nulli contigit, intra urbem in foro conditus est. Hocq; post eius mortem in uotis mansit, atq; comprecationibus, interq; bene ominandum, dum noui crearentur Imperatores, ut optarent illum, qui creabatur, sicut Augusto feliciorem, ita Traiano meliorem. Ne autem sigillatim dicta, factaq; illius in exemplum adducantur, scriptorum iactura in causa est.

Et quoniam Alexander Mamææ filius Seuerus Augustus magnanimitatis ipsius numeros aut iã expleuit, aut ut expleret omni studio contendit & opera, ex uita eius ac rebus gestis exempla si non omnia, quod instituti non est huius, non pauca tamen referemus, quæ declarare facile quidem possint, magnitudinem illum animi sui omni è parte, uirtutum simul omnium muniisse præsidijs. Nam qualis, quantusq; animi uigor eius fuerit, illud præcipue declarat, quod prius in Parthos, post in Germanos ferocissimam, ac maxime bellicosam nationem expeditiones suscepit, cum Tingitano interim bello Furium Celsum, Illyrico Varium Macrianum, Armenio Iulium Palmatum delegauerit, quibus uictoribus Cõsularia ornamenta decreuit, additis etiã sacerdotijs, ac prædijs. Igitur mortuo Vario Heliogabalo cum contaminata propudijs illius omnia, ac sceleribus cõperisset, quod tum prudentis esset uiri, tum Imperatoriæ dignitatis, Senatum omnem expurgauit, eademq; diligentia & magistratus urbis, & prouinciarum, urbem etiã ipsam, tanta ex moribus illius corruptio inuaserat. Itaq; impuros, et flagitiosos homines, publicis à muneribus, imperatorijsq; ministerijs amouit, ab equestri itẽ ordine, ac Senatorio. Tribus quoq; ipsas recognouit, neq; eos neglexit, qui militaribus donati fuerant prærogatiuis, nec magni ciuis, nec boni Imperatoris esse ducens pati aut magistratuum impuritatem, aut ciuium corruptos mores, ex aula quoq; eijciendos curauit qui obscœnis essent, ac perditis moribus, aut quorum aula ipsa minime egeret ministerijs publice obtestatus, & nequam & malum pupillum esse Imperatorem, qui è uisceribus prouincialium inutiles, parumq; opportunos homines pasceret. Nequaquam enim magnitudo illum animi immemorem sui fecit, ut non cõsyderaret publici census ministrum sese esse, ac dispensatorem, haberetq; ante oculos Varij profusiones, familiaritatesq; inquinatissimas. Legibus constituendis de iure fisci, ac populi, alijsq; item sanciendis,

præter graueis alios, ac multi usus uiros, uiginti semper adhibuit Romani iuris consultos, usus'q; in primis est Vlpiano, ac Paulo clarissimis illius temporis, ac peritissimis uiris. Romani principis, ac terrarũ orbis rectoris proprium cum iudicaret, & tueri leges, & corrigere, pro'q; re, ac tempore nouas condere. Quibus condendis, alijs'q; item constituendis adeo circunspectus fuit, & consyderatus, ut quos prætorij præfectos statueret, eosdem in Senatum quoq; asciscæret, quod indignum iudicaret de Senatoribus alium, quàm qui Senatorio esset ex ordine iudicare debere. Popularitate uero fuit tanta, ut præter affabilitatem quotidianam, aditum quoq; ad se non amicis modo, ac familiaribus, uerum etiam militibus cæteris'q; hominibus quàm facillimum præbuerit. Nam humanitate ea quidem fuit, ut etiam milites, qui de morbo iacerent, uisitaret. Quid enim magnanimo uiro conuenientius quàm in summa felicitate, summo'q; in imperio hominem se se esse minime obliuisci? Commonefacientibus matri, atq; uxori ne tantam ob familiaritatem maiestatem ipsam imperij minus uenerabilem redderet, Quin hac ratione respondit, & securiorem illã mihi facio, ac magis magis'q; etiam diuturnam. Quo'circa excelsam illam animi magnitudinem his, alijs'q; tum Romano principe tum magnanimo uiro dignis studijs, atq; artibus potissimum exornauit. Iusti uero, honesti'q; supra principes omnis studiosus fuit, huius rei non exiguum indicium est, quod Domitium Vlpianum, ac Iulium Paulum præstantissimos iurisconsultos prætorij sui præfectos habuerit. Ipsum autem Vlpianum tantopere ueneratus est, ut sine illo maius aliquid uix decreuerit, quippe quem etiam cœnis, ac conuiuijs suis testem ubiq; adhibuerit. Deniq; maioribus tractandis rebus siue publicis siue priuatis doctos semper uiros adesse uoluit, q uero abessent, per epistolam consulebat, facile passus uel à mediocribus etiam uiris corrigi, cum quibus ipse de ijs, quæ aut egisset, aut acturus esset, conferebat. Negotia, causas'q;, scriniorum præfectis, Romani'q; iuris peritis, uiris quidem integris, ac maxime probatis demandabat, probe ab illis cognoscendas, atq; examinandas, post'q; sibi referendas. In deliberando autem, & consultando, ne imparatus quispiam responderet, spatium ad cogitandum præbebat. Si de iure tantum, re'q; aliqua grauiore, aut de moribus tractaretur, solos doctos, ac disertos uiros adhibebat in consilium. Sin de re militari, qui diutius uersati essent in militia, qui'q; locorum, regionum, ponendorum'q; castrorũ maxime periti essent. E literatis uero hominibus præcipue qui historias noscerent, e quibus intellegebat consilia, artes, facta'q;, ac dicta

ueterum imperatorum, tum Romani populi, tum externarum gentium. Vsuras fœneratorum moderatus est, Iudices Romæ artibus singulis constituit, ut sciret unusquisq; ad quem causa quæq; pertineret. Quos prouincijs, rationibus'q; præfecturus, ac præpositurus erat, eorum nomina populo proponebat, requirens ut de ijs cogitationem susciperet, pœna imposita siquis falsum perhibuisset testimonium. Nam & notarium falsi conuictum incisis digitorum neruiculis, ne scribere unquam posset, deportari iussit. Vetronium Turnum familiarē suum, quod fumum, ut ipse dicebat, uenderet, quippe qui præ se ferret suum ad nutum Imperatorem cuncta facere, ad stirpem alligatū fumo exanimari iussit, excitato è stipulis humidis uiridiq; è materia, nolebat enim ab aulicis suis, ut ipse usurpabat, uendi. Compilatores deniq; quos'q; fama esset depeculari rem publicam, abominatus est adeo, ut stomacho moueretur, quoties ex ijs, qui peculatus condēnati essent, obuium haberet aliquem. Itaq; per præconem edixit, ne qui furti sibi esset conscius ad se salutandū accederet. Condemnationes & rarius fieri, & clementius cauit, ipsas'q; uectigales esse ciuitatibus, aut publicis instaurandis ædificijs, aut nouis faciendis. Libertinos equestrem in ordinem redigi minime est passus, quod ordo ipse equestris Senatorum seminarium esset. Itaq; maxime celebrata est illius uox, ut magnanimo principe digna. Ego ne de præfectorum capitibus Senatorum'q;, mancipia ære empta sententiam ferre patiar? Itaq; moribus ipse suis, & Romæ, & per prouincias censurā exercuit, non in rebus modo ciuilibus, & publicis, uerum etiam militaribus. Nam milites ita continuit, ut siquis de uia in prædium diuertisset, tum fustibus, tum'uirgis cædi iuberet, quod si militis ipsius persona obstitisset, contumeliosius obiurgabat. Dictum illud Christianum, aduersum te quod fieri nolis, id tutemet aduersus alium ne feceris, non solum libenter usurpabat, sed proclamari à præconibus mandabat, ac publicis, celebribus'q; in locis inscribi. Quo'circa militem, qui aniculæ iniuriam fecisset, exauthoratum prius illi seruum addixit, qui labore eam suo aleret. Itaq; quamuis maxime affabilis, & erga milites officiosus esset, quippe quos Quirites ubiq; suos appellaret, neq; unquā in expeditionibus nisi apertis cœnaret, patentibus'q; tabernaculis, ac post cœnam statim milites admitteret, quos ad pocula etiam inuitabat, ac nulla unquam ratione exercitum grauaret, Quin in expeditionibus illos, faciendis'q; itineribus, mulis iuuaret camelis'q;, & quos languentes uidisset, opportuna illis omnia subministranda curaret, matronis'q;, ac uiris sanctioribus commendaret ex

solutis impensis, his tamen è moribus ab ipsis militibus uocatus est Seuerus, ac nihilominus auro, argentoq; præter milites rarêter alios donauit, indignum ducens, qui dispensator publici esset ærarij, suas in delicias, uoluptatesq;, atq; oblectamenta familiarium, prouincialem pecunia conuertere, quæ quidem eo quoq; spectabant, ut à Varij profusionibus, ac contaminatis moribus abhorrere, omni è parte iudicari uellet. Ipsos autem milites bene uestitos, & calceatos semper habuit. Eratq; in illius ore dictum hoc maxime frequens, Militem probe armatum, uestitum, calciatumq; esse debere, aliquidq; habere semper in Zonula. Siquidem instructum armis hominem mendicitatem ipsam ad quod non facinus, ac desperationem esse impulsuram? Sciebat autem quem quisq; gradum haberet in militia, quot etiam stipendia fecisset, quæq; exsisterent uirtutes cuiusq;, ac merita. Alexandri uero tum seueritas, tum animi cælsitudo in expeditione Parthica potissimum nota fuit. Nam Antiochiæ cum esset, haberetq; cognitum milites lauasse apud Daphnen in balneis, sibiq; delicias fecisse, illos ipsos capi cunctos, & in uinculis ut haberentur imperauit. Qua è re legio ex qua illi erant, tumultuari cũ cœpisset, ipse in suggestum ascendens seuerissimam contionem habuit, Cumq; asseueraret se nullo modo passurum Romanam disciplinam corruptum iri, tumultusq; statim esset exortus inclamantis legionis. Istas, inquit, uoces aduersus hostem exercete, non Imperatorem, qui uos alit, quas ni continueritis, ego uos hodie ad unum usq; omnes dimittam Quirites, atq; haud sciam an Quirites, qui ius humanum non agnoscitis. Cumq; his auditis fremerent, ferroq; minabundi astarent. Ferrum, inquit, dexteræq; in hostem exercendæ uobis sunt, neq; enim ista me terrent, qui Senatum, qui patres conscriptos, qui rem publicam uniuersam habeam necis meæ uindices. Tunc ingenti uoce inclamans, abite hinc ait ex Alexandri conspectu Quirites, armaq; è uestigio proijcite. Tantus igitur ex his dictis milites terror cepit, ut positis armis, simul, ac sagulis non in castra ausi sint regredi, sed diuerso itinere in familiarium, atq; hospitum domos exterriti confugerint, silentio errorẽ confessi, ac tametsi tricesimo post die exauthoratam legionem, in locum suum placatus restituit, tribunos tamen securi percuti iussit. Tanta igitur seueritas militem continẽtissimum præstitit, ut non exercitus iter per prouincias facere sed Senatus uideretur, qua è re perinde, ac Deus à prouincialibus suscipiebatur. Ac nihilominus milites licet iuuenem, tamen ut patrem eum colebant, ut Dei filium uenerabantur, quippe quibus illo tribuente, nihil prorsus de=

eſſet. Nã quantum ad Senatores ſpectat, eũ ſe ergã illos geſſit, tanta hu manitate, comitateq́; uſus eſt, ut ſub eo Senator oĩno perierit nullus. Se uero, fortunamq́; ſuã, ſummumq́; illũ animi uigorem ita moderatus eſt, ut dominũ appellari ſe paſſus nunquã fuerit. Epiſtolas ad ſe ſcribi perinde, ac priuatum uoluerit, adhibito tantũ Imperatoris nomine. Salutari uero ſe non aliter ſuſtinuit, q̃ ut unus è Senatoribus, apertis foribus, ac patenti uelo. Salutandi uero mos hic erat et ſimplex, & minime quidem ambitioſus, Aue Alexander. Siquis è ſalutantibus aut caput inflexiſſet, aut blandius locutus eſſet, quaſi adulator, aut ridebatur, aut ſtatim iubebatur abire. Itaq; ut ipſe cum amicis familiariſſime uiuebat, ſic ad eius ſalutationẽ præter honeſtos et integra fama uiros, nulli admittebantur, quando parũ bonæ famæ mulieres ad conſpectum matris, atq; uxoris ne admitterentur imperauerit. Eunuchos quoq; palatio eiecerit, præterquam qui mulieribus miniſtrarẽt in Balneis. Quid qđ mulieres infames publicari, exoleta quoq; deportari cauerit, A' luxu autẽ ita abhorruit, ut in conuiuio aurũ neſcierit, abacum eius ne plus ducentæ argenti libræ adornauerint, qđ uidelicet in militum ſtipendia aurũ, argentũq́; conuertẽdum duceret, magis q̃ in ſpectacula, ſplendorẽq́; minime neceſſariũ, ac ſuperfluentẽ, miniſtros ſuos ne publicis qdẽ in conuiuijs aurata uti ueſte uoluerit, quo moderatione hac ſua, urbanũ quoq; luxũ moderaretur. Quid qđ in conuiuijs aut Vlpianũ aut è doctis uiris unum ſemper aliquẽ adeſſe uoluerit, cuius ſermone inter diſcũbendũ oblectaretur. Cũ priuatim cœnaret, librũ in mẽſa ſemper habuit, quẽ cœnatus lectitaret. Deniq; publicis in cõuiuijs eã retinebat ſimplicitatẽ, quã cum priuatus cœnabat. Cõuiuia uero eius fuere ipſa qdẽ parca, ob publicũ exẽplum nitoris tñ ſummi, eximiæq́; lautelæ, ſcenicas tñ in ijs uoluptates abominatus. Gẽmarũ uſum uirorũ eſſe negabat, muliebrẽq́; ad comptũ iudicabat ſpectare. Ipſe uſus eſt Chlamyde frequenter coccina, in urbe tñ ſemper toga. Prætextã uero ac togam purã niſi conſul nunquã accepit, eãq́; de Iouis tẽplo ſumptã. Cõſulatũ ter tantum inijt, in quo ſtatim aliũ ſibi ſuffecit. Quod uero dandi uirtus, erogandiq́; cõſuetudo, ac beneficẽtia, magnanimitatis ipſius quodđã quaſi condimẽtum eſſet, liberalitatẽ ita exercuit, ac beneficentiã, nullus ut dies præteriret ſine liberali, ac benefica eius opa. Oleũ quondã populo Romano à Seuero Auguſto conſtitutum, poſt ab Vario Heliogabalo ſublatũ reſtitui iuſſit. Ter populo congiariũ addita carne, ter militi donatiuũ præbuit. Præſides prouinciarũ quos integro comperiſſet, et honoribus, et donis ita proſecutus ẽ, ut uitæ reliquũ poſſent

honeste ducere. Ipsa autẽ dona conferebantur pro dignitate cuiusq;, ac pro uitæ genere. Siqdẽ magnificas ædificare solitus erat domos, qbus postea amicos, deq; se, ac re publica benemeritos donabat. Viros ẽt bonos inopia pressos subleuabat conferẽdis agris, seruis, gregibus, commodisq; alijs diuersi generis. Rhetores, Grãmaticos, Medicos, Haruspices, Astrologos, Architectos salarijs prosequebatur. Oratores qui in foro uersarentur, gratisq; causas agerent, liberalissime est complexus. In ægrotos quoq; nihil omittebat qđ præstare ipse posset. Vrbibus terræmotu concussis dari pecuniã ex uectigalibus statuit, instaurandis tum publicis, tũ priuatis ædificijs, itemq; ad publica construẽda opera. Thesauros eorũ esse decreuit, q illos inuenissent. Quos ex amicis, ac probatis uiris sciret, aut nihil petijsse ab se, aut parũ qdem accepisse, uocatos coràm hortabatur, uti peterent, qbus opus esset, ne tacitum haberẽt ægre se ferre ostendẽs, qđ dũ nihil ipsi reqrerent, debitorẽ constituere eũ uellent, minime uero id se passurũ, ut q priuatus esset de Augusto quereretur. Cõdẽnatorũ bona ita contulit, disposuitq; ut è tali collatione, seq nullo modo posset infamia Præfecturas, proconsulatus, magistratusq; ubiq; distribuit, adhibito Senatus iudicio. Superato Artaxerse Persarũ Rege prædã oẽm militibus concessit, quæ qdẽ maxima fuit ac locupletissima, quo tempore Persæ serui Romæ haberi primũ cœpti. Vestes, ornatusq; corporis, post annũ inter amicos, familiaresq; partiebatur. Demũ uectigalia ita contraxit imminuitq;, ut q Varij tempore decem præstitisset aureos, tertiã tantũ auri partẽ præstaret suo. His maxime exemplis iudicare potes Andrea Matthæe, quæ et qualis esse debeat magnanimorũ liberalitas, qđq; etiam benefaciẽdi studiũ, mirificeq; abstinendũ esse illis à luxu, ac superfluentia, ne suo præsertim exemplo ciuitatem inficiant. Magnificentiam quoq; Alexander sic exercuit, ut animi magnitudini nulla è parte deesset. Thermas fecit, quæ Alexandrinæ sunt dictæ, addidit & thermis syluas, de oleo etiam cauit, ut & uesperi, & mane in illis lucesceret. Ab Antonino Caracalla inchoatas & perfecit, & exornauit. Balneas & horrea in singulis urbis regionibus ædificauit ob ciuium commoda. Basilicam miræ magninidinis inchoauit, quam morte præuentus non perfecit. In Baiano de matris nomine appellatum cum lacu & piscationibus palatium fecit, alia item ædificia in honorem affinium. Pontes à Traiano factos instaurauit, nomine suo non addito, nouos & ipse fecit. Statuas summorum uirorum undiq; tralatas in foro Traiani collocauit. In foro etiam diui Neruæ statuas posuit diuorum Imperatorum, cum titulis, & re-

rum gestarum subscriptione è Porphiretico & Lacedæmonio lapide immista opera primus instituit, plurimasq́; statuas hoc genere dispositionis diuersis in urbis locis posuit. Quodq́; ad urbis spectaret, atque imperij dignitatem, carrucas, rhedasq́; quibusueherentur Senatores argentatas esse uoluit. Edendis quoq; spectaculis ludisq́; theatralibus magno etiam opere delectatus est. Pietatem uero, ac religionem uidetur in primus coluisse. Cui enim uirtuti uir magnanimus addictus magis esse debet quàm pietati, ac religioni? Cum præmium eius idem sit illud qđ deorū est imortaliū, honor, ac reuerentia. Itaq; ut omittamus qua pietate usus sit in matrē, quæ quidem temporū illorū iudicio maior esse non potuit in omni obseruātiæ genere, templa frequēs uisitabat. Romæ cum esset, septimo quoq; die Capitolium ascendebat. Rem diuinā suo in Larario, mane primo faciebat, quoties cum uxore nō cubuisset. Quo in Larario tum optimorū principū statuas collocatas habebat, tum sanctissimorū hominū et in ijs Habraæ, Orphei, Apollonij, Christi, cui ēt dedicare templū cogitauit, eumq́; inter deos referre, dissuasus tamē ab illis est, ꝗ dicerēt si id faceret. uniuersos breui futuros Christianos, ueterumq́; ædes deorū q̄ primū desertū iri. Nā exorta contentione inter Christianos, ac popinarios, de loco quodā in quo Christiani sacellū ædificare instituissent, popinarij uero aduersarentur, ut ꝗ locū eum sui iuris esse dicerent, consultus Imperator rescripsit, satius esse deū illic coli. Cæterū quod argentum in templis dedicaret, nō temere qnq; libras excessisset, aureū uero tantum aut reticulū esset, aut bracteola, susurrare Persianū illud solitus, in templo ꝗd facit aurum? qđ ad usum ꝗdem hominū esset inuentum, commutandasq́; ad res in uita agenda necessarias. Quod uero iudicari piū iure suo potest, præclarissimorū uirorum heroumq́; simulacra secundo in Larario uenerabatur, in ijsq́; et Ciceronis, cuius de re publica, deq́; officijs libros frequētius lectitabat et Virgilij, quē Poetarū Platonem uocabat. Dona quæ à regibus accepisset reponi in templis iubebat. Matri puellas sacras instituit, quas Mamæanas uocari uoluit. Isium, ac Serapium perquā decenter ornauit signis additis, ac doliatis, ꝗbusq́; alijs mysticis opus esset. Quē autē imitaretur, elegit potissimum Macedonē Alexandrū cuius laudes & audiebat libentissime, & legebat historias. Itaq; statuam eius inter Lararij diuos habebat, uenerabaturq́;, etsi ebrietatem condēnabat, atq; in amicos crudelitatem, delectabaturq́; eorū lectione scriptorū, qui illū ab ijs uitijs tutarētur. Ad secundā mensam in expeditionibus præsertim, militares admittebat amicos, ac notos homines, ꝗbus poculū dabat, su

me, inquiens, in honorẽ Magni Alexãdri. Numos quoq; sub imagine illius, ac nomine conflari iussit ex electro, et auro. omni deniq; labo rabat studio quo dignus Alexãdri nomine uideretur. In expeditione enim Parthica, qua Regem illũ potentissimum uicit, Alexandri ipsius exẽplo & argyraspidas, et chrysosparidas, et Phalangẽ constituit ho minũ triginta miliũ, sex è legionibus, similibus instructorũ armis. De seipso, qđ magnanimi est propriũ, prædicari male libenter audie bat, proindeq; tum Oratores, tum Poetas, qui panegyricos de ipso scri psissent audire nunquam uoluit, hortabatur uero eos ut facta lauda rent priscorũ, maximeq; Romanorũ, cum primis autẽ Alexãdri Ma cedonis. Quin & ipse cum esset maxime eruditus uitas bonorũ prin cipum uersibus scripsit, atq;, ut traditũ est, nõ inuenuste. Geometriã nouit, atq; Astrologiã. Egregie etiam pinxit. In haruspicina augura liq; admodũ profecit. In Musicam pronus, nunq̃ tamẽ, qđ impera-toriũ minime duceret, testibus cantauit ullis, præterquã pueris suis. Bonus et luctator fuit, et palæstrites, eratq; mos eius, publica post ne-gotia, bellicasq;, ac ciuiles curas, legendis tum Philosophis, tum Ora-toribus aut Poetis dare operã. Inde aut cursu, aut lucta, aut palæstri co alio ludo se exercebat, cum esset ipse iuuenis, siqdem mortuus est, annum agens septimũ ac trigesimũ. Mortis autẽ ita contemptor fuit, ut in pugna illa Parthica, inter tela, & qua maxime conferta erat acies uersaretur, nec imperatoris solũ munia, uerũ ẽt strenui dextra militis munus edens. Cum autem à Thrasibulo Mathematico prædi ctum ei esset barbarico gladio occubiturũ, lætatus dicitur, qđ existi-maret in acie se casurũ, ac dijs ipsis similẽ et parẽ futurum, in pugna si caderet, quippe qui cum alacritate quadam animi referret Alexã drum, Põpeium, Cæsarẽ, adderetq; et Ciceronẽ, et Demosthenẽ uio-lenta morte diem obijsse. Delectatũ uero eũ, tum doctis uiris, tum ẽt probatis, ac sanctis moribus indicio est, qđ inter consiliarios publicis, ac priuatis rebus deliberandis, administrandisq; ijs potissimũ quos referam usus est, Vlpiano, et Paulo Romani iuris prudentissimus, ac maxime integris uiris, Fabio Sabino tantæ grauitatis, continen-tiæ, sapientiæq;, ut Cato illius tẽporis haberetur, Aelio Gordiano, ui ro maxime insigni, Aelio Serenato, quẽ ætas illa sanctissimum iudi-cauit, Cæcilio Seuero, qui uir illius temporis doctissimus est habitus, Claudio Donato Oratore amplissimo, et Quintillo Marcello, quem optimum fuisse historicum, Spartianus est author.

Fuimus fortasse longiores in colligendis Alexandri dictis, ac factis, quod eo libentius fecimus, quod Alexander iuuenis ea præstitit ex

omni parte, quæ senectæ ætatis uidentur esse propria, neq; hoc ambitiose, ut perinde, ac historiæ scriptoris munus obiremus, uerum quo palàm exemplis faceremus, magnanimos etiã uiros inuentos, q̃ uirtutes cæteras magnanimitati coniunxerint, appositeq́; , atq; conuenienter à bonis Philosophis dictũ esse, uirtutum quidẽ omnium ornamenta inesse debere magnanimo. Nihilominus ueniam Andrea Matthæe à te ipso præcipue petimus, si relicta fortasse aliquantum philosophãdi uia ad historiam deflexímus. Sed nec etiam grauabere, quo magnanimum ipsum perfectius teneas, quàm parce, q̃ moderanter, q̃ etiã paucis Alexander deuicto Artaxerse Parthorũ, ac Persarum Rege, de seipso, deq́; tota uictoria locutus fuerit in Senatu, atq; apud populum. Neq; uerbis, inquit, multis opus est, neq; magniloquentia. Artaxersem Regem relictis signis intra Persidis fines compulimus. Centum triginta millia equitum fudimus. Cataphractorum, quosq; Persæ Clibanarios uocant, decem millia in pugna cecidimus, quorum armis nostros instruximus. Captos è Persis plurimos uẽdidimus, ac seruire docuimus. Ex elephantorum numero triginta cepimus. decem et octo uiuos p̄duximus. ducenti interfecti. falcati currus mille et sexcẽti capti. Mesopotamiam recepimus. Miles diues, exercitus uictor domum in patriam redit. Quod reliquũ est, quodq́; erga deos immortales humana gratitudo exigit, supplicationes decernamus, ne deorum ipsorum parum memores tanta in uictoria uideamur.

Ex ijs igitur, quæ in medium attulimus satis constat, & iustitiæ, et liberalitatis, & spectatæ cuiusq; uirtutis, maxime spectatas actiones in magnanimis uiris tanquam perflorescere. Quibus quidem referẽdis, etsi aliquanto longiores fuimus, nõ desistemus tamen à quibusdã etiam recensendis, quæ tum dicta, tum tentata illorum nos magnanimitatis admoneant, qui ea aut dixere, aut etiam tentauere. Tantum autem abest, ut à philosophandi propterea officio recessisse uideri debeamus, ut nullum philosophandi genus honestius, laudabilius, utilius iudicemus, quàm illorum ipsorum dicta, factaq́; aut tentata, in medium afferre, qui uirtutes actionibus ipsas suis docuere, atq; exemplis magis quàm argumentorum explicationibus quærendas esse.

Sextus Pompeius Magni Pompeij filius, qui Siciliam obtinebat, cum inde ex Africa à Lepido, hinc ex Italia ab Octauio, maximis terra mariq; exercitibus premeretur, decreuit uno, eoq; maxĩe illustri prælio decertare. Misit itaq; ad Octauium, qui maritimũ illũ ad certamẽ prouocaret, quo de uniuersa re coactis semel uiribus utrinq; ageretur, statuta die pugnæ, nauiũq; ẽt certo numero, quæ res ne ab Octauio

quidẽ detrectata est. Idẽ antea cũ Antonio, atq; Octauio percussis foederibus, Cũ illos in triremi accepisset in cœnã, atq; iter discũbẽdũ ab Menedoro classis præfecto clàm esset admonitus utriusq; capiẽdi, qua rõne et paternã ulcisceretur necẽ, et uniuersum sibi imperiũ uindicaret, cũ Menedorus ipse ita prospexisset nauibus, uti euadere neuter in cõtinẽtẽ posset, summa cũ animi celsitudine respondit, Menedoro quidẽ id licere, cui peierare fas esset (fuerat enim seruus) Pompeio uero Magni Pompeij filio nequaq̃ licere, Vtrunq; animo q̃ generosissimo.

P ullulantibus iam inter Antoniũ, atq; Octauiũ discordiæ seminibus, cum hic Antonij familiares, amicosq; alium alio per honestas dimitteret causas, Lucium quoq; illius fratrem, quem antea fame pressum apud Perusiam in deditionem acceperat, mittere ad Antoniũ decreuit, cum mãdatis, siue Luciũ ut tentaret, siue quod ea per fratrẽ potissimum Antonio nota esse cuperet, ad quæ Lucius, non ut liberalem modo, atq; ingenuum decebat tum ciuem, tum Senatorẽ, uerum etiam ut summo, ac maxime excelso animo præditum, Si meus, inqt, frater Antonius aduersus triũuiratũ pro patriæ libertate contra te Octaui moturus est arma, q̃q̃ de me tantopere est benemeritus, clàm tamen palam'ue ad illum proficiscar aduersum te pro patria dimicaturus. Sin ea est fratris sententia, ut sua tantũ pro dominatiõe aduersum collegas sit bellum suscepturus, ego pro te Octaui aduersus fratrẽ armatus atq; ĩ acie stabo, nequaq̃ desiturus tua pro causa cõtra illũ pugnare, q̃diu ĩtellexero patriæ in te libertatis curã inesse, q̃ et amicitiæ, et generi ubiq; sum præpositurus. Atq; hæc qdẽ uerba ut magnanimiter à Lucio dicta, sic ẽt ab Octauio maxĩa quoq; cũ admiratione sunt accepta.

N ec uero indignũ uideatur cuiquam, si Iuliæ Antonij Triumuiri matris egregiũ tum factum, tum generosa admodũ retulerimus uerba. Nam cum Lucius Cæsar. Iuliæ frater in illa Triũuirali coniuratione morti esset destinatus, militesq; ad eũ occidendum concurrissent, q ad sororis domũ confugerat, illaq; dignitate, atq; authoritate sua grassatores initio arcuisset à limine, tãdẽ in forũ profecta, ubi Triũuiri cõsidebãt, uirili maxime animo, quiq; antiquũ præ se ferret genus, familiæq; nobilitatẽ, ante filiũ ipsum constituta, Ego me ipsam imperator accuso inqt, quæ Luciũ fratrẽ meũ, auũculũ tuũ, penes me domi aduersum edicta uestra habeã, quem ut recte intellegas habitura etiã sum. Proinde scias uno utiq; gladio matrẽ cum auunculo simul transigẽdã. Qua animi magnitudine effectum est, ut Planci consulis opera, Lucij sit Cæsaris incolumitati prospectum ac restitutioni.

N ec uero ab re fuerit, si alterum quoq;, ac tertium huic matronale exẽ

plum subdidero. Thesta Dionysij tyranni soror cum à fratre grauissimum accusaretur in modum, quod ipsa Polyxeni coniugis fugae conscia nullum fratri fecisset rei eius indiciũ, Ad ea, quaipsa quidẽ erat animi magnitudine, metusq; omnis expers, Adeo ne, inquit, Dionysi ignaua tibi uisa sum, degenerantiq; prorsus animo, ut non Polyxenum maritum fuissem secuta, si eius mihi consilium fuisset cognitum, omnis eiusdem fortunae atq; erumnarum comes futura, ac particeps? ac si non satius utiq; fuisset, uel exsulantis, ac profugi uiri uxor dici, quàm dominantis Dionysij soror.

T ymoclia singularis pudicitiae matrona Thebana in direptiõe per uim à tribuno cognita, illũ haudquaquam multo post arte quadã usa praecipitem dedit in puteum, deuolutis è uestigio plurimis in caput eius saxis, quo illum omnino conficeret. Accusata igitur, à contubernalibus, deductaq; ad Alexandri conspectum, et incessu ipso, et corporis totius statu, q̃q̃ captiua, atq; à militibus tracta, admirabilẽ prae se tulit animi magnitudinẽ. Interrogata igitur ab Alexãdro, quaenã esset, quoq; è genere, Tũ ipsa aio maxime confirmato, uultuq; robur ipsum animi referẽte, Ego inquit, ó Rex Theagenis soror sum, eius inq̃ Theagenis, qui dux exercitus in Cheronaea aduersus patrem tuum Philippum, instructa acie pro Graeciae libertate pugnans fortissime occubuit. Admiratus igitur matronae magnitudinem animi tantam Alexander in summa etiam calamitate, & in respondendo, & in uindicando uim illatam, liberam eam cum omni familia esse iussit.

P hocion Atheniensis cum iniustissime duceretur ad supplicium cum alijs etiam quibusdam ciuibus, interrogatus ab amicis, qui illum honoris gratia, atq; amicitiae sequebantur, uellet ne per eos ipsos filio aliquid significari, Vt illatae, inquit, in me populo ab Atheniensi iniuriae prorsus obliuiscatur. Cum autem uenenum deficeret, quod in illis alijs absumptum fuerat, mortiq; afferretur mora à carnifice, quod uellet duodecim sibi prius dragmas à magistratu pro ueneno solui, tanti enim eius uenibat unciola, Non stabit per me hoc, inquit, Phocion, uocatoq; ex ijs, qui sequebantur amico, Quando, inquit, emori Athenis, nisi empta prius morte non licet, huic quaeso ueneni pretiũ nomine meo exsoluito.

C aius Caesar dictator, tum admonentibus, tũ obsecrantibus ex amicis non paucis, uti custodes sibi adhiberet corporis, Syllae praesertim exẽplo, Quanto, inqt, satius est semel emori, quàm momentis singulis ab metu, ac suspicione cruciari. Idem cum animaduertisset suspensum in Aruernorum templo gladium, perinde, ac spolium quoddam

eius, surrisit,

eius, surrisit, detrahiq; illum e testudine ab ijs, qui notam inde affer ri uictori ipsi existimarent, minime passus est.

Alexandri Magni dictum illud est quàm celebratissimum, Regis id esse proprium, à quibus male audierit, in eos beneficentia maiore ut utatur. Suadentibus amicis noctu cum Dareo pugnandum esse, ne si aperto pugnaretur Marte, tanta hominum inspecta multitudine, miles consternaretur, maximo cum supercilio inclamauit, Victoriam se nullo modo furaturum.

Mithridates Ponti Rex in postremis etiã calamitatibus, tentauit ea quæ magni, atq; inuicti essent animi. Post tot enim prælia, in qbus uictus succubuerat, post tot regnorũ iacturam, ac gentiũ, quibus ab exercitu Romano spoliatus fuerat, post desperata etiam Scytarum auxilia, post filias deniq;, quas Scytharum dynastis coniunxerat, per summã proditionem ad Pompeium deductas, nihil tamen adhuc ignauum animo agitans, aut parum decorum, per barbaras maxime nationes, maximeq; infidos populos in Galliam proficisci decreuit, quam sciret Romano nomini infestissimam, ut Gallis socijs Italiã, ipsamq; urbem Romam iunctis simul utriusq; copijs infestaret, quod quidem præstitisset, ni Pharnacis filij præuentus insidijs, ducumq; suorum perfidia militiam detrectantium, uenenum haurire, ad ultimumq; Bittitum fidelem sibi commilitonem, gladium ut inferret in uiscera, rogare coactus esset.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE MAGNANIMITATE LIBER SECVNDVS.

HABES ANDREA MATTHAEE Marchio de magnanimitate quid sentiam, et quæ sint magnanimi ipsius partes ac munera, quem satis etiam constet in magnis uersari, quibus se omnino dignum, ac iure quidem ipso, & dignum, & benemeritum putet, atq; ad ea capessenda maxime idoneum. Qua quidem in amplitudine rerum, actionumq; uideri merito suo non sum mus modo, uerum etiam admirandus queat. Ac nihilominus quoniam à dignitate minime recedit, ac decoro, mediocritatem utiq; seruabit, idq; etiam temperamentum, ut neq; à medio ipso discedat, talemq; se existimet, qualis haberi dignus est, talia etiam agat, qualia

animi eius magnitudini conueniant. Quando nec à medio, ut dictũ
est, digreditur, qui neq; plus minus'ue, quàm par est, agit, neq; se ali
ter gerit, quàm ut dignitas eius postulat, & quàm eius ipsius mune-
ris est, atq; officij. Qua è re quod initio diximus planè constat, ma
gnanimitatem, mediocritatem esse quandam in ipsa quidem & ani=
mi, & rerum magnitudine, atq; excellẽtia, & in ipsis quoq; in qui
bus uersatur honoribus. Atq; hoc quidẽ in loco merito à te quæratur,
Si honor externis est è bonis, à qbus potissimum magnanimus hic no
ster eum aut accipiet, aut exiget, ab illis'q; accepto lætabitur (nam læ
taturum eum mediocriter, supra est ostensum) à magnis'ne, ac præ
claris tantum hominibus, an etiam ab humilibus. ijsdem'q; facinoro
sis, atq; infamibus? Vt igitur dicam quod sentio, primum magna non
nisi conferri à magnis possunt, quæ'q; bona sunt, ac laudabilia, non
nisi à bonis, ac laudatis uiris. Adhæc quæ iure tribuantur, ac meri
to, tribui nisi ab ijs, quorum id in manu est, & quorum interest,
minime debent, secus enim desinit esse iustum. Quo'circa à grauibus
ac præstantibus uiris, & quorum interest, & de quibus probitatis,
atq; integritatis opinio est, & exspectandus, & accipiendus est ho-
nor. Nanq; ut improbitati, prauitati, inquinationi nullus debetur ho
nor, sed uituperatio potius, sic à nefarijs, & scelerosis uiris uerus ho
nor exspectandus non est, minime etiam si offeratur, accipiendus.
Erunt autem qui hac in quæstione dicant, plebem, populares'q; ple
runq; deprauatis esse moribus, ut Romanum, Carthaginiensem, atq;
Atheniensem populum, Non igitur à populo quærenda suffragia,
multo etiam minus accipiendos magistratus, titulos. Atqui decreta
illa iudicantur æqua, & iusta, quæ totius ciuitatis iussu, populi'q; de=
cernuntur, populi enim nomine ciuitatẽ intellegi uniuersam uolumus.
Quæ autẽ uniuersi decernunt, ea contemnenda nullo modo sunt, iu
sta enim quæ sunt, etiã honesta existimantur. Quid si unus aliquis fe
rendis suffragijs, decernendis'q; parum consenserit honoribus? An nõ
ueteri est in prouerbio, Irundine ab una uernum minime tempus de
cerni? Et Scipio ille maior in petenda ædilitate, obsistentibus tribunis
plebis, quod non dum legitima ætas eius esset ad petendum ut erat ge
nerosus, generose etiam respondit, Satis se annorum habere, si Qui
rites dignum ædilitate iudicassent, eodem'q; creassent iudicio ædilẽ.
Quid igitur hac in re sentiendum sit manifesto uides et rationibus,
& exemplis. Cum magnanimus ipse eiusmodi quidem sit, ut neq;
sese ipse decipiat, neq; tanquam per nebulam decipi ab alijs patiatur.
Qui enim introrsus se ipsum cognouerit, uix committet, ut exterius

capiatur, aut opinione, aut fraude, aut omnino deprauato consilio atq; iudicio. Veri igitur, ac legitimi honores à grauibus, atq; honestis uiris & exspectantur & conferuntur, atq; ab illis quorũ in manu ea res est, & in quibus omnes consentiunt. Qui enim aut syncerior honor, aut augustior, q̃ qui publicæ exhibetur? cum sit idem etiam legitimus. His igitur oblatis magnanimus merito gaudebit, & quam debet uoluptatem inde capiet, Videlicet non tam ipsis ex honoribus (quod pretium nequaquam æquale est uirtuti, cum ea sit animi proprium bonum, etsi exterioribus è bonis nullum est honore aut maius, aut expetibilius) quàm quod uirtutem eã sit assecutus, cuius pretium hominum iudicio honor existimetur, quo ne tribui præstabilius queat. Dixeris hoc etiam loco, cum honores ipsi qui conferuntur longe fuerint minores, atq; inferiores meritis, num eos aspernabitur, renuet'q; magnanimus? Quin illos grato admodum animo accipiet, non ut par quidem præmium, sed ut uirtutis proprium ornamentum & signum, ut'q; publicum, ac consentiens testimonium. C. Lutatio Consuli ob tot, ac tantas res fortissime aduersum Pœnos nauatas publicæ concessum est, è cœnis atque è curia accensis noctu funalibus, ac præcinente tibicine domum ut regrederetur. An tibi uideatur consentaneum hoc meritum uictoriæ tam eximiæ? Itaq; quanquam paruum, acceptum tamen ab illo æque, ac maximum, quod uirtutis esset, rerum'q; à se gestarum publicum testimonium, cum præsertim Romanis è ciuibus permissum id esset nemini. At oblatos à turpibus, atq; indignis uiris, ut qui infectum, ac fœdatum se iri illis, & notam inde contracturũ intellegat, omnino recusabit. Pari quoq; ratione si quanquam legitime oblatos, longe tamen impares eos iudicauerit, excellentiæ'q; animi sui ut humiles, ac sordidos, nullo modo conuenientes, decernet'q; secum idoneum prorsus, ac consentaneum præmium, uirtutem esse ipsam, qua contentus erit, & animum magnitudinis, ac præstantius suæ testem, Quo etiam teste utetur, ac iudice, quoties res ob bene gestas, non parum modo sibi responsum uiderit, uerum etiam ingrate, impudenter, inimice. Quo præsertim tempore magnitudinem illam suam omni è parte præ se ferat oportet, etiam ingratitudinis contemptricem, Africanum secutus, qui impudenter uocatus ad reddendam rationem, summa'q; cum ingratitudine, quo erat animo, conuersus ad eos qui astabant Senatores, ac ciues
» alios, Hoc inquit, die Annibalem uicimus. eamus igitur in Capitoliũ,
» Ioui optimo maximo, dijs'q; alijs populi Romani fautoribus gratias
» acturi. Id'q; cum fecisset ex urbe in agrum sese contulit, rerum gesta

rum amplitudine, celsitudineq; contentus illa, quæ Iouis ut putaretur filius, & populo Romano, & gentibus persuasit alijs.

Vir igitur magnanimus, & adipiscendis, & contemnendis, aut recusandis honoribus, nunquam à se ipso suáq; à magnitudine recedet, ubiq; par, ubiq; idem, ac sibi similis. Omnino enim tanta illa honorum admiratio, tantáq; exsultatio, ac pene gestientia, animi est parum magni, qui oblatos eos perinde intueatur, ac si repentinam ad rem attonitus, seipso, suisq; meritis, maiores illos ducat, atq; ut sibi parum debitos, supráq; spem, atq; expectationem suam tributos. Quæ enim in expectatione sunt posita, & tanquam merito sperantur euentura, ea nequaquam admiratione nos afficere, sed uoluptate debent. Quæ qui admirantur, palàm illi quidem testantur præter merita, supráq; opinionem ea contingere. Cum magnanimo in ijs, quæ ad honorem ipsum pertineant, supra exspectationem, & eam quidem iustam, ac præter spem ipsam, nihil omnino contingat, Quin eiusmodi quidẽ ipse est, ut indigne secum agi putet, queratur, doleat, ægerrime ferat, si ob diuitias, potentiamq;, præterquam solam ob uirtutem honorari, & in pretio esse se senserit, siue apud ciues, siue apud peregrinos & exteros.

Quis igitur tum Romulum conditorem urbis, tum populum Romanũ plene unquam laudauerit? qui sua præmia, suos honores, ac titulos, laboribus, ac meritis, ipsiq; uirtuti statuerint, habita ratione nõ aliarum modo rerum, uerum etiam ætatis, ut præscripserint, statuerint, sanxerint, qui magistratus cui ætati, cui ciuium ordini, quod præmium, & quantum etiam benemeritis ciuibus, ac præsertim foris rẽ publicam gerentibus, quæ dignitas, qui etiam ornatus, ac uestitus, quæ insignia, qui tituli & deberentur, & conferrentur. Hinc igitur ouationes, ac triumphi, hinc ouantium, ac triumphantium pompæ, ac pomparum fercula, hinc deficiẽtibus iustis titulis Cicero pater patriæ primus appellatus, hinc quod ad ornatum pertinet, sedes curules, paludamenta, trabeæ, palmatæ, suáq; cuisuq; magistratus ornamenta, atq; insignia, ut scirent magno qui essent, ac præstanti animo, qua uia, quibus artibus, qua etiam ratione ad honorem contenderent, & quod honoris genus post nauatas operas, exanclatáq; pericula, esset ipsis exspectandum, ac publicæ conferendum. Sed redeat unde digressa est oratio.

In ipso quoq; honore qui uirtuti huic propositus est, honorisq; expetitione, idem contingit, quod etiam in pecunia eroganda, duæ ut simul uirtutes, inæqualiter tamen, utraq; in re uersentur, altera quidem

ut maior,

ut maior, atq; uberior, ut minor uero minusq; erogās æltera. Vt igitur magnificentia in magnis quidem se se exercet sumptibus, in minoribus uero liberalitas, Sic magnanimitas in magnis quidē ac maxime claris uersatur honoribus, at ambitio in minoribus, nec eiusdē omnino claritatis atq; præstantiæ. De qua dicere quanquam minore in re, te & hortante & uolente non dubitabimus, si hoc prius præfabimur, nec Græcæ Aristotelem, nec Ciceronem Latine, sua et propria nomina prodidisse, aut eorum qui nimium, aut qui mediocriter et quā tum satis est erga honorem hac in parte afficerentur. Sunt autem Aristotelis uerba hæc, » Videtur autem & ad ambitionem remissio, & ad » remissionem ambitio, & ad utranq; utraq; quodāmodo opponi, quod » in alijs uirtutibus esse cernitur. Sed ex eo iudicantur opposita, quod me» diocritas ipsa sine nomine est. Et Cicero cū dixisset Lælio affuisse summam hilaritatem, subdidit, Scipionis ambitio maior, uita tristior. Ambitionē itaq; pro laudabili honoris cupiditate & studio posuit. Nos igitur conabimur quantū Latinus fert sermo, & ratio ipsa dictat, et habitus ipsius qui medius est, & eius qui eo ornatur nomen suū proferre. Ambio uerbū à quo ambitio ducitur, cōmune quidē est & eius q nimiū, & qui è contrario mediocriter erga honorē afficitur. Quod Plautus declarauit cū dixit, Virtute ambire oportet, non fautoribus. Spectat enim ad utrunq;, & qui nimium, & qui moderate honorem et expetit, & exquirit. Itaq; quod ambitio in malā plerunq; capiatur partem, uicij eius nomen esse eam hac in quæstione uolumus, quod ab ambiendi nascitur exuperantia, uicioq; eo infectum ambitiosum. Mediocritatem uero ipsam, ut ab eodē uerbo nomen deflectamus, ambientiā, & in quo hic insit habitus ambientē, ut tēperantiā et tēperātē, continentiā & continētem, prudentiamq; et prudentem. Itaq; qui minoribus affectandus honoribus ita dat operam, omni ut è parte mediocritatem seruet, nec in expetiscendo modum egrediatur, sed sui potius, ipsius æquus sit æstimator, nec se abijciat, nec suum quod non est illud sibi arroget, aut præsumat, nec in ambiendo recta à ratione ac uia cursum detorqueat suum, iterq; merito laudatum insistat, is erit ambiens ille qui hactenus quidē extitit innominatus, et mediocritas ipsa, quæ minor magnanimitate uirtus est habita, erit ambientia, nomenq; ipsum ambitionis atq; ambitiosi ad uicium atq; excessum penitus ablegamus.

Leonardus Aretinus uir maxime studiosus, quiq; Romanam eloquentiam suis temporibus à sorde primus atq; illuuie uendicare in splen-

dorẽ est conatus, defectum ipsum qui est Græce re-
missionem trastulit, & qui ita sit affectus, remissum. Nos uero An-
drea Matthæe libere tecum quo agamus, proq; nostra consuetudine,
etiam ingenue, utq; hac ipsa in re quæ ad magnanimitatem spectat,
generose pariter, ac magnanime, sequemur hac quidem in parte, &
minore hac in uirtute, rationem eã, quam maiores nostri, Romanæ et
linguæ, & Philosophiæ patres in maiore sunt secuti. Illi enim magna-
nimitati, quamuis magno paruum sit oppositum, nequaquam parua-
nimitatem opposuere, uerum pusillanimitatem, neq; magnanimo illũ
ipsum, animi qui esset parui, sed pusillanimum, nominis adhibita dimi
nutione, quo res ipsa manifestior fieret. Quorum ipsi uestigijs innisi,
ambitioni opponemus abiectionẽ, ambitioso abiectũ, remissi, remissio
nisq; nominibus prorsus repudiatis. Neq; enim hæc ipsa noĩa planè ui
dentur rem implere. Nam remissio uidetur esse aut deficientis in labo-
re, ac defatigationibus, quærentisq; requietem, atq; ocium, uiriumq;
instaurationem, aut eius, qui alicui intentus operi, obiecto metu, cogni
taq; rei difficultate, pedetẽtim se se retrahit, ac relassat ab opere iam
suscepto. At nomen ipsum abiectionis præ se fert in re minore id, quod
pusillanimitas in maiore, hoc est diminutionem quandam, animi ip-
sius indicem. Vtq; in re ille magna non parui tantum, uerum etiam
pusilli se se exibet animi, tantuliq; se æstimat, Sic minore hic in re,
uel nullius apparet omnino pretij, uel certe minimi, cum se se prorsus
abijciat. Quocirca huiusmodi homines abiecti sunt potius, quàm re-
missi. Quod si minus à te probabitur, illud non inepte fortasse arbi-
trer, minime te improbaturum, & proprio magis et significantiori
etiam nomine demissum uocari quàm remissum, & demissionem
quàm remissionem potius esse dicendam. Nam qui remittitur fuit ipse
aliquando intentus, qui autem demittitur, nunquam. Cũ animus eius
sponte quidem demittatur, ac relanguescat. Sed nos tecum hæc libe-
rius. Studiosissimus autem quisq; indagationis huius, tuq; ipse in pri-
mis arbitratu in hoc tuo utere, quodq; tibi uel accommodatius uide-
bitur, uel parum probaueris, pro animi tui sententia uel defugies, uel
sequere. Quoniam in hac nos disputatione, quæ est de ambitione, ui-
deri minime quidem ambitiosi uolumus.

Et magis igitur quàm aut oportet aut decet, & minus etiam, quin ut
magis & minus, sic etiam mediocriter, quantumq; satis est, ut cæ
teris in rebus, sic minoribus quoq; & expetendis, & assequendis
honoribus, contingit homines affici, laudariq; eosdem aut uitupe-
rari, pro modo, atq; mensura. Laudatur igitur ambiens quia nec

plus nec minus quàm oportet aut decet, aut afficitur aut ambit, ſed quantum ſatis eſt, ratioq́; ipſa dictat, à qua ſeq; ab ipſo, rebusq́; ſuis æſtimandis nullo modo recedit, eadem quoq; laus eſt atq; commendatio ambientiæ. Omnis enim mediocritas laudabilis, ipſa namq; uirtus eſt. Contra uero uituperatur ambitio, ut uicium, improbanturq́; ambitioſi, quod relicta ratione in exceſſum abeăt, nam cum imperari ſibi ab affectibus patiătur, nimiaq́; à cupiditate, non modo in eo peccant, quod medij ſponte tranſgrediuntur lineam & affectando & ambiendo, ſed in eo quoq; quod perſæpe unde minime par eſt, ac nullo modo debeant, honorem inde aucupantur. Qua è re dupliciter ab eis peccatur, cum neq; menſuram ſeruent, nec modum ullum, perq́; imprudentiam ea & ſequantur et eligant, quæ repudianda omnino quidem & ſint, & uideantur, ut qui ex incenſo Iunonis Epheſiæ templo famam ſibi comparare conatus eſt. Improbantur etiam qui ob animi ipſius abiectionem demiſſionemq́;, non ſolum ut par eſſet, non mouentur ad capeſſendos honores, nec ad ea ſe erigunt quæ ſint honeſta, pulchra, homine digna, uerum præ animi demiſſione ac frigiditate, quod honeſte deberent laudabiliterq́; conſectari, illud ſponte defugiunt, ut nec ipſi cupiant, nec quærant, cum poſſint etiam cum honeſtate & laude honorari, adeo anguſti ſunt & omnino langueſcentis uel potius deficientis animi.

L abes igitur qui ſit ambiens, qui ſiue abiecti, ſiue demiſſi, qui etiam ambitioſi, Hiq; in eo quidem peccant quod nimij ſint, abiecti uero quod ea defugiant ad quæ natura ipſa duce rationabiliter moueri debeăt. Itaq; hi q̃ illi acrius coarguendi, cum hi defugiant, indignosq́; ſe eo iudicent, quo quidem merito eſſent digni, Illi uero qua honorem ſequuntur, qua illum rebus externis cæteris præferunt, nullo modo reprehĕdĕdi, ſed ex eo tantū, quod nec unde debeant honorari cupiūt, nec ſi debeant, quantum, quoq; modo aut oporteat, aut deceat, metiuntur. Quamobrem hæc ipſa abiectio & longius quàm ambitio recedit à medio, & peruicacius rectæ repugnat, aduerſaturq́; rationi, uel, ut proprie magis loquamur, rationem ipſam auerſatur, uultumq́; eius reformidat. Eam nos, ut diximus, diſputatione in hac accipi in malam omnino partem uolumus, id quod in magnanimitate etiam uſuuenit, ut puſillanimi, quàm inflati magis aduerſentur magnanimus, etſi ex inflatione pernitioſiora in ciuitatibus oriri ſoleant mala, nimiaq́; ex honoris appetitione, quàm è puſillanimitate, honorumq́;, ob animi imbecillitatem, inexpetitione, et fuga, id quod duo Graci Romana in re publica docuere, longe uero manifeſtius hinc Marius, inde Sulla, ut

de Pompeio, ac Cæsare prorsus taceatur.

Nec uero negauerim qui honores non contempserint modo, uerum etiã reiecerint, inuentos non paucos, quiq; cum abundauerint diuitijs, aut ex toto eas abiecerint, aut magna parte in benemeritos tralata, uiuere in mediocritate quadam decreuerint, quorum non idem est consiliũ, quod abiectorum hominum. Illi enim repudiatis aut honoribus, aut diuitijs, aliud secuti uidẽtur propositum, uidelicet pro ipsorũ ingenijs, ut quietius, securius, tranquilliusq; sequerentur uitæ genus, sibiq; requietius consulerent, Cum hi ob degenerantem animum inhonorati uiuant, summáq; in humilitate, ac uitæ depressione. Et illorum quidem animis uideri inesse potest magnitudo quædam tum honorum contemptrix, tum diuitiarum, Cum his ipsis nihil omnino insit præter quam degenerans, atq; ignauum. Qua è re cum se ipsos aut parum aut nullo modo idoneos ducant expetendis, atq; administrandis honoribus, se se ut minimi quoq; æstiment, necesse est, uel potius, ut Comici loquuntur, flocifaciant.

Nec, siquando demissio illa, animiq; contractio habeatur pro modestia, alia contingit de causa, quàm quod & excessus, & defectus, & medium ipsum certis hactenus appellationibus caruerint. An ex eo fortasse potius, quod idem in hac ipsa uirtute usuueniat, quod etiam in fortitudine, ac plerisq; uirtutibus, extremorum inter se, ac medij comparatione facienda? Fortis enim ipse meticuloso comparatus, nimirũ fidentior, atq; animosior uideatur, qui si fidentiori comparetur, appareat meticulosus, Sin meticulosus fidentiori, uideatur forti maxime similis. Vulgus quoq; multa sæpe nõ ea qua sapiẽtes ratiõe et metiũtur, & iudicant. Itaq; quid tantopere unquam laudatum à populo Romano, quàm Græcorum turbulentia, & fictum ab eis summa orte, simulatũq; publici boni studiũ? Quibus atq; alijs affirmare licet ambitionẽ pestilentissimũ esse ciuitatis malũ, quæ ut coerceretur, non una lex Romæ olim fuit promulgata, plurimiq; diuersis tẽporibus aut repulsi in petendis magistratibus, aut condemnati. Conferebantur olim in ecclesia Romana id est Christiana Pontificatus, aliáq; sacerdotia frequentissime absentibus, atq; ignorantibus, non paucis etiam recusantibus. Erant in pretio merita, in honore integritas, summã afferebat authoritatẽ consenuisse in castimonia, et literis. Sed nescio quomodo probatissimi illi mores cõsenuere, estq; uerẽdũ ne breui ẽt ĩ peius ruãt.

Ambiẽtis igitur uiri munus est propriũ affectãdis, atq; adipiscẽdis honoribus se ipsum metiri, rationi se se accõmodare, seruare leges patrias, probatis moribus cõsuetudinibusq; nõ aduersari, non emere, non sup-

plantare, non mentiri, minime calumniari, aut falsò præsertim accusare. Quæ uitia mali sunt omnino ciuis, hominis'q; perniciosi. Ad nos ut magnanimum, sic etiam ambientem uirū bonum, ac probatum statuimus. Quo nam enim pacto honore erit, ac magistratu dignus homo mendax, uir improbus, ciuis legum uiolator, deprauator bonarum consuetudinum, corruptor proborum morum? emptor'q; rerum earum, quæ nulli pretio subiectæ esse debeant, præterquam uirtuti, laboribus'q; honestissimis, summe'q; laudabilibus? quorum honores ipsi certa sunt, & uera pretia. Ad hæc fidem cum primis colet. Quid enim quàm infidelitas, ac perfidia honoratione indignius. Erit item benefaciendi maxime studiosus, religionis defensor, cultor, conseruator. Neq; enim honorari dignus, sed à societate potius eijciendus humana, qui erga deos ingratus est, ac parum pius, quorū quidem proprius est honor, ac reuerentia. Idem nec prosperis in rebus minus quàm in aduersis pietatem erga illos ostendet suam exornandis templis, colendis sacris, magnificæ soluendis uotis, & animi potissimum castitate, integritate, innocentia retinenda, quæ uera & dijs accepta est sacrificandi ratio. In Romana Re publica, illis'q; præsertim temporibus, quibus innocentia plurimum ea in urbe ualuit, nihil fuit prius aut maius apud honoratissimum quēq; ciuem, quàm deos uenerari, illis'q; acceptum referre, quicquid bene gestum, feliciter'q; esset domi, foris'q; administratum, nihil'q; eorum sacrificijs supplicijs ludis'q;, quos in illorum faciebant honorem, magnificentius, ut in uictorijs quàm in calamitatibus uisi sint etiam religiosiores, magis'q; erga deos grati.

Et quoniam, ut est dictum, humanitas adesse ubiq; debet magnanimo, eadem hæc & ubiq;, & in actione quacunq; aderit ambienti, qua suadente & hominem se esse meminerit, & quanquam in magistratu positus, atq; undiq; spectabilis, ab insolentia tamen uiq; tanquam à scopulo cauebit, retinebit tamen dignam maiestate grauitatem. Nihil enim tam dedecet magistratum, quàm leuitas, quæ non in rebus modo administrandis, in contionibus, in deliberationibus, in familiaribus etiam sermonibus, uerum in oculis, in manuum commotionibus, in incessibus habenda est, quàm indecentissima. Vis, ac rapina grassantium est, ac prædonum, non illorum qui in edito constituti loco, tutari alios debeant. Et uero honor ex eo præcipue exhibetur dijs, quod benefici ipsi sint, quod'q; curam, suscipiant rerum nostrarum. Icirco etiam magistratus, honores'q; inuenti sunt, ut qui illis præsident, otio, tranquillitati, & ciuium communitati publicæ, ac

priuatim consulant, conseruandisq; popularium rebus. Quid enim honoratius quàm publicum in usum, & quoad fieri potest, in singulorum commoditates, emolumentaq; intendere? prospiciētem aliorum rebus, ut proprijs, ac suis? Nihil autem Deo similius quam benefacere cunctis, quam tueri humiles, quam unum pro omnibus laborare, insudare, curasq;, ac cogitationes pro uniuersis suscipere. Quam uiam qui reges, principes, rerum publicarum administratores ingressi tenuerunt, hi in initio inter mortales pro dijs dum uiuerent, et honorati fuere, & culti, & post obitum in illorum numerum relati, templa quoq; atq; aras cum iisdem tenuerunt.

S*ed nos fortasse longiores sumus quàm oportet, quanquam de ijs, quæ ad assequendum conseruandumq; honorem pertinent, satis multa aut dici aut præcipi omnino nequeant, & quæ de magnanimis sunt tradita, quæq; hac in parte etiam traduntur, sunt inuicem pro rerū qualitate, ac natura trāsferēda. Nihil igitur honore inter mortales in communitate uiuentes, atq; æquo iure humanisq; sub legibus aut maius est aut præstabilius, aut etiam optabilius, nihil aut magnanimo principe augustius, aut ciue uenerabilius. Difficultas autem ipsa raritatem uirtutis huius peperit. Omnia enim perfecta rara. quo autem rariora, eo etiam diuiniora, magisq; admiranda.*

C*æterum & inuenti sunt, & inueniuntur quotidie, qui uel honores nullo ipsi modo expetant, quanquam summo loco nati, aut oblatos respuant, aut in illis constituti se ab illis sponte abdicent. M. Fabius is, qui collegam in consulatu habuit Cn. Manlium, superatis acerrima, ac maxime cruenta pugna Veientibus atq; Hetruscis, cum Senatus triumphum ei decreuisset, facile quidem se passurum respondit, pro eximia eo in prælio militum opera, triumphare exercitum, si triumphare sine imperatore exercitus possit, Se uero lauream non accepturum, hinc funesta familia, Q. Fabij fratris morte, illinc republica orba Manlio Consule, duobus fortissimis uiris in acie amissis. Iure igitur Liuius omni acto triumpho triumphum hūc depositum clariorem fuisse dicit, spretamq; in tempore gloriam interdum cumulatiorem redire.*

E*x eadem quoq; familia qui primus agnominatus est Maximus, primusq; Romanorum ducum saltus penetrauit Ciminios, multorū idē magnorumq; exanclator bellorum, è recusatione ultimi consulatus, cum diceret senem se iam, ac perfunctum laboribus, laborumq; præmijs non esse solicitandum, cum nec corporis, nec animi uigor ille idem adesset, uererique; ne cui deorum immortalium fortuna ipsa sua*

nimia uideretur, constantiorq; quàm rerum humanarum natura ferret, atq; ut ipse seniorũ succreuisset gloriæ, sic consurgentibus alijs ad gloriam ac decus locum patefaciendum, ex hac inquam recusatione uisus est acuere magis, ac magis hominum in se studia, atq; eo amplius, quod ad excusationem etiam usus est legis præsidio, qua cauebatur, intra decem annos eundem consulem refici non licere. Tulit itaq; ex hac moderatione tantam laudem, ut non minor inde illi authoritas increuerit, quàm ex ijs quæ postea fortissime in ipso consulatu gessit, In quo permittente, ac decernente populo Publium Decium sibi collegam asciuit.

D iocletianus Augustus maximorũ etiã exanclator bellorũ uigesimo primo imperij sui anno, sponte, quidẽ illi cessit, quo tempore, Romanæ ẽt res florebant, nec diu post, multumq; rogatus, resumere illud uoluit. Itaq; quã animi magnitudinem administrandis maximis maximeq; difficilibus rebus præ se ubiq; tulerat, eandẽ quoq; retinuit atq; ostendit, in imperio deponẽdo, eodemq; orbis ẽt totius rogatu, minime resumẽdo.

F erdinandus idem, q aliquot post annos regnauit in Hispania Citeriore, quæ nunc pars in Aragoniã est, et Cataloniã diuisa, mortuo Rege, superstite in incunabulis filio, q de more gentis Regno succedebat, qq; propter infantiã Regni principibus, ac populis despectui iam esset, cũ ipse ob egregias animi dotes in sui admiratione proceres ulterioris Hispaniæ, ac populos traxisset omnes, solicitatus est à plerisq;, quo Regnum sibi assumeret. Itaq; ut erat nõ minus prudens q̃ iustus, cupiditatumq; humanarum uictor, multorũ animos, nunc spe, nunc blanditijs, ut quẽq; affectum nouerat, honeste, moderanterq; aliquantum cum protraxisset, ubi tandẽ opportunũ uisum est, conuocatis de more proceribus, ac populorũ procuratoribus, in publico ulterioris ferè totius Hispaniæ conspectu, expectãtibus fermè cunctis Regẽ ut seipsum declararet, prodijt in mediũ editoq; è suggestu infantulũ Regio ornatum cultu, atq; impositum humero, alteq; sublatũ, ab oĩbus conspici ut posset, ostentans, En Regem, inqt, ò Hispaniæ principes, liberarũq; urbium oratores, ac delecti uiri. Noster hic Rex est, hũc ueneremur, hũc colamus, huic fidem seruemus, q mos Hispanorũ est gentis, aduersum Reges. Atq; his dictis collocatũ Regio in solio infantulũ, ipse primus, ut moris est, ad pedes eius procumbens et ueneratus est illum, et in uerba eius iurauit, utq; idem cuncti facerent, exẽplo suo adegit.

D ubitauerim fuerit'ne maior eius animus in recusando Hispaniæ ulterioris Regno, q̃ Alphõsi eius filij i acceptando Neapolitano, pro quo et maxima et periculosissima erãt administrãda bella. Idẽ aliquot post

annos electus Rex à citerioris Hispaniæ principibus, ac ciuitatibus, non ante legatis respondit, quàm cognita Regis sui uoluntate. Itaq; ex illius sententia accepto regno, multa in eo præclare, atq; è Regia dignitate gessit, ut cognitum sit ac iudicatum ab omnibus Regnum Hispaniæ ab illo repudiatum, non laborum fugiendorum gratia, aut animi compressione, sed quod illius magnitudo (id enim magnanimi est propriū) nihil se dignum duceret, quod turpe uideretur, infame, nefarium.

Non fuit idem tamen consilium tempestate hac eius, qui nunc in Gallia Cisalpina dominans fratris filium, cuius ipse administrator esset, ueneno sustulit, quo ipse regnaret.

Magni igitur, atq; inuicti est animi, quæ alij admirentur, quæq; & summa, & maxima, & pulcherrima ducantur ferè à cunctis, ea cōtemnere, ac pro nihilo ducere. Cum præsertim Regium nomen tanto in honore & pretio semper sit habitum, ut sacrosanctum haberetur, nec defuerint, qui è cœlo manasse illud arbitrarētur. Quo'circa magni si est anim ad summa contendere, quod uigoris est ignei, ad illáq; pro meritis uelle euehi, Num non excelsi & omnia despicientis est uiri, maximis illis, ea si teneas sponte cedere, ac renuntiare? & quasi contemnas reijcere? aut si ab alijs offerantur aspernanter refutare, atq; omnino à se repellere, tanquam parui omnino ducantur? Quid autem excelsius, quàm quæ magni, & clari admirentur uiri, pro quibus generosissimus quisq; mortem ipsam contemnat, ea tanquā despecta abijcere, & quasi pessum etiam data calcare sub pedibus?

Itaq; non temere fortasse quispiam præter Aristotelicam distributionem, tertium quoddam etiam magnanimitatis genus esse dixerit, uersariq; illud in honoris ipsius contemptu, ac despicientia, atq; in gerendorum magistratuum munerumq; ciuilium recusatione, & fuga, quā quidem tum honorum contemptionem, tum munerum recusationem, ac fugam, aut ab ignorantia proficisci, quod & se ipsum quis ignoret, honorisq; naturam, aut ab anim langore, ac somnulentia, quod uelit in otio languescere, tenerrimisq; in uoluptatibus, est omnino turpissimum. Atque hæc quidem non magni, uerū degenerantis sunt animi uitia, & partim obtorpescentis, partim etiam maxime contaminati. Quid enim aut oscitatius, aut stupidius, quàm ignorare se ipsum? quid inquinatius, quàm fœdissimus corporis uoluptatibus se se ipsum tradere resoluendum? Oportet itaq; quo merito suo probetur, quo laude digna appareat omnis hæc honoris siue contemptio, siue magistratuum recusatio, ut ab animi progrediatur genero-

sitate, atq; excellentia. Recusauit aurum Fabritius, quod intellegeret, nihil illud conferre ad bene, fortiterq; ducendum exercitum. Abiecit & illud Crates. Quid scias ob ostentationem'ne, an ob animi uel mollitiem, uel abiectionem? Fabritij factum interpretari in malam nullo modo partem possumus, Cratis undecunq; possumus. Nam cur obsecro, quod honeri ei esset pecunia, non pauperibus atq; egenis ferēdā illā distribuit? Aiacis tāta illa magnitudo, animi'q; elatio, ad extremum in furorem uersa. Catonis summus etiam ille uitæ despectus caruit patientia, eáq; futura erat breuissima. Quod si quæ debebat, in maximo illa fuisset & ciue & Senatore, profecto extincto Cæsare. Ciceroni ipsi, Brutoq; coniunctus Cato, proculdubio tantam illam Antonio, & Octauio facultatem eripuisset rei publicæ tam facile occupandæ.

Hæc autem ideo dicuntur à nobis, quod ut in expetendo honore animus persæpe turgescit, parum'q; est sui ipsius compos, sic in contemnendo interdum nimius est, siue ob indignationem aliquam, temereq; conceptam opinionem, inceptum'ue minime cōsyderatum, uastitatem'q; obconsiliorum, siue ob ignorantiam, ut pene furore quodam agatur, siue quod adeo à societate, ciuiliq; consuetudine ille ipse alienus est, ut quanquam ciuis natus sit, ac sociabilis homo, quasi tamen soliuagus, sibi tantum in lucem, minime uero alijs uenisse uideri uelit, siue id ab ostentatione proficiscatur, siue ab innata uanitate, ac rerum humanarum odio, Qualem Atheniensem Timonem fuisse tradunt.

Quo'circa hunc ipsum contemptum neq; ob uanitatem susceptum esse uolumus, inanemq; iactantiā, neq; ab indignatione aut odio, deq; nimio fastu, ignoratione'ue proficisci, sed ab animo ipso ut eminente, & quid agat, intellegente, sic etiam tranquillo, maximéq; sedato. Quod de Lacedæmonijs traditur, qui cantu quodam maxime accommodato ferri ad pugnam soliti sint. Vt uero hoc in genere laudis, ac despicientiæ clarescat aliquis ob animi langorem, ac desidiam fieri omnino nequit, cum langor, ac desidia pusilli sit, non honorem aspernantis animi, qua de re satis multa iam diximus, cum magnanimum informaremus. Itaq; contemptor ipse honoris ab nimio peccare potest. de langore autem, atq; abiectione nullo modo potest. Qui enim ob molliciem ac laborum fugam recusat, reformidat'ue magistratum gerere, is honorem minime aspernatur, contemnit'q; ciuilia munera. Quando ab ijs qui mediocritatem sequuntur contemptus ipse, excessus quasi quidam habebitur, at mollis illa eneruataq; recusatio, et fuga ad defectum relegabitur, Et alterum fastidientis esse uidetur, in

dignantisq; raram illam, atq; eximiam animi sui eminentiam, ac sublimitatem parem, ac communem alijs facere, alterum pusilli, ac maxime relaxati animi. Itaq; contemptor ipse peccare potest excessu, defectu uero omnino nequit, quando in contemnendo honore, nullus metui relictus est locus, qui proprius ei ac peculiaris fugiendo. Nam ut qui inter nauigandum in summo nauis feruntur malo, nullam prorsus sentinæ nauseam sentiunt, sic qui honores sponte auersantur, innatumq; ob animi celsitudinem, pusillanimitatis nausea nullo quidem pacto inficiuntur.

Erit igitur aliud quoddam magnanimitatis genus, cuius est propria honorum contemptio, gerendorumq; magistratuum recusatio. Vt eiusmodi quidem homines quo magis uideantur honorem ipsum à se reijcere, hoc magis honor eos complectatur, reuerentiaq; atq; apud bonos, ac probatos omnes summa cum admiratione commendatio. At non probauerit hoc quidem Cæsar, quippe qui Sullam, ut ignorantem increpuerit literarum, quod se quanquam multos post annos, dictatura tamen abdicauerit. Atq; hoc quidem uirtutis genere, ac laudis non pauci excelluere, dum aut magistratus deponunt, aut oblatas repudiant dignitates, easq; animo contemptore auersantur, quorum animus est ita liber, consilia adeo stabilita, suiq; omnino iuris ipsi, ut ne magistratibus quidem (etsi gerendis illis, alijs & præsunt & imperant ciuibus) subijci patiantur. Licet honor ipse maximum habeatur bonorum humanorum omnium. Itaq; honorem alij affectant, ut nemini pareant, aut subiecti sint, summumq; ut locum teneant, hi uero despiciunt illum, atq; aspernantur, eo consilio, ut ne honori quidem ipsi, aut tribunali subijciantur. Vtq; illorum consilium est negotiosius, sic horum tranquillius. Atq; ut illi quærunt ob honores, ac magistratus, quos gerunt honorari, sic hi in honore haberi & pretio, quod illos contemnant, animiq; ipsius tranquillitatem honorationi præferunt, aut quod fortasse honorari omnino nolunt, uideriq; ex omni parte student, honorem nihili ab ipsis fieri. Atq; hos quidem honor ipse ut aspernantes sequitur, illi honorem ne eos fugiat studiosissime sequuntur. Iure igitur magni utriq; habendi sunt, ac maxime generosi animi. Cæterum illorum laus magis exposita est apud cunctos, atq; in hominum ore uersatur amplius uberiusq;, horum apud probatissimos quosq; longe habetur admirabilius factum.

Quod si magnanimos eos statuimus, qui & æquo ferant animo repulsam, dum tamen ipsi per se digni sint magistratu, in hocq; magnanimi laudem non exigua è parte uersari, uolumusq; eos mino-

ra in patria munera, ac parum omnino personæ eorum consentanea recusare, quibus sunt laudibus efferēdi, maximorum contemptores honorum? quiq; nec subire populi iudicium, artisq; ambitiosas uelint? uidelicet non propter conscientiam, sed quia popularem norunt ignorantiā, abominanturq; multitudinis leuitatem, ac peruersos mores, seq; in eo maxime generosos præbent, in quo magnanimi æquum duntaxat, ac tolerantem animum requirimus, dum consequi illud nequeat.

In hoc autem ipso aspernandi honoris genere facile est è Christianis, exempla etiam plurima afferre in medium, quale fuit Carolomani illius, qui fratri suo Pipino regno quod paterna ex institutione tenebat, sponte tradito, ipse in Casinati monasterio cum monachis consenuit. Quo etiam tempore Rachisius Langobardorum Rex anno regni sui quinto, cum Langobardorum res admodum florerent. Astulfo fratre Rege instituto monachū professus est. Quale item lōgo post tempore Celestini Pontificis Maximi.

Quia uero hæc ipsa ad uirtutes forte ciuiles minime referēda sunt, aliūq; ac diuinum potius quàm ciuilē respectant finem, atq; aliud bonum, Idcirco ea omnino prætermittimus. Ipsi uero quosdam nouimus, quos gerebant magistratus, ita quidem gerere, uti sua ipsorum munera dignitate tamen seruata uiderentur magis ipsi contemnere, quàm non admirari, Iudicarentq; sese honori magis esse magistratibus quàm magistratus ipsos sibi, demum illis renuntiasse, pro constituto habentes, atq; operæpretio, uirtute ipsa & quidē sola, satis, excellenterq; honoratos esse sese animiq; perspectione, ac rerum naturæ scientia, iisq; facultatibus contentos, quas sibi per labores, modicæ quidem, atq; honeste comparassent. Huiusmodi igitur homines boni inter mortales exquisitissimi, & omnium opinione admirandi contemptores, aut calcatores potius, uideantur'ne tibi ab huius uirtutis contubernio repellendi? aut qua digni ipsi sunt & maxima, & rarissima commendatione fraudandi? Itaq; è re ipsa Horatius Flaccus ad Numitium scribens, amicum & familiarem suum, Nihil, inquit, admirari, id propè solum esse, quod beatum uirum & facere possit, & conseruare. Hunc ipsum autem habitum, de re quidem ipsa, honoris contemptum, & qui ita affecti sint animo, institutiq;, honoris contemptores appellare placuit, quando ut magnanimos, ut liberales, ut fortes, uno uerbo complecti parum possumus. Nec uero minorum hunc uulgariumq; honorum, aut mediocrium in ciuitate munerum contēptum intellegi uolumus, uerum illorum & honorum, & munerum,

quibus magnanimi uiri dignos se arbitrentur & iudicent. Quando nec incorruptum eum dicimus, qui non capiatur, aut asse, aut decusse, sed qui nec pecuniæ magnitudine, nec maximis etiam compendijs ac muneribus.

His uero quasi è regione aduersantur inanes quidam homines, uacui, lubrici, quorum studium est, captare, emere, emendicare minimas quasq; honorificatiunculas, ridiculaq; deblandimenta, in congressionibus, salutationibus, deambulationibus, consessionibus, etiam in iocis ac confabulationibus, in conuiuijs quoq;, in pompis, etiam in ludicrorum, ac spectaculorum concilijs apparatibusq;. Hos autem captatio ipsa honoris tam futilis, tamq; abiecta, non ridiculos modo, ut quidem sunt, apud bene sentientes reddit, uerum etiam despicabiles, ac pudendos. Aduersum quos Alexandri Seueri exstat iudicium, et dictum illud tantopere celebratum, Fumo pereat, fumum qui uendidit. Sed nec habitus hic ipse, nec qui habitu eo parum honeste ornati sunt, certum, ac designatum nomen habent, nec pauca etiam, ut inter uirtutes, sic inter uicia sunt communia. Quo circa uitiū hoc ipsum intellegi sic uolumus, ut quantum uirtus ipsa, quiq; contemptus à nobis dictus est, in respuendis, atq; aspernandis excellit honoribus, tantum aduersans ei uitium, sordescat, ac subsideat in quæritandis, & tanquam mendicandis non minimis modo quibusq;, uerum etiam uanis, atq; inanibus honorum ipsorum umbris, atq; imaginibus.

An forte hic ipse tantus captator, atq; honoris admirator, auræq; popularis, erit ille idem de quo ait Virgilius?

» Hunc plausus hiantem

» Per cuneos geminatus enim plebisq; patrumq;.

Non enim gestu solum corporis totius auiditatem nimiā, honorumq; ambitiosam illam præsefert admirationem, uerum etiam ore potissimum, ut tanquam attonitus nonnunquam audiat, spectet, obstupescat. Quo pacto uitium etiam ipsum erit hiatio. Sed nescio quomodo hæc ipsa hiatio secari pluris in parteis potest. Nam & auarus diuitijs, & inflatus, ac pertumescens honoribus nimio plus inhiat, q̄bus ipse omnino impar, ac nullo modo idoneus est, Et qui aduersatur ei quem honorum contemptorem dicimus, non secus ad minimas quasq; auras illorum hiat, obstupescitq;. Quo fit ut hiatio ipsa nimia uideatur de admiratione nasci, cum magnanimus, ut dictum est, uix rara quædā, eaq; admodum pauca admiretur, animiq; eius magnitudo tanta sit, ac supra hominum res adeo exposita, ut cuncta ferè sub pedibus quasi subiecta habeat, ut hæc ipsa admiratio quē-

admodum

admodum in tumido, atq; hiante cupiditatem excitat, & quidem nimiam, sic contra in pusillanimo, non metum modo, uerum etiam stuporem inducat, per quem ab insequendo honore omnino deterreatur, Vt quantum illos incitet, atq; impellat, tantum hunc, & fortasse amplius repellat, & ab affectando, & ab insequendo honore. Quæ quidem exsequi distinctius nostri non est consilij, parũq; id omnino necessariũ ducimus. Cum uideri satis possit, locum hunc tertium complectendis magnanimitatis partibus, aut nullo modo reliquisse intactum, aut tanquam ignoratum minime præterijsse. Nam & Aristoteles nõ pauca iudicari potest prætermisisse, ne ambitiosior explicandis singulis appareret. Quo' circa finem ijs statuimus.

TV VERO Andrea Matthæe Marchio sic habeto, rerũ cognitioni ita qdem incumbendum esse, huicq; præsertim philosophiæ parti quæ moralis dicitur, ut diuina quædam res, ipsa rerum cognitio, & habeatur, et sit. Cæterum fructum ipsum cognitionis ac doctrinæ, ab usu, honestarumq; ab actionum exercitatione atq; assuetudine colligẽdum. Qua ratione ac uia, naturæ ipsi, & plene & ex officio proq; hominis dignitate à nobis satisfiet, quæ ut ad intelligendum nos genuit ac contemplandum, sic etiam ad agendi munus, ac laudem. Et (quoniam Christiani sumus) bonis his humanis ac ciuilibus ita operã dabimus, ut ex eorum comparatione atq; adeptu, æternum illud consequamur bonum, quod honestis ac probatis uiris in ciuitate Dei, cœlitumq; ipsorum republica post mortem constitutum est præmium.

FINIS.

P. Summontius Iacobo Alphonso Ferrillo, Comiti Murano S.

V icit tādē eff agitatio tua, ut quos Iouianus Pōtanus de Fortuna scripsis-
set libros, eos tua causa è diuturno quasi somno excitarē. En tibi opus
quāta in me fuit diligētia excusum. Tu igitur exspectatū diu Iouiani
tui munus accipies. at ego illi quo par ē officio gratulabor, qppe q te qbus
dā cū alijs amicū habuerit, quorū liberalitate effectū est, ut nihil ex ei
us scriptis, post ipsius obitū, nō in apertū proderit. Nāq de Astrologia
unà cū his de Fortuna ac de immanitate adhuc in obscuro latebāt li-
bri, ij Andreæ Mat hæi Aquiui, Hadriēsiū Ducis beneficio nup sunt,
ut scis, editi. Illud uero nō omiserim, q etsi alibi præfatus sum, tn̄ id
me nūc ēt in uniuersum repetere nō pigebit, ex his omnibus non nulla
eē opera, quæ inemēdata à Pōtano relicta sint. Quales et hi tres li-
bri sunt de Fortuna, quorū secundo suū deesse procemiū uides. Quod
ideo testandum sæpius duxi, ut, qn̄ hæc suo ab authore edita non sunt,
méq; aliena curare oportuit, uerā ipse, plenáq; reddere rei totius ra-
tionē. Nec illud tacuerim, q ad librorum tantū laudē dictū uolo, tá
diligenter oia hæc à me curata esse, ut perpauca omnino legas nostris
his emēdatiora. Et qūis exiguū sit quodcūq; egi, nō est tn̄ cur me studij
huius omnino pudeat, pigeat'ue. cum maior sit in mēdosis codicibus, q̄
quæ uulgo existimetur iactura. Nam si eruditissimo illo seculo corru-
ptos libros queritur M. Cicero, qd nobis hoc tempore dicendū? quo ita
sunt in illis oia immutata, ita transposita, hic manca, illic superflua,
falsóq; atq; inepte in defectibus suppleta, ut si eorū authores reuiui-
scant, uix iā ipsi agnoscant sua. Vtinā nō et passim scaterēt hac ipsa
de causa cū difficultates, tū errores. Quod cum ita sit, liceret mihi, si
uellē, fortasse nō nihil hac in parte apud te gloriari, ut q me ad hæc
tā sæpe hortatus sis. Sed de his hactenus. cū presertim palma hæc oīs
ALDO MANVTIO (aliorū pace dixerim) uni debeatur, qui
nō hunc aut illū ciuē, sed uniuersam, ut ita dicá, seruauit rē publicá
literariā. Omitto Græca, quorū ille nos tā pretioso, ac nunq̄ satis lau-
dato munere locupletauit. Ego quod debui tantum, Pontano meo per-
solui. Sed nihil omnino est à temporis iniuria tutum. Etenim superio
ribus annis uix Actij nostri Eclogas ethruscæ scriptas edideram, cum
hæ statim Venetijs, sub falso officinæ titulo, tanta quidem deprauatiōe
iterum, atq; iterum excusæ sunt, ut stomachum iure faciant legenti.
Hoc mihi, qui tantopere in ea re laboraui, quàm molestum fuerit,
dicere uix queā. En quò labores nostri, tantáq; illa abijt cura, Nō ab
re ait Poëta noster Omnia fatis in peius ruere. Atq; utinā felicius cum
Pōtanicis his agatur, quibus ego, quod possum, bene precor, ac melio-
rem opto Genium. Vale.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD CONSALVVM FERDINANDVM MAGNVM DE FORTVNA LIBER PRIMVS.

Ibi ego Consalue Ferdinande dux fortissime, cum classe in Calabriã applicanti treis hos de Fortuna libros, pro mea in Hispanam gentem affectione destinaueram. Quippe cuius, Neapoli annis cũ ageres superioribus, uirtus tum ea quæ moralis dicitur, ac pollitica, satis esset, beneq; mihi perspecta, tum militaris, & bellica propter illa quæ de rebus à te, fratréq; tuo eqte strenuissimo in Hispania gestis, atq; administratis iussu, auspicioq; Ferdinandi Regis sapientissimi, & Helisabethæ coniugis Reginæ tum maxima continentia præditæ, tum summa generositate, diuinaq; quadam prudentia, pleno omnium ore, cunctorumq; affirmatione, atq; consensu, qui ex Hispanijs profecti essent, referebantur. Meam hãc uoluntatem, deq; libris ipsis tibi dadicandis propositum, mirificum auxere in modum ea, quæ à te gesta sunt, in Brutijs, Calabria, Apulia, Lucanis, Samnitibus, armis subigendis, regumq; tuorum imperio, ditioniq; adiungendis. Exorto dein inter Hispanos, ac Gallos bello, difficile admodum iudicatu est, in initio ipso belli maior'ne cunctatio fuerit tua, an in exitu celeritas, ac festina o. Quippe qui quo die è Barolo in expeditionem Cereniolam uersus profectus es, uix castris positis, oppidoq; non dum circunsesso, in hostem conuersus, eosdem fundis, fugas, cædis, insequeris, Ludouico Nemorsense Gallici exercitus duce cæso, tanto militum impetu, atque ardore, animiq; manitudine tui tanta, ut nisi nox fugientibus auxilio fuisset, uix pauci fuerint è prælio euasuri. Quo confecto prœlio, paucis diebus regnum Neapolitanum authoritate & fama, magis quàm prædando, aut diripiendo, conciliatis tibi summa humanitate tua, militumq; continentia, populorum animis, uniuersum pacasti. Itaque non Gallum modo hostem superasti uirtute ista admirabili, et rara, uerũ fortunam ipsam. Etenim fortuna aduesari prudentibus consueuit tum uiris, tum ducibus. hanc tu tibi uel uirtute tua deuinctam conciliasti, uel aduersari fortasse, aut ludere arte studẽtem sua, uicisti, superasti, sub ditionẽ retraxisti, tuæq; subiecisti prudẽtiæ, ac magnanimitati. Salue igitur Cõsalue dux fortissime,

uictor continentissime, & fortunæ ipsius siue conciliator, siue expugnator. Salue iterum, & libros hos nomini tuo dedicatos, qua manu hostē superasti, fortunam aut conciliasti tibi, aut eam expugnasti, dextra eadem, ut ipse etiam in uictoria humanissimus es, humanissime capias, quæso, eorumq; me authorem, inter amicos, atq; clientes tuos recipe, quem superiores regni Neapolitani Reges non amauerint modo, uerum etiam & suspexerint, & honoribus, ac magistratibus fuerint honestissime prosecuti.

Fortunæ nomē apud omneis gentes, diuulgatū est adeo ut docti etiam uiri consentiant, & medicos, in quorum manu salus posita est uitaq; ægrotātiū, et imperatores, è quorum ductu uictoria expectatur exercitus, reiq; incolumitas publicæ, fortunatos esse oportere. Cūq; bonorum tria sint genera, atq; alia quidem animi, corporis uero alia, quæ tertia sunt, externaq; uocantur, fortunæ quoq; sunt iure quasi suo attributa. Quo fit, ut adipiscendam ad felicitatem, quod summum ciuile, atq; humanum existimatur bonum, uel magnopere fortuna ipsa iudicetur conferre, ac si non & templa illi à priscis posita fuerint, & sacerdotes decreti, & ad sortes eius consulendas futuris de rebus, iisdemq; dubiis, atq; asperis undiq; à principibus uiris summa etiam frequentia sit, trepidationeq; concursum. Atq; hæc quidem rudioribus illis seculis de fortuna erat hominum opinio. qui quod ignorarent, quæ uis esset ea, quodq; tum bona, tum mala plurima repente obiicerentur, præterq; expectationem, atq; agendi propositum, ac rationem, magisq; omnino contingerent, quàm ordine, ac lege proficiscerentur sua, aut electioni consentirent susceptisq; actionibus, à ferendo ei nomen indidere, quod pro libito uidelicet, magis q̃ ratione, aut ex cōcepta sentētia, constitutoq; nunc prosperos afferret, nūc cōtrarios euentus, nec tamen præuisos ante, nec etiam, ut dixi, exspectatos, ac sæpenumero parū meritos, non raro iniquos iniustosq;, & quorū fortuna ipsa accusari iure quidem possit in utranq; partē, siue prosper successus ipse fuerit, siue aduersus. Nā et prudenter administratæ res, actionesq;, ac secundū rectam progredientes rationem, non raro propter fortunæ ipsius impetus infeliciter cedūt. Ignauiter uero inerterq;, ac præter rationē negotia resq; ipsas administrantibus, felicissime supraq; sententiā, atq; consiliū per q̃ frequenter succedit. Quid quod eadē ipsa bonis uiris aduersa plerunq; obiicit plurima, prauis autē, ac maxime flagitiosis secunda offert et læta? Quócirca recte Aristoteles hanc ipsam fortunam nec Deum esse, nec naturam putauit, minime uero intellectum, aut rationem.

Fortuna à ferendo

Fortunam

Fortunam non esse Deum.

Quomodo enim Deus erit, si hæc tam sæpe, tam inconsyderate, tam etiã inique, atq; ex inopinato extollit ignauos, locupletat immeritos, uexat, atq; affligit insontes, bonos in calamitatem adducat, ac seruitutem, prauos statuit in solio, liberat à periculis peruersos, moderatos, & honestos uiros laboribus periculis erumnis, ac miserijs conficit? Tyrannorum hæc sunt non Dei, cuius est summa bonitas, absoluta iustitia, rectissimum iudicium, æquissima rerum omnium dispensatio.

Fortunam non esse naturam.

Naturam quoq; non esse eam hæc ipsa liquido satis docent, quod fortũna ipsa quidem inconstans est, inordinata, uaria, repentina, incerta. Contra uero quid natura ipsa ordinatius, constantius, certius? cuius is est ordo, ea lex, ac regula, ut non nisi certis, constitutisq; è principijs suo tempore, suis progressionibus, mensurisq; tum uniuersa proueniant, tum etiam singula, quarũcunq; ipsa rerum, effectionum, operum author est et causa. Pergit natura ordine suo, graditur suis passibus, dispensat actiones suas cum temporibus, uiribus, opibusq; suis utitur cum mensura, et pẽso, nõ fluitat, non nutat. stabilis est in officio suo, sibiq; semper constat. Nec uero quod de fortuna à tragico dicitur
» Seneca, Spargitq; manu munera cæca, peiora fouens, dici hoc de natura iure aut potest, aut debet, cum manu maxime certa, et uiribus omni è parte consentientibus, suoq; ordine, ac regula se moderãtibus, proprijs ipsa in actionibus uersetur, atq; operibus. nec fouet peiora, quod fortunæ uidetur quodammodo proprium, sed in eo tota est, ut suo quoq; in genere, quod perfectum sit, ipsa nitatur efficere. Vt naturæ ipsius deniq; uideatur proprius esse ordo, mensura, regula, cum secus hæc omnia cernantur in fortuna, quippe quæ obijciat, potius, q̃ det aut offerat, ruat potius, quàm incedat, profundat uerius, quàm dispenset, atq; ut repentina & improuisa, tanquam ex insidijs prodit. sic abit, uel deserit potius, insalutato, ut dici solet, hospite, tristia de sese ubiq; relinquens uestigia. Itaq; non esse eam naturam, quantopereq; inter se differant, & iudicatu facillimum est, & cognitu.

Fortunam non esse intellectum.

Nam cum intellectu uix aliquid habere eam commune, illud docet,

quod intellectus in ijs uersatur, quæ intellegibilia ipsa quidem sunt, fortuna uero in ijs, quæ ab eadem ipsa dicantur fortuita, habeãturq; externa. Quin ea ipsa uidetur intellegentiæ potius, mentiq; hominis aduersari. Nam si fortunæ effectiones, operaq; præter propositum contingunt, secusq; quàm ante & elegerimus, & decreuerimus, quonam modo intellectus, idem erit ipsum quod fortuna? Cum electiones, constitutionesq;, ac proposita nostra ab intellegentia proficiscantur, deq; cogitationum, ac meditationum fontibus manent. An non prudentia humanarum est actionum omnium dux, ac magistra? Est uero. Rursus non'ne fortunæ impetus, ruinam quàm sæpissime afferunt prudentiæ? & quidem uiolentissime? Aduersatur igitur fortuna intellegentiæ, cuius alumna est prudentia. Atqui bona fortuna non raro fauet inceptis, respondetq; propositis hominum, & constitutis? non imus inficias. Verum non fuit id constituentis propositum, neq; illud exspectabatur, quamuis fieri posse non desperaretur, ut fortunæ quoq; fauor accederet. Sed aliud est propositum, aliud spes. Cum tamen propositum ipsum constituentis collocatum in sola esset prudẽtia, maximeq; ordinatis progressionibus, quiq; rectam rationem sequerentur actibus. Vtcunq; igitur, siue fauor accesserit fortunæ, siue iniquitas obstiterit, præter propositum omnino euenit, etsi fortasse minime præter spẽ. Quo fit, uti fortuna ab intellectu omnino sit aliud, maximeq; diuersum. Quando intellectus ipse quidem in ijs uersatur potissimum, quæ necessaria ipsa sunt, habereq; se aliter nequeãt. Contra fortuitæ res uariæ, incertæ, mutabiles, ac fluxæ. Cum & mẽtis sit intelligentiæq; ipsius officium, cogitare, atq; in ueris inquirẽdis uersari, fortunæ uero ministerium, ludere potius, uimq; in illis suã, quæ externa dicuntur, ostendere.

Fortunam non esse rationem.

Quibus è rebus efficitur, ut eadem hæc fortuna absit à ratione etiam quam longissime. Quid enim ratione ordinatius? Rursus, quid fortuna minus compositum? Rationis quidem proprium est, modum adhibere, ac mensuram, regulamq; in cunctis sequi. At fortunæ excessus plerunq; est, aut defectus. Hæc ubiq; mutabilis, atq; inconstans. illa stabilis, ac certa, à rato enim ratio dicta. Ad hæc ratio cuncta metitur, disponitq;, atq; aptat singula, fortuna uero minime circunspecta est. Illius quoq; æquabilitas propria est, ac ꝑpensio, huius inæquabilitas, atq; inconsyderatio. Præterea quorum ratio moderatrix est,

Ratio unde dicta.

eadem ipsa aut ubiq; sunt, aut plerunq;. Ad fortunam autem nihil certum, nihil sibi constans, continuatum'q;, nihil deniq; quod in futurum sibi hæreat, referendum.

An Fortuna ipsa sit aliqua causa.

Hæc autem ipsa quanquam huiusmodi sunt, causam tamen aliquam esse fortunam & bonorum, & malorum plurimorum, ac ualentissimam quidem causam uel maximi etiam philosophi tradunt. Nam & esse eam populi gentes'q;, & docti pariter, indocti'q; consentiunt, etsi pientiores quidam uiri, ac maxime diuinæ maiestatis studiosi, quam alij fortunam, ipsi Dei nutum, uoluntatem'q; esse eam dicunt, Ac ne iniustum eum, aut inconsyderatum statuant, dum sceleratis offerentem secunda, probis uero, ac continentibus aspera aduersa'q; referentem intellegunt, rationem Deo ipsi, & causam rei eius permittendam censent, Cuius constituta decreta'q; sint hominibus incomperta, nec fas sit nobis legem, ac metam Deo præscribere, nec occultam eius scitari uelle sententiam. Nam et boni, & maxime officiosi in subiectos populos Reges multa quidem agunt, quorum causæ ipsis sint popularibus parum notæ, utiliter tamen prudenter'q; & excogitata ab illis, in parentium usum sunt, & constituta summo etiam studio & ratione. Itaq; Dei hæc, quæ ad fortunam referantur secreta esse, causam'q; cur ita sit illi placitum, uel cum bonum improbo, uel malum bene insituto uiro offertur aliquod, nullo esse pacto perscrutandā, permittendum'q; illi esse res nostras omneis quæ imperio eius subiaceant, pro arbitrio dispensare, sua'q; e sententia, ab illius uero uoluntate, præscripto'q; minime discedendum, aut ei terguersandum esse. Quorum opinioni tantum abest, ut repugnemus (Christiani enim sumus) uti nostra omnia ad supremi illius numinis uoluntatem constitutionem'q; referenda censeamus, & quicquid uel decretum ab illo, uel permissum, aut concessum uideatur, illud & iustum, & rectum, ac maxime etiam sanctum, & habendum, & iudicandum. Sed nec omnes gentes Christianam sequuntur religionem, nec pauci etiam sunt, qui quod homo intellectu præditus liber'q; ipse sit, agat'q; pro arbitrio, sua'q; ex authoritate, atq; consilio, fortunam esse aut nullam dicant, aut si est, eam uix ullam in rebus nostris habere iurisditionem uelint, nisi quantum ipsi ab ratione aberrantes, mentis'q; rectitudine, intellegentia relicta, appetitiones sequimur, sensuum'q; titillationes, ac blanditias. Quamobrem non indignum

duximus, hanc quoq; partem indagare, & quid ea sit (si modo est ali quid) tentare, ut apertius fortasse q̃ hactenus proditum est, quæ uis, quæ'q; causa ea sit, à nobis ostendatur, atq; unde ea quæ fortuita di cuntur, unde ẽt fortunati homines, uita'q; ipsa fortunatorũ manet, & eorum contra qui male fortunati dicuntur, habentur'q; miserabiles. Igitur ut summa quoq; dementia est, Deo uelle præscribere, sic mini- me consentaneum, uel potius maxime est indecens, adscribere ei uel pedis offensiunculam, inter deambulandum, uel lupi in gregem in- sultum, aut buculæ infœcunditatem, sterilitatem'ue asellæ, quæ ina- nis cuiusdam sunt infelicis'q; superstitionis. At ratione hac dices, nul- la erit rerum humanarum Deo cura, quæ quidem illi uel summa re rum inest suarum omnium. Dei enim homo est fabrica. quatenus ta- men inesse par est Deo, ut optimo, ut maximo, ut præstantissimo, ut administrationem habenti, gerenti'q; rerum quæ exsistunt uniuersa- rum gubernationem, & pensum. Quod si suum est prætorum, Se- natorum, consulum, regum munus, atq; officium, uidelicet nullum eius exsistet, à quo & Senatores exsistunt, et Reges? Si manuum est, si pedum, aurium, oculorum, membrorum etiam singulorum, nullũ erit animi? cuius nutu, totum agitatur corpus, res'q; nostræ admistran tur, ac geruntur, tum omnes tum singulæ. Moderatur autem ac regit Deus, quæ exsistunt cuncta, igitur & curam habet uniuersorum. At dices, quam & qualem? Et quæ utiq; Deum deceat cura, ab eo su scipitur, & qualem habere eum par est, cuius nutu, uniuersa & mouentur, & perstant. Non dubitat poëta ille non minore eruditio ne, quàm ingenio præditus, ea fortunæ tribuere quæ uersibus his cer nuntur.

» Fortuna arbitrijs tempus dispensat ubiq;.
» Illa rapit iuuenes, sustulit illa senes.
» Quaq; ruit, furibunda ruit, totum'q; per orbem
» Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Non enim externa tantum fortunæ adscribit, bona, quam tyrannidem quoq; exercere inter homines ait, sed temporum statuit eam dominã, & alios iuuenes de medio tollere, alios ætate prouectiores, ac senes. Ciceroni uidetur magnam fortunæ uim inesse in utranq; partẽ, cuius quoties secundus esset flatus, prouehi nos in portum summa cum feli- citate, reflare contra, ubi cœpisset, eius impetus maxime esse procello- sos. Aristoteles multum eam conferre ad felicitatem iudicat, bono rum'q;, ac malorum successuum illam esse causam, euentus'q; eius incer tos, interminatos, repentinos, præter'q; electiones hominum, ac pro-

posita cadere. Itaq; permagnam eius potestatem esse, doctissimi quiq; philosophi, poetæq; consentiunt, à quibus'ne populus quidem dissentiat. Nullã igitur esse fortunam quis dicet? cum eruditissimus poëta et uitæ breuitatem ad eam referat, & longitudinem. Cum experientissimus rerum humanarũ, idem'q; doctissimus uir Cicero, in flatu eius prospero, ac reflatu, plurimum existimet esse repositum. Cum Aristoteles solertissimus rerum naturæ explorator, ac cognitor, & feliciũ & infelicium pariter euentuum causam fortunam esse dicat, quippe qui bonam eam esse, & malam pro euentibus ipsis existimet. Cum populus deniq; in hoc consentiat uniuersus, & felices, & fortunatos eos iudicans, quibus prospere ea uti contingat, miseros, quibus econtrario. Persei Regis filium, eius quidem Persei, quem Paulus Aemilius in triumphum duxit, ferrariam exercuisse officinam legimus. Figuli filium Agathoclem regnasse in Sicilia. Valerianus Romanorum Imperator captus à Parthis in teterrima seruitute et uixit multos annos, & tandem mortuus est. Apud hos eosdem Parthos qui primus ex Arsacidum regnauit familia, eius conditio haud alia initio quàm mulionis fuit. Pupieni Maximi, quem Senatus publico consensu in Augustũ euexit, pater rhedarius fuit faber, ut'q; alij tradidere, ferrarius. Maximini Augusti patria uicus fuit Thraciæ planè ignobilis, pater Gotthus, mater Alana. quorum nomina uix etiam fuere memoriæ prodita. Vidimus Matthiam Coruinum ad Regium è carcere fastigium elatum ab Hungaris. Quæ quidem, alia'q; generis eiusdẽ, si Philosophis assentiri uolumus, neq; ad Deũ referenda sunt, ut paulo est ante disputatum, neq; ad naturam, minime uero ad intellectum. videlicet Matthiæ Coruini adolescentuli cogitatio in carcere, sola in hoc erat, ut Hungariæ Regnum obtineret, communi Pãnonum consilio è compedibus ad Regium tribunal deducendus. Mutium Sfortiam ab aratro, atq; ab asino, quæ'nam ratio, quod'ue ratiocinandi studiũ maxime adolescentem euocauit ad militiam? Catamelata furnarij Narniensis filius, cum lignatum puer à patre missus esset, amissa in sylua falce lignaria, dum patris iram ueretur, prætereuntem secutus est militem. breui autem is euasit dux, ut à Veneto Senatu, uirtutis ergô, statuam equestrem in maxime celebri Patauij loco positam solus tempestate nostra, patrũ'q; nostrorum meruerit. Cum hæc quidẽ omnia ad fortunam referantur, eorum'q; sit causa initio quidem nobis ignota, quæ postmodum progressionibus sese suis; & aperit, & declarat. Itaq; qualis ea sit, & q̃ etiam pollens, ac ualida eius uis, uita ipsa planè docet nostra. Cum singulis penè

diebus uideamus, temere res suas administrantibus felicissime tamē eis succedere, prudenter uero, ac ratione recta sese moderantibus, nō parū modo prospere, uerum etiam maxime infeliciter.

Fortunam aduersari prudentiæ.

Quo fit ut fortuna ipsa prudentiæ potissimum uideatur aduersari, quæ cum ab intellectu, cogitationeq; ortum ducat, quis erit, qui fortunā ad intellegentiam, ac mentem referat? Cum illa prudentiam exsuscitet, hæc illi maxime aduersetur, et à fine sæpissime diuertat optato. Quis ad Deū? Cum persæpe ab optimis ad deterrimos regna transferantur, rerumq; publicarum administrationes, atq; imperia? Causam tamen & uehementissimam, et acerrimam quidē esse, negare potest nemo, dum recte quidē philosophetur, & sentiat, nisi qui ad Dei fortasse sententiam referre uim eam uelit, gubernantis q̄dem res nostras suopte arbitrio, eodemq; ignoto nobis, atq; etiam incomperto. In hoc tamen omnes consentiunt, ut tria cum sint bonorum genera, quæ externa sint, quæq; neq; animi, neq; corporis exsistimentur, fortunæ ea sub imperio laborare, & qui ijs abūdent, felices eos esse, qui uero inhonorati uiuant, inopes, ignobiles, egeni, eos & infelices, esse, et miseros, contra uero fortunatos, q̄bus bene, feliciterq; succedat.

De Bonis fortunæ.

Itaq; et diuitias, & honores, & imperia, magistratusq; fortunæ ipsi subijciunt, & rerū, negotiorū, administrationumq; felices tum successus, tum prospera etiam euenta. Quo circa Romanarū scriptores rerum, felicissime populo Romano multa præter omnē rationem, ducumq;, ac Senatorū consilia cum euenisse uideant, fortunæ id populi Romani attribuūt. Itaq; non raro apud illos legitur, Vicit fortuna populi Romani. Est igitur fortuna nec uanum quidē, nec arcessitum nomen, quin maxima quædam potius potentissimaq; & uis, & causa.

De Fortunæ potestate ex accidenti.

Quamobrē uidēdū ac perscrutandū est, quid ea sit, unde illi tanta obueniat potestas, ut non honorum modo, ac magistratuū adeptio, diuitiarumq; comparatio, quæ prima mortales ducunt, sit ad illam referēda, uerum uitæ ipsius tum breuitas, tum longitudo, Cum prudentiæ

quoq;, mentis'q; ipsius consilia, quæ diuina quædam in nobis pars est, & irritet, et peruertat. Nam si fortuna, ut Aristoteli placet, causa est & quidem ex euentu contingens, præter'q; electionem eius, ac propositum, qui aliquid agendū suscepit, & consilia ut peruertat, & prudentiæ ut aduersetur, necesse est, impugnet'q; incepta nostra. Et uero hominū actiones, susceptiones'q; negotiorum uoluntariæ ipsæ sunt, atq; à ratione profectæ, eadē'q; cum electiōe maturis'q; consilijs. quæ perquamsæpe fortuna ipsa perturbat, confundit'q; rationem, labefacit'q; adeo uoluntatem, frustratur'q; electionem, ut nihil omnino patiatur eorū succedere, ad quæ summo studio, ratione'q; intendamus. Interdum uero secus, quàm speramus, quā'q; opinio nostra est, quippe cum incepta temere persæpe sumpta, præter'q; rationem administrata, quæ'q; sapientium etiam uirorum opinione nullo modo successura iudicentur, & facile quidem succedant, & summa quoq; cum felicitate et laude. Itaq; quæ fortuna ipsa præstat, in utranq; partem euenire iure dicuntur, eâ'q; ex accidentia cadere, quando neq; pro electione succedunt atq; ex proposito, nec mens nostra in suscipiendis actionibus eò spectabat, ut aut ijs progressionibus finē assequeretur, aut ut finis ipse alia uia interciperetur. Ab euentu igitur affectiones eius iudicandæ sunt, minime uero à ratione, aut pro suscepta electione, atq; consilio. Quo fit, ut quia præter mentem eueniant ac propositum, repentinæ illæ quidem sint incertæ'q;, atq; ex eo parum rationabiles, omnino'q; inconstantes appareant. Repentina enim uix perdurant. at quæ sine consilio, ac ratiōe, certa esse minime queunt, itaq; ut uarient, necesse est, sint'q; infirmæ admodum. Igitur etsi fortuna maxime potens est causa, effectiones tamen eius ab euētu sunt iudicandæ, quando successus ipsi neq; à proposito susceptaq; ab electione proficiscuntur. Vt qui dum uitem pangit, thesaurum inuenit, neq; progressus eius ipsa sunt ab ratione ducti, aut temperati. Vt qui ad forū pergit defensitandi apud prætorem amici gratia, obuiam habet qui nuntiet, institutum eum hæredem ab hospite, cui decedenti nec liberi essent, neq; ex agnatione ullus, qui iure ei succederet.

An Fortuna sit per se causa.

Licet igitur ab euētu, atq; ex contingentia, quantum nostra interest, atq; ad nos ipsos spectat, hæc ipsa causa iudicanda sit, nunqd tamen ex hoc non erit & ipsa per se, & suapte etiam natura causa? ac maxima etiā causa? non & suis uiribus instructa? non & opibus innisa suis? sua'q; authoritate atq; arbitrio prædita? Quo'circa quærendum

hoc restat, ac summo etiam studio quærendum. videlicet Romulus Romani constitutor imperij, sub quo magna orbis pars, tam multis ẽt seculis temperata est, & recta, & à quo gentium pars maxima leges acceperit, ac uiuendi formulas, genitus ita quidem est, ut nulla ortus eius ratio sit habenda, præterquam quod contigit illum nasci ex coitu illo infami, si humanæ spectentur leges. Ducunt à Mosæ originem in colendo Deo & Iudæi, & Christiani, & Sarracæni. Nulla igitur genituræ eius ratio habenda est alia, nisi quod contigerit illum, quicunq; ij fuerint parentibus suis nasci. quod dictu quidem non absurdissimum modo uideatur, uerum maxime etiam impium, ac ratione ab ipsa, qua præstare nos cætera inter animalia gloriamur, omnino alienum. In ortu autem hominis, generationeq́; humanæ leges, neq; naturæ præscribere habent, neq; Deo. Ciuiles enim leges apud illas præscribunt gentes, atq; apud eos populos, qui constituendis illis consenserunt, ut lex quæ est de una tantum ducenda uxore, in Italia quidem atq; inter Christianos locum obtinet, minime uero apud Syros, Mauros, Sarracænos. At naturalis lex est, ut infans è mare gignatur, et fœmina, neutiq; uero ut ex uxore, ac marito. non igitur aduersus naturæ legem, aut naturali repugnante constitutione natus est Romulus, neq; coitus ille, si naturæ legem ac uim spectes infamis, sed naturalis prorsus, atq; ex ipsa generis humani constitutione, & ordine. Quid enim ad naturæ legem condẽnandam, quod Virgiliũ mater sit enisa in uia sub arborẽ? minime uero in culcitra? ac laqueata sub contignatione? aut quod aliquis ruri nascatur, sordidoq́; sub tugurio, Quæ quidem, aliaq́; eiusmodi inde profecta sunt, quod nimis ipsi delicati sumus, & in accusanda natura arguti, ac licentiosi. Velle uirginitatem sequi uoluntarium hoc quidẽ est, nequaquam uero naturale, at & naturale, & uoluntarium dare operã liberis. Quo fit ut ad naturam si respicias, atq; ad genituræ rationem, nulla Romulo inurenda materno sit è coitu infamiæ cicatrix. nihilq́; quod accusare in eo procreando naturali iure liceat. Igitur si natura ipsa rebus consulere hominum studebat, si numen illud supremum quod mundum regit, ac moderatur oẽm, imperium erat Romanum per Romulum eiusq́; successores constituturum, quid leges ad hoc humanas de incæstu, aut de adulterio citas? quæ ne apud Garamantes, & Nasamones, uastissimasq́; alias nationes locum quidem habent ullum:, Quem paucis ante annis, ne apud Canarios quidẽ id est fortunatas habebant insulas, ab Hispanis nu ꝑ captas, atq; ad Christianã uiuendi consuetudinẽ ac sacrorũ ritum traductas. Tanto igitur naturæ in

cepto, diuiniq; numinis constitutioni, non potuisse hominum leges præ=
scribere illud docet, quod Faustulus Romuli altor, ac conseruator,
perinde, ut ab Amulio iussus fuerat, illum cum Remo fratre mini-
me occidit, sed alendum potius quàm occultissime ab Acca uxore pro
curauit. Verum relicto Romulo, rem ad ipsam redeamus.

Quo in genere causarum fortuna sit collocanda.

Igitur si fortuna et causa est, eaq; & præpotens, ac maxime ualida,
cum externis imperet rebus, ipsaq; cum quadrifaria sint causarum
genera, nimirũ aut ad materiã referenda est, de qua fit aliquid, aut
ad formam, à qua materia ipsa informatur, aut ad finem (quicquid
enim aut faciendũ suscipitur, aut agendum, finem habeat constitutum
necesse est, cuius illud susceptum sit gratia) aut ad uim deniq; agentẽ
aliquam, quæ & materiã ipsam informet, & ad finem perducat, il=
lum quidẽ, quem sibi in initio constituerat. In hoc itaq; potissimum
genere causæ uidetur fortuna collocanda, cum nec ipsa sit è qua quid
efficiatur, qualis est materia, uerum quæ efficiat potius, nec sit forma,
quæ materiæ qdem ipsi accedat, tanquã artifice ab aliquo indita, ex=
trinsecusq; inducta, nec sit ullo modo finis, cum ipsa prorsus inten-
dat in finem, etenim quicunq; agit, finem aliquẽ prospectans agit.
Nam & qui in certamen prodeunt, ab ijs omnino propter uictoriã
susceptum est certamen, & qui pecuniæ, diuitijsq; dant operam, oĩs
utiq; ab illis labor suscipitur, rerum ac copiæ gratia. Iure igitur in
agentis causæ tribunali fortunam constituimus. Ac nihilominus hæ
ipsæ diuitiæ, copia, uictoria, honores, magistratusq;, quoniam fortui=
ta dicuntur bona, materia quasi quædã fortunæ sunt ipsius, perinde
ut statuarij lignum, lapis, metallum, è quibus statuæ suis conflãtur
ab artificibus. Atq; ut statuariorum opera sunt signa, imaginesq;, sic
bona quæ dicuntur fortuita, quod ea à fortuna oblata sint, fortunæ tũ
opera esse dicuntur, tum munera. Vt non aliter ferme in bonis ipsa re
busq; sibi subiectis sese gerere uideatur, q̃ in materia sibi apposita sta
tuarius artifex, ac metallicus fictor. Quocirca fortuna ipsa suis in
ministerijs, atq; effectionibus uidetur artificis uel authoris potius cu-
iuspiam sibi personam assumere, ac gerere, perindeq;, ut qui uersan-
tur in re publica, ac rem communem gerunt magistratus, munus su
um, atq; officium administrare inter homines, ad quorũ usum bona
ipsa fortuita & sint & uideantur comparata.

Fortunam esse causam efficientem.

E qbus efficitur, ut hæc ipsa de qua loquimur fortuna quatuor è causis sit

una, eaq; efficiẽs, et tanq̃ magistratũ gerẽs distribuendorum inter homines bonorũ, quæ tum externa dicantur, quoniã nõ insint homini à natura, tum fortuita, quod eorũ dispensatio fortunæ ipsi sit attributa. q̃ppe quæ et illis pro materia utatur, & tanq̃ supellectile effectionum suarũ omniũ, & quibus ea ipsa obtulerit, illos ita constituat, atq; ut ita loquar informet, ut diuites, copiosiq; habeantur, & in honoribus constituti, ac dignitatibus, imperiũ inter alios exerceant, fungantur q; potentatibus. Qui finis autẽ sit eius, usus ipse ostendit, ac certũ facit. Nam & bona fortuita comparantur usus gratia, & felicitas ad quã fortuna ipsa non parum conferre iudicatur, in actione constituta est. Actio autem ipsa ab rerum usu administrationeq; secerni nullo modo potest. Vides igitur fortunæ ipsius effigiem quasi quandam, nec solum quod causa ipsa sit aperte intellegis, uerum etiam quæ sit, & qualis, quodq; è pluribus una, eaq; efficiens.

Fortunam dici finalem quoq; posse causam.

Dices fortasse hoc in loco, hacq; præsertim in quæstione, cum ea sit causa plerunq; præter mentem, ac propositum nostrum, atq; ab euentu contingens, finem potius esse quendam & insperatum, & repentinum. Quis autem dum recte modo sentiens, hoc ipsum inficietur? Sed nos fortunam qua offert quippiam, uel adimit, quaq; adiuuat, uel dammo est, agendi eam gerere magistratum dicimus, qua uero præter eligentis, ac constituentis propositum opera eius procedit, finẽ esse quendam repente obiectum inexspectatumq;, si negauerim, iniurius esse profecto uidear. An non eandem quoq; materialem esse causam, & recte forte quis dixerit, si bona ab illa obiecta tantum consyderauerit? ut materiam, ut copiam, ut rem abunde suffectam, perinde atq; horreum quoddam ad omnem uitæ usum atq; sumministrationem. Sed nos qua adiuuat, ut bona ac beneuola, qua aduersatur, & officit, ut nocua, atq; infesta, qua finem ad quem tendimus, uel offert, ut propitia, uel eripit, ut inimica, efficiendi eam, ac gerendi res in utranq; partem magistram dicimus. qualem etiã innuere uidetur Aristoteles, qualem etiam Plato, qui eam Galeno teste ait esse causam secundum contingentem euentum in proæreticis, iisq; quæ ipsi & elegerimus, & agenda proposuerimus.

Quid Anaxagoras et Stoici de fortuna senserint.

An non eodem hoc Galeno teste & Anaxagoras, & Stoici arbitrati eam sunt, causam esse minime notam humanarum agitationum? atq;

ut ipsorum uerbis utar, ἀνθρώπινον λογισμὸν, quippe qui alia quidem secundum necessitatem, ac fatum, alia uero secundum fortunam, & casum esse putent.

Quibus in rebus, ac negotijs fortuna uersetur.

Cum igitur efficientem causam, fortunam esse statuerimus eiq; gerendarum in administratione rerum, curulem posuerimus sedem, non temere quærendum uidetur, quibus ea uertatur in negotijs, quippe cui agendi si uis inest, efficiendi'q; potestas, ac ius, nimirum subiectis in rebus imperium exerceat, necesse est. Aristoteles igitur cui in re ut maxime uera, non turpe modo uerum etiam profanum uideatur uelle aduersari, tradit quæcunq; lunæ contineantur circuitu, ea cuncta patibilia esse, subiecta'q; supernis potestatibus, atq; inferiora hæc corrumpi, in alia'q; atq; alia continenter uerti. At superiora illa, ut' pote æterna, diuina'q; tenorem perpetuũ in statu quæq; suo retinere. Inter cætera itaq; animalia, quæ conditione sua mortalia quidem sunt, cuius res maxime uariabiles exsistant, atq; incertæ, hominem esse statuit. Cui quoniam soli è mortalium numero, intellegentia mens'q; ac ratiocinatio tributa est, eundem hunc solum & cogitare, & quærere, & ratiocinari, unum'q; item eum deliberare, atq; ad agendum impelli existimat, propter uitæ necessitatem, insitam'q; naturam, eorum'q; bonorum assequendorum gratia, quorum illi insita est cupiditas, cui post uoluntas quoq; accedat, & animi certa constitutio, rei'q; propositæ firmitas, atq; constantia. Cuiusmodi autem hæc siue negotia, siue res, ac bona sint, quanquã abũde dictum est, nõ poenitebit tamen denuo ea connumerare, diuitias scilicet, opes, honores, clientelas, potentatus, magistratus, imperia, generis'q; eiusdem cætera. Has igitur res, bona'q; hæc ipsa, ludũ esse fortunæ, in ijs'q; eam uersari, illud præcipue docet, quod fortuita ea ab hominibus dicuntur bona. Quæ item sint negotia, in quibus exerceri quoq; illam & Aristoteles uelit & Plato, illa nimirum sunt, quæ sibi homines tum agenda, tractanda'q; tum etiam adipiscenda proposuerint, cum electione & consilio, animo'q; in primis uolente, & confirmato. In his igitur tum rebus, ac bonis, tum etiam negotijs, hominum'q; actionibus fortuna magistratum, ac ius ostendit suum, exercet'q; pro arbitrio dominatum.

Fortunam in ijs solum uersari quæ ad hominem spectent.

Et quoniam in illis quoq; quæ corporis sunt, multa etiam præter men-

tem contingunt, atq; opinionem, idq; in ijs quoq; quæ ad naturam referenda prorsus uideantur, ita quidem in his omnibus tenendum, ac iudicandum est, naturam quidem ipsam rerum minime indigere consilio aut deliberatione. Cum motus eius, ac fines sint omnino certi, constitutiq;, progrediantur'q; suo ordine, suis etiam numeris, temporibus, progressionibus. Sunt enim eius opera, ac munera omni è parte certa, ac prorsus necessaria. At hominum commotiones ac uoluntates incertæ sunt, ac mutabiles, parum'q; omnino sibi constant, perinde ut eorum quoq; res ac negotia, quæ aliter sese habere, atq; aliter consuerint. Quo'circa propter dubitationem atq; incertitudinem consultare eos oportet, ut' pote rerum futurarum, atq; euentorũ ignaros, diuq;, ac multum & deliberare, & quærere, ante quàm decernant. Quo fit, ut quod in ijs contigerit, de quibus homines ipsi & consultant, et decernũt illud ad fortunam referatur, quæ in alijs ad casum.

Quæ ad fortunam sint, quæ ad casum referenda.

Itaq; accidentia ipsa, ac rerum euẽta negotiorum'q;, alia ad casum tantum referenda, alia ad fotunam sunt, quam quidem humanis tantum constitutionibus ac decretis et fauere uelint, et aduersari. Atq; hoc quidem illud est, quod Cicero ait, uim eius partem in utrãq; plurimũ posse. cum de casu nullam omnino mentionem faciat, aut in ijs quæ ad prosperum, aut quæ ad parũ secundum spectent negotiorũ euentum. Cũ etiam illa ipsa quæ naturæ forte sunt, casu'q; contingunt, ut pluuiæ, ut tempestates, ut alluuiones, si inceptis, ac negotijs uel conduxerint nostris, uel illa aduersus ierint, ad fortunam tamen referantur, cum præter electionem, destinatum'q; animo contingant finem.

Solum hominem dici posse fortunatum.

Quid casus igitur, quid fortuna inter se differant, & quæ tanquam materia sit ea, in qua fortuna uersetur, iam, ut arbitror, planè tenes, ex'q; ijs colligere etiam potes, fortunatas nec pecudes, nec cætera animalia, in animalia'q; rectè dici posse. Cum humanæ tantum res sub fortuna laborent, ipsi'q; homines uni de dubijs consultent, et ad finem sibi propositum contendant. Quo'circa si quando secula quoq; fortunata dicimus, ad homines, ac principes, qui sub ea tempora fortuna bene usi fuerint, referimus. Quale illud,

» O' fortunatæ gentes, Saturnia regna.

Vt si poëtæ aliquando aliter locuti inueniantur, per lusum utiq; per'q; tralationem locuti uideantur.

De necessitate

De necessitate ac fato.

Quamobrem quoniam paulo ante in fati mentionem incidimus, ac necessitatis, de utraq; pauca si disseruero, haudquaq̃ uidebor temere ad hæc ipsa de fortuna disputans diuertisse. Cũ et ipsa fortuna uideri possit fati ipsius siue exsecutrix, siue ministra. Cuius opinionis quod uel authorem habeam Antonium Galateum, uel quæ uerecundia est eius socium, non pœnituerit me siue authoris siue socij, tum propter studiorum horum summam ac singularem quæ in eo est cognitionem, tum propter rerum peripateticarum acutissimas pariter ac solertissimas indagationes. Qua de re dicturi, ut Christiani, nullo modo sumus, ut qui ad Dei uoluntatem ac sententiam, eamq́; prorsus incognitam cuncta referamus. cui parendũ æquo etiam sit animo, quippe cuius decreta omnia plena sint sapientiæ, iustitiæ, æquitatis. Sed quoniam hæc ipsa de ueteris philosophiæ hausta sunt fontibus, pro ueterum ea philosophorũ opinionibus, ac sententijs prosequemur, uenia tamen ante nostris ab hominibus, ac sacerdotibus impetrata. Differimus enim, ut ratiocinantes, neutiq; uero ut qui pro constitutis hæc, et tanquam postulatis tradẽtes asserere, atq; asseuerare alijs perinde, ac certa determinataq; uelimus.

Quid ueteres de fato senserint ac necessitate.

Possidonius igitur Stoicus rerum harum primas Deo, secundas naturæ, tertias fato parteis assignat. Thales omnipotentem eẽ necessitatem uoluit. Parmenidis uero ac Democriti sententia est, omnia è necessitate euenire, illamq́; & fatum esse, & iudicium, & prouidentiam. Cũ tamen Plato alia ad necessitatem referenda, alia uero ad prouidentiã putet. Empedocles opinatur necessitatem esse principiorum elementorumq́; uiolentam, impetuq; progredientem causam. Democritus reflexionem, ac resultationem illam, ac concursum et plagam materiæ. Cum tamen Heraclitus fati ipsius substantiam censeat esse rationem per uniuersum euntem, id quod innuere uidetur Virgilius cum ait,

» –Deum nanq; ire per omnes
» Terrasq́;, tractusq́; maris, cœlumq́; profundum.

Cui ẽt opinioni Chrysippus uidetur assentiri, existimans ἡ μαρμένη uim esse spiritualem, seriemq́; uniuesi gubernatricem, per eamq́;, & quæ sunt esse, & quæ facta, ab illa ortum duxisse, & quæ faciunda, causam inde ductura. Nec uero non Platonis illa quoq; est sen-

tentia, ut fatum corpus sit ætherium, semen'q; omnium generationis, seu naturæ uniuersi lex. Hi igitur simul omnes, quãquam aliter, atq; aliter, necessitatem tamen & fatum esse consentiunt.

De Platonis opinione.

Verum nos præteritis nunc alijs, Platonis siue sententiam, siue opinionem hac ipsa de re consyderemus. Putat enim nequaquam è prouidentia proficisci omnia, quippe cum rerum earum quæ quidem dispensantur minime sit uniformis, eadem'q; natura. Quo'circa quædam tantum ad prouidentiam referenda, ad fatum quædam esse, censet. Quid ultra? Ad hominum ipsorum uoluntates, atq; arbitrium nonnulla, alia ad fortunæ inconstantiam, pleraq; ad casum, quæ quidem ipsa seiuncta à ratione pro libidine accidant. Quinq; ita sunt numero quæ Platoni in mentem ueniãt, prouidentia, fatum, hominis ipsius uoluntas, ac tum fortuna, tum casus. Et diuina quidem quæ essent, atq; intellegibilia, quæ'q; Dijs ipsis cognata & proxima, ad prouidentiam ea solam unam'q; referenda. quæ uero naturalia, eadem'q; corporea, atq; ex elementis constituta, quod constitutionis suæ naturam sequuntur, ad fatum, cuius ipsius munus sit, atq; officium, singula quidem digerere, ea'q; pro motu, loco, forma, tempore distribuere, prouidentiæ uero suum sic, ac proprium, cuncta quamuis diuersa, quamuis alia atq; alia pariter tamen complecti. Itaq; fatum ipsum digerere, explicare, administrare, disponere, ordine suo, suo'q; loco, ac tempore, quæ uidelicet prouidentia ipsa in sese congesta, ac prospecta habeat, & qua etiam ratione et uia gerenda sint, atq; administrãda, quippe quæ modum illis ordinem'q; statuerit, cuius profecto & ordinis, & rationis fatum sit ipsum dispensator quasi quidam, atq; administer. Sapienter itaq; Seuerinus Boëthius, atq; apposite, Gerendarum rerum formam immobilem ac simplicem, diuinam ait esse prouidentiam, fatum uero eorum qnæ diuina simplicitas gerenda disposuit, mobilem nexum esse, ordinem'q; temporalem. Inde'q; illud exsistere, ut fato quæ subsint, ea quoq; omnia prouidentiæ sint subiecta, cui & ipsum etiam subseruiat fatum, quædam tamen quæ prouidentiæ iurisditioni tantum adscripta sunt, ea fati seriem magistratus'q; eius cancellos egressa esse. In nostra autem uoluntate quæ tertia Platonis distributio est eiuscemodi omnia esse posita, qualia sunt, uxorem ducere, ad mercatum accedere, dare operam literis, uites pangere, negotiari, uenari, piscari, certare cursu, palæstram exercere, quæ'q; alia

noſtri iuris ſunt, inq; hominis ipſius manu ſita. In rebus uero exter-
nis, quæq; iuriſditionis minime ſint noſtræ, quippe quæ repente, atq;
ex imparato accidant, præterq; rationem ac ſecus etiam quàm ipſi
in ſuſcipiendis negotijs, inceptisq; aggrediũdis nobis propoſuerimus,
ac longe aliter, quàm conſilium ab initio, ipſáq; ab electione noſtrũ
fuit, ijs in rebus uerſari fortunam retur, rerumq; euenta pro illius im
perio, libidineq; ſuccedere. At contra præter hæc omnia, ut quæ no-
ſtræ nullo modo ſint ditionis, hominum'ue arbitrij, ea porrò cuncta
ſub caſu laborare. Qualia autem & quæ ſint illa, quæ ad prouidẽ
tiæ unius ſpectarent magiſtratum, atq; officia, Plato ipſe ſubinnuit in
Timæo, cum Deum inducat, mundi fabricæ intentum, conſtituentem
illũ ipſum, ac deligentem tot animas, quod ipſe creaſſet ſtellas, eiſdẽq;
diſtribuentem ſingulis uehicula ſingula, mox aperientem illis, & tan
quam expectorantem uniuerſæ rei naturam, omnemq; ex ordine fu
turorum ſeriem, atq; ediſſerentem leges, quas condidiſſet, quasq; ipſæ
ſequerentur, decretorumq; ſuorum conſtantiam, atq; immutabilita-
tem. An non Deus ipſe ſtatuit, formatq; quæ placita ei ſunt? perinde
ut creatori rerum omnium. non'ne ut maximus, idemq; ſupremus
legem ponit, ſancitq;? num non ut ſapientiſſimus docet? quodq; illos,
quos alloquitur exſequi par eſſet, & inſtruit, et informat? Itaq; pro-
uidentia ipſa ut princeps authorq; antecedens prægreditur, præq; ſe
fert Dei ipſius moderantis, ac regentis cuncta, uoluntatem, imperi-
um, numenq; illud immutabile, è quo fatum manat, ipſáq; rerum ſe
ries, ac cauſarum proficiſcitur, à fando uidelicet ductum nomen, q̃a
Deus ipſe dixerit, fatusq; ſit leges, quibus et mundus omnis, et illi ipſi
quos inſtrueret, obediẽter eſſent obtemperaturi, à fando igitur fatum,
ut ab edicendo edictum, à decernendo decretum. Quodq; qui præ-
ſidet, regitq;, ſciſcat, conſtituat, ſanciat, ſcitum, ſanctio, cõſtitutio dicta.
Itaq; Platonici ipſi atq; è noſtris præcipue Chalcidius conſentiunt, di
uinam legem fatum eſſe, ineuitabilemq; tum promulgationem, tum
ſanctionem, ſcitumq;, quod creator mundi, & conſtitutor Deus de uni
uerſa ſciſcens natura, animis ipſis dixerit, quo ſanctionem eam mun
dus ſequeretur uniuerſus, perq; eandem ipſam, præteritis quæ præ-
ſentia, præſentibus autem quæ futura necterẽtur, quippe quæ ratio-
nem contineret, perpetuam, ac tum ordinationem, tum ſeriem eorum
omnium, quæ conſequenter, ac continuate fierent, & futura eſſent,
proptereaq; mundi ipſius animæ ab authore, conſtitutoreq; inſinua-
tam, eamq; trifariam eſſe uolunt. De qua Poëtæ quoq; locuti ſunt, fa
ti ipſius uim, atq; ſubſtantiam in triplicem quaſi perſonam partien-

Fatum a' fando

tes, Atropon, Clothon, Lacheſin, Et Atropon quidem orbem illum,
ut'q; Græce loquamur σφαῖραν eſſe uolunt, quæ ἀπλανὴς ab illis
dicitur, quod non modo non erret, uerum motum illum ſuum conti-
nuet indeſinenter, atq; ex præſcripto, nam neq; ullam ſentit agitatio-
nis ſuæ obliquitatem, neq; deflexionem omnino aliquam. Erraticam
uero illam, ac diuagantem ſphæram appellauere Clothon, ob tortuo-
ſam obliquantem'q;, & tanquam deuiam cœli uertiginem, perple-
xam'q; obliquitatem, de qua ſcilicet prouenirent ea, quæ diuerſi ua-
riantis'q; ut eſſent motus, nec idem quidem ipſe motus, uerum deuius,
nec eadem, ſed diſſimilis progrediendi ratio præſtaret. At quæ ſub
luna eſt ſphæra, atq; ex eo ſublunaris à Platonicis ipſis dicta, Lache
ſis eſt agnominata, quod proprium eius munus eſſet, ea in ſe cuncta
ſuſcipere, quæ ex illarum utriuſq; effectionibus exſiſterent miniſte
ria, & opera. Iam igitur quid fatum ſit tenes, de quo dicendum pro
poſuimus, ac ne Ciceronis de eo prætereat te ſententia, audi quid de
fato in libris de diuinatione & loquatur & ſentiat, eſſe ſcilicet or
dinem ſeriem'q; cauſarum, cum cauſam cauſa ex ſe gignat, ea eſt au
» tem ex omni æternitate fluens ueritas ſempiterna. Item, Ex quo in-
» tellegitur, ut fatum ſit, non id quod ſuperſtitioſe, ſed id quod phyſi-
» ce dicitur cauſa æterna rerum, cur et ea quæ præterierint facta ſint,
» & quæ inſtarent, fiant, & quæ ſequuntur futura ſint. Quod cum
» ita ſit, efficitur, ut fatum ipſum ſit in agitatione poſitum, trahens ſe-
cum innumerabilem rerum uarietatem ac copiam, ſeriem'q; multi-
plicem eorum omnium, quæ ex infinito in infinitum ordine, ac ne-
xu accidant ſuo, ſecundum'q; eandem legem, quam Deus ipſe ab ini
tio ſciuit. Nihilo tamen minus ipſum immutabile eſt, ac terminis ſu
is fixum, conſtans, diuinæ'q; parens iuſſioni, eiq; obnoxium, quando
is, qui nunc eſt, erit'q; deinceps diebus, horis, ac momentis ſingulis, idē
ipſe & cœli, & cœleſtium orbium, & quæ cœlo feruntur ſtellarū
habitus, ex circuitione in circuitionem, circūactione ſemper ſua in
ſtauratur, id'q; ipſum quam diu lex ipſa prouidentia'q; diuina conſti
tutum habeat, ac decretum. Nunc de uoluntate, quæ, ni fallor, appe-
titio eſt intellegentiæ inhærens. Itaq; ſentientium è numero anima-
lium, homini tantum ineſt uoluntas, cum et cupiendi uis, et item ira-
ſcendi ſit ei cum illis communis. proinde fit, ut quod carent intelle-
ctu, careant & uoluntate. A' uoluntate igitur primo afficimur, dein
de etiam mouemur ad agendum, & quanquam uoluntas ipſa ad ea
nonnunquam ſeſe excitat, quæ nec conditionis humanæ, nec uirium
ſint noſtrarum (nam etiam immortales eſſe uellemus, et momento eo

dem ab occaſu

dem ab occasu solis in ortum delabi, qualis mentis ipsius motus, ac
raptatio est) Tamen ad ea plerunq; uolentes ducimur, quæ nostrarū
prorsus sint uirium, ac facultatis. Quo'circa ea tantum incipienda
eligimus, quæ assequi nos posse confidimus. Ante tamen quàm illa ag
gredimur, persæpe etiam diutius deliberamus, sint'ne futura utilia,
an inutilia, conductura'ne rei familiari, an incommodatura? Itaq;
si ratio ipsa, ac recta quidem ratio consultantibus nobis dictaue-
rit, rem eam & futuram utilem, & uires nostras ei satis esse consequē
dæ, negotium ipsum aggredimur, Sin minus aut illud de mente, co-
gitatione'q; abijciamus, aut male inceptum si iam fuerit, ab illo prorsus
desistimus. Est itaq; in uoluntate nostra positum, cum quid agendum
uel offertur, uel ipsi de eo cogitationem capimus, aggressuri nec'ne
illud simus. proinde Plato quæ eiusmodi essent, fato ea nequaquam
censebat assignanda, sed in nostra omnino uoluntate esse collocata.
Quid enim ad fatum, si mihi in mentem uenit pangendæ uineæ?
cum mea sit in manu constitutum sim ne laborem eum suscepturus,
an quod male uidear rei familiari consulere, opus ipsum prætermis-
surus. Et cum pares nobilitate, dote, forma, ætate, educatione, mori-
bus, uel una, uel plures simul offeruntur in rem uxoriam uirgines,
nunquid non arbitrij iudicij'q; est eius, cui uirginum fit oblatio, &
cuius est optio, sit ne aut omnes pariter repulsurus, aut hanc quàm il
lam potius electurus? Quandoquidem uoluntates in his nostræ li-
beræ sunt, ab omni'q; necessitatis, aut maioris imperij iure solutæ.
Quo etiam fit, ut actiones ipsæ hominum, quæ uirtutes constituunt,
uel eædem ipsæ potius sunt uirtutes, uoluntariæ esse debere iudicen-
tur, & uirtus ipsa electiuus esse habitus, atq; in mediocritate positus.
Nam quid obsecro aliud est electio, quàm in consultando, ac decer-
nendo temperata, recta'q; à ratione confirmata uoluntas? Quin il
lud quoq; hinc efficitur, ut actiones uiolentæ quamlongissime à uir
tute relegentur, nec quisquam inuitus, quanquam recte quid egerit, iu
re ueniat laudandus, quod scilicet uoluntatem in agendo liberā esse
oporteat, ac nullo modo coactam. Siquidem coactæ actiones, quanquā
honestæ, & probæ, desinunt esse uirtutes, propter uim exteriorē. His
itaq; in actionibus quæ uoluntariæ quidem sunt, quanquam etiam
in uoluntarijs uim exercet suam fortuna, ut uel afflatu quis prospe-
ro perducatur in portum, uel aduerso iactetur in scopulum, aut exagi
tetur tempestatibus. Qui igitur fortunæ campus sit, quæ etiam palæ
stra, ludus'q; tam incertus, ac lubricus iam intellegis. Cum negotia sæ
pius prudentissime suscepta, administrata'q; summa etiam cum ratio-

ne, & usu quàm accommodatissimo, infeliciter tandem uertant, Contra uero parum consyderate incepta, minimeq; prudenter, quin etiã uel maxime incomposite inordinateq; tractata fortunatissimos habeant euentus. Hac igitur parte, quae ad uoluntatem spectat in hũc modum explicata, progrediamur iam ad casum, qui à fortuna hoc distat, quod illa in ijs uersatur tantum, in quibus agitur de uoluntate hominum, de electione, consilijs, propositis. At casus in ijs, quae aut in anima ipsa sunt, aut si animalia, ratione tamen carentia, uiuentiaq; suopte solum ductu, nullo adhibito consilio, ac sine ullo rationis praesidio. Itaq; ut quae uel secunda in ijs, quae nobis ipsi proposuimus, quaeq; ut adipiscamur, prosequimur, uel contra aduersa accidunt, ad fortunam referuntur, sic ad casum, quae in rebus inanimus, ac brutis, dum ea nec à natura tamen, nec ab arte proueniant. Huiusmodi enĩ omnia casui adscribenda sunt, perinde, ut illiusmodi fortunae. Itaq; hac potissimum ratione inter se casus, ac fortuna differunt. Vtranq; enim causam euentitiam esse, qui recte philosophantur, uolunt.

De causis per se & ab euentu.

Etenim in hoc ipso quaerendi ac ratiocinandi genere, causa ipsa cum duplici sit uia consyderanda, & ut est ipsa per se (sic enim hodie loquimur) & ut est ex euentu, atq; ab rerum accidentia, causam illam, cui nomen est per se, tum primariam, tum primigeniã appellare nobis placet, quam Chalcidius uir apprime eruditus principalem dicere non est ueritus, at alteram illam, quam tum accidentem, tum ex accidenti agnominarunt, euentitiam, ut ab euentu ipso nomen ducat, quando prisci illi, qui Latinam initio constituere Philosophiam, et euẽtum, & rerum ac negotiorum euenta uocauere. Vtq; haec ipsa, quae de casu dicimus & fortuna, deq; primigenijs, atq; euentitijs causis, testimonijs quoq; comprobata, notiora fiant, et tanquam constituantur in aperto, sit hoc maxime exemplum. Suscepit M. Tullius Cicero iter in Graeciam, inde etiam in Asiam, ac Rhodum, ut maximos, ac disertissimos illius aetatis rhetores audiret. Itaq; à Brundusio soluens, prosperam nactus tempestatem paucissimis horis Apolloniam perlatus est. Bona itaq; fortuna hac in nauigatione usus est Cicero. Contra cum è Piraeo solueret, quo in Asiam traijceret, ac tantum non continentem Asiae teram teneret, repente ex aduerso excitata procella, in Piraeum unde mouerat eum reiecit, mala utiq; atq; aduersa fortuna usus hic dicitur, quoniam praeter propositum hoc ipsum contigisset, ut contra nauigatio in Apolloniam contigerat è sententia. Idem Rho-

dio cum in litore esset expositus, atq; animi gratia per arenā deambularet, in Murenam incidit, quàm fluctus maris in aridum eiecisset. Casu igitur piscis ille Ciceroni obiectus est, quando & mutum est animal, et ipse non eo consilio deābulabat, pastum ut quæreret, sed ut animū refocillaret, corpus'q;, cū adhuc ipse de sentina nausearet. Post inuentū quoq; pisciculū, paulo etiā progressus longius, pedē in Fiscum offendit, philippeorū plenū, de iactura fluctuantiū mercatorū ab undis in arenam iactatum. Et hoc quoq; casui adscribendū, nam et id Ciceroni præter cogitationem obtigit, atq; sententiā, & Fiscus ipse, aureiq; illi numi inanimæ res erant, nec humana cum ratione quicquā habebat omnino coniunctum. Verū ut ad causas tū euentitias, tum primarias, ac primigenias redeamus, primaria itineris suscepti in Græciā, atq; Asiam Ciceroni fuit causa eloquēdi cupiditas, utq; perfectus tandem Orator euaderet. Fuit igitur fortuna illi propitia, quod ex animi sententia, pro'q; cupiditate, qua flagrabat, contigerit ea tēpestate in Græcia, atq; Asia docere eruditissimos rhetoricæ magistros, summos'q; dicendi artifices, quibus audiendis etiā contigit, ut Oratoriæ institutionis librorū uel maxima tūc esset copia. Euentitia est hæc, et ad casum referenda causa, ast illa fortuita, quod doctores omnes, quod ipse maxime studebat, sibi fecerit amicissimos, morū probitate, et ingenij elegantia. Quo'circa causa ipsa per se primigenia quidem est. at illarū utraq; euentitia, seqtur primigeniā. cui sic accedunt, ac coniunctæ sunt, ut primaria illa perinde, ac substantia quædā uideatur, hæ uero tanquā accidētiæ. Ne igitur hac in parte diutius immoremur, fortunæ uis omnis in hominū uersatur rebus, ac negotijs, Casus uero in rebus solū, aut inanimalibus, aut animalibus, uerū à ratione destitutis, ut brutis, mutis'q;, dū tamen ipsa quæ accidunt, nec à natura sint, nec ab arte. Itaq; hominibus quæcunq; accidunt, quæ illorū inceptis, constitutis, propositis uel faueant, uel incommodent, fortunæ adscribenda sunt iurisditioni. Qua è re hominem tantum, seu fortunatū dicimus, seu male fortunatum, nullo tamē modo, ni uel abusu, uel tralatione quadā, aut arborē, aut bestiolam dixerimus fortunatam. Quæ uero in rebus accidūt inanimalibus, ut auro, argento, marmore, tabellis, arbustis, prædijs, quæ'q; alia inanima sunt, siue ēt animalia, quales sunt pisces, alites, quadrupedes, repentia, insecta, greges, armenta'q;, ea casus oīno tribunal, ac iudiciū subeunt. Quāobrē euentitiæ oēs causæ, quæ'q; ad fortunā, quæ'q; ad casum referūtur, proprie accidentes dicuntur, accedūt'q; primigeniā ac principalē ad causam. Ipsa uero primigenia causa in fato collocāda ē.

Quod autem dicimus est huiusmodi. Nauigabat Anneus Seneca è Roma in Siciliam, ubi multa, & opima possidebat prædia, quo & agros suos & uillas inspiceret, & rationem prouentus à uillicis exigeret, ac uicarijs. Hæc est susceptæ à Seneca nauigationis primigenia causa. Inter nauigandum autem, propter agitationem contigit, & & nauseare eum, & stomacho moueri, & relanguescere de uomitu, & perpallescere, multum etiam sitire, & quod per æstatem nauigaret, defatigari æstu, et decolorari, quæ'q; alia nauigantibus accidũt. Hæc igitur omnia in causa euentitia ponenda sunt. Quo fit, ut iure dicantur primigeniæ causæ accidentia. Ad hæc differunt uel etiam uehementer inter se ipsa quæ accidunt, et quorum causa est fortuna, & quorum casus. Nam quorũ author est fortuna, ea ex hominis consilio, ac proposito ducunt originem, accidunt'q; ut absq; ratione, sic cum admiratione quadam, animi'q; commotione, siquidẽ præter opinionem, atq; ex imparato. Quorum uero casus in ijs nihil est omnino, quod ad hominis referatur propositum, humanam'q; ad rationem, ac uoluntatem, siquidẽ in ijs accidunt, quæ aut muta sunt infantia'q;, aut in anima, nihil'q; sententia. Recte igitur, composite'q;, atq; ex ipsa rerum natura qui dicunt, duas simul causas humanis è consilijs, atq; electionibus profectas, cum ita confluunt, ut minime quod propositum est, proueniat, uerum longe quidem secus, præter'q; opinionem, ac susceptam operam, ludum hunc, meditationem'q; esse fortunæ, quale peruulgatum illud est exemplum. Fuisse qui thesaurum teræ infodisset seruandi illius ab hoste, atq; à furibus gratia, fuisse & item qui arbusculam cum decreuisset pangere, fossam'q; repurgaret, thesaurum ab illo alio infossum inuenerit. Horum igitur uterq; fortuna usus est sua, & quidem ex inopinato. Alter enim cum defodisset, custodiendi eius gratia, illum amisit, in quo deceptus est spe, atq; opinione, lusit'q; eum inopinus, atq; contrarius euentus. Alter cum plantæ subigendæ intenderet, quod animo quidem destinasset, thesaurum repente inuenit, quod sibi nullo modo, aut persuaserat antea, aut optauerat, ut ille quidem obtorpuerit, improuisum ob damnũ dolore confectus, hic uero repentino, atq; insperato gestierit de gaudio, subita'q; lætitia.

Composite quoq; atq; ex ipsa re, quicunq; dixerit, casum concursum esse accidentium una simul absq; ratione causarum, in mutis tum animalibus, tum inanimalibus rebus, ut cum cœnantibus nobis in hortis, ac subdio, euolantis aquilæ unguibus delapsa testudo hydrus'ue in teram ex improuiso corruit. Qua in re tam non modo repentina uerum etiam incogitata, quid'nam loci habeat hominum siue ratio,

siue intentio? cum tamen et Aquila pastum quærens, comprehensam unguibus prædam male tenuerit, & grauia quæ sunt, cum non habeant quo se substineant, deorsum corruant, necesse sit. Sed nobis de casu, fato, prouidentia, deq; liberis hominum uoluntatibus hactenus dictum sit. Quocirca ad ea regrediamur quæ adhuc de fortuna necessario quærenda uideantur.

An fortuna sit deficiente hominum genere.

Et primo quidem ea cum in hominum uersetur negotijs à uoluntate proficiscentibus, rationeq; tẽperatis, discretisq; ab electione, prius tamen deliberatione adhibita, atq; consilio. Cumq; electiones etiã ipsæ negotiaq; suscepta, propter inditam rationem ad hominem tantum spectent, subseruiantq; fortunæ, quædam quasi subiecta materia, nũ hæc ipsa si defuerint, si homo nusquam sit omnino ullus, exsistat'ne fortuna ipsa? quando nec desunt, eam qui omnipotentem appellent. Atqui ne ars quidem futura est ulla, non deniq; doctrina, ac sciẽtia, homo ubi esse desierit. Sed tamen ut artificis manca est opera, ubi omnis de medio auferetur materia, uis autem illa perstat in artifice, faciẽdo apta operi, atq; idonea, præstitura operam ipsa suam è uestigio, ubi materia fuerit ei reddita. Sic de fortuna sentiendum uidetur, ludum eius, exercitationemq; futuram omnino nullam, si rerum illi humanarum campus defuerit, quo quidem ei ad diuagandum restituto, an dubitandum est, magistratum illam suum, solitumq; munus administraturam, dignitatemq; retenturam, cum authoritate, et supercilio? Nam deleta, atq; excisa Carthagine in Africa, quam amisit ipsa iurisditionem extincto populo Carthaginensi ac partibus, recuperauit multo post finitima in urbe Tunete, ibiq; eam uel superbissime nunc exercet. Cum Regum Africæ arx ea sit urbs, ac domicilium.

Fortunam esse communem & mediam.

Communem quoq; esse eam, & mediam sese inter utrunq; gerere, illud plane docet, quod flatum eius nunc prosperum, nunc aduersum, & aspirare modo eam, modo reflare dicimus, & alibi ut bonam, id est facilem, ac propitiam laudamus, alibi ut malam improbamus, ac nocuam, & bonæ quidem cognomine illustramus, cum aspirat è sententia, malæ uero notamus, quoties incommoda est, insectaturq; res nostras hostilem in modum. Duplex igitur est fortuna, & bona, &

mala, irata & iucunda, cum dominatus tamen sit eius unus. Siquidem & boni, & mali arbitrium, id est prosperorum atq; incommodantium euentuum externis in rebus, ac negotijs ius in manu illius est collocatum. Qua etiam uia modoq; Poetæ de Aeolo uẽtorum Rege fabulantur, cui

» -Diuum pater atq; hominum Rex
» Et mulcere dedit fluctus, & tollere uento.

Quo fit ut officiũ eius sit, uel ludus potius, nunc fauere rebus hominum, nũc incommodare, et modo conferre boni aliqd, modo eripere, alibi extollere, deijcere alibi, ac marinorũ more fluctuũ, res humanas uersare.

Quantum bona fortuna conferat ad felicitatem.

Itaq; maximi etiam philosophi de bona fortuna scripsere, & qd & qualis ea esset, commenti sunt, nec iniuria, quippe quam uel plurimũ conferre ad felicitatem arbitrentur, cum rerum externarum ei iurisditionem adscribant, nec felicitatem sine externis bonis reantur posse ullo modo aut perfici, aut consistere. Quando inuenti etiam sunt, qui existimauerint, bonam fortunam ipsam esse felicitatem, & bene fortunati qui essent, eosdem quoq; felices. Cum igitur ad ciuilem constituendam felicitatem, magnificandamq; ad eã pluribus simul opus sit, præcipue uero diuitijs, clientelis, opibus, amicitijs, magistratibus, atq; hæc ipsa in externorũ habeantur bonorũ numero (nam in glorij qui sint, huiusmodiq; bonis uacui, abiecti ipsi, ac sordescentes, quonam modo felices eos uocitaueris?) quis non uideat, uel potissimum felicitatis ornatum, decusq; illud populare, atq; in exteriore positum exspectatione, ad fortunam, quæ illorum domina, & dispensatrix sit, illaq; moderetur pro arbitrio, referenda? Nam quæ obsecro futura est felicitas, si absq; liberis, cognatis, amicis, clientibus, honoribus, dignitatibus. si in summa paupertate, rerumq; omnium constituatur inopia, & in patria maxime ignobili, atq; abiecta, si deniq; & culinam ipsa sibi instruat, & patinam, atq; ollas eluat? Iure igitur plurimum ad perficiendam, exornandamq; felicitatem, ac merito inquã plurimum fortunæ tribuitur? Nam etsi uera, perfectaq; commendatio ab animo est, honestisq; ab actionibus, ac uirtutibus, perinde, ut laus arboris à fructu maxime est, ac fruge, exornatur tamen arbor ipsa, fructusq; eius præcipue à frondibus ac ramis, q neq; ab æstu, neq; ab alijs aëris iniurijs tutus esse potest, absq; frondium beneficio, ac ramulorum, nihilo tamen minus felicitatis ipsius ornatus, & tanquam

condimentum exſiſtit à bonis fortunæ, atq; externis. Vſu'q; ueniet homini felici, id eſt plurimis, ac maximis uirtutibus inſtructo, et culto, quod Aqlæ implumi, ac ſine pennis, ut nō ornatus ei deſit plumarū ſolum, ad decorē, uerum etiā pennæ deſint ad uolatum, id eſt copia inſtrumentum'q; ad uſum bonarū, laudabiliū'q; actionū. Nam ſi felicitas in actione & uſu eſt poſita, manca erit omnino, exſuta fortunæ bonis, ſine qbus uirtutes ipſæ, honeſtæ'q; actiones exerceri nequeant. Cū iuſtitia in primis liberalitas'q;, ac beneficentia erga alios ſeſe exhibeant. Vt ſi felicitas ipſa in animi bonis potiſſimum, eminenter'q; conſtituta ſit, ac ſecundum eam uirtutem, quæ perfecta eſt, tamen ut clareſcat ipſa, & illuſtretur, ſe'q; et excolat, & maieſtati ſuæ debitum, et auguſtum illum ornatum adiungat, externorū hoc minime præſtabitur ſine acceſſione bonorū. Etenim uis ipſa eloquēdi, prorſus infans uideatur, & q antea eloquens habebatur, mutus, ſi ad eloquendū inſtrumenta ei erepta fuerint, lingua, dentes, labia, quibus ſine diſertus nemo poſſit euadere. Itaq; neq; fortunæ ludus meditatio'q; ulla erit, ſi campus ei hominis deſit, nec felicitas ipſa ciuilis abſoluta, ſi fortunæ ei ſupellex defuerit, illius'q; acceſſio, & copia.

Fortunam ac rationem inuicem aduerſari.

B onorum autem externorū nomen ipſum aperte quidē declarat, ea iuris noſtri nō eſſe, nec noſtris ſubeſſe conſilijs, aut electionibus, quo'circa nec etiā rationi, cui et conſilia inhærent noſtra, de'q; ea actiones hominum temperantur, et ab eadē ipſa rationales ipſi dicimur. Itaq; et actiones humanæ dum rectæ qdē ſint, rationi ſubſeruiunt, et quæ ut fortuita contingunt, nihil cum ratione coniunctum habent. Qua è re uehementiorē in modū ſibi aduerſantur, ex'q; eo efficitur, ut ratio, atq; fortuna ſibi inuicem è regione obſtent, quando utriuſq; inter ſe aduerſæ ſunt & effectiones, & opera. Ab actionibus itaq; ſecundum rectam rationē adminiſtratis, noſtra'q; à uoluntate profectis, et iuſti, et fortes agnominamur. Et quoniā ea ut ageremus, è qbus tū iuſtitia, tum fortitudo cōparatur, in noſtra erat uolūtate, ac poteſtate poſitū, inde iuſtis, ac fortibus nomē adiectū eſt. Vt uero fortunati ſimus, neq; iuris id eſt noſtri, neq; rationis, ac prudentiæ, uerum fortunæ ipſius opus.

Bona externa ad fortunam referēda, non ad uirtutem.

Quāobrem quæ fortunæ dicuntur, ut quidē ſunt bona, cum humani minime ſint arbitrij, nullo uidentur pacto ad uirtutē referēda, ſiquidē

fortuna ipsa nihil prorsus cum ratione commune, aut aliqua saltem è parte coniunctum habet. E contrario uero, quid est quod non uirtus habeat cum ratione consentiens, atq; cognatum? An non actio omnis, quæ secundum uirtutem exsistit, eadem quoq; est ipsa, etiã secundum rationem? Quocunq; igitur te uerteris, nulla penitus exstabunt rationis uestigia, siue secundæ, siue aduersæ fortunæ euentus operaq; contempleris. Quo fit, ut extra rationẽ fortuita sint omnia, & in quo authoritatis tributum est plurimum rationi, atq; intellegentiæ, minimum in eo loci sit relictum fortunæ. Contra uero fortuna ubi regnet, nullum illic locum concessum esse rationi.

Fortunam nonnunquam rationalibus è rebus materiam sibi comparare.

Quod quãuis ita sit, fortuna tamen ipsa non raro instrumentum quasi quoddam exercendo muneri ex ijs sibi comparat, quæ ratione constant, atq; prudentia, hoc est è legibus, ac testamentis, quibus condẽdis ciuiles constitutiones prudentissime consulunt, consensusq; accedit hominum, ratione suadente. Non paucos enim satis longo interuallo, extinctis propioribus hæredibus, cum ipsi magna etiam premerentur egestate, repente tamen hæreditatis, ac legum beneficio, locupletatos uidemus, ut ipsi sibi magis uideantur repentinum id bonum somniare, quàm initio credere, tantum diuitiarum tam ex imperato à fortuna esse obiectum. Referebat nobis adolescentibus Antonius Panhormita literatorem quendam Germanum, quo puer ipse usus esset magistro consenuisse Panhormi in Sicilia, profitendis literis. Cumq; & senio iam, & inopia contabescæret, ex insperato profectos è Germania nobiles uiros, qui eum reduxerunt in patriã, mortuis iam agnatis omnibus, qua uia non illorum bonis tantum domesticis hæres successit, uerum aliquot etiam oppidorum dominatui, qbus maiores eius præfuissent. Itaq; humanarum persæpe constitutionũ opera, legũq; patrocinio, quæ ciuilis ratio est, fortuna ipsa utitur. Nobis item adolescentioribus, Franciscus Mutij Sfortiæ filius iure uxorio in Ducatu Mediolanensi surrepsit, nam patre mortuo, qui ex agasone ad maxime clarum imperatorem peruasisset, cum ei in re militari et gloria successisset Franciscus, ob uirtutem gener à Philippo Maria Mediolanensium Duce ascitus est, collocata ei Blanca è concubina filia, quæ post patri successit, cum ille decessisset, nullis legitimus liberis superstitibus. Quem dominatum ipsis diebus Ludouicus filius per summã

ignauiam amisit. Nanq; aduentu Ludouici Gallorum Regis in Italiam deterritus, impellente metu, exanimatusq; formidine, nocturnā fugam populis pariter, militibusq; ignorantibus, in Rhetos turpissime arripuit. quo ignauius ne quippiam, nesciam, an sol uiderit.

Fortunam & bonam et malam ab effectibus uocatam.

F ortunæ igitur iurisditio cum in bonis uersetur, ac malis, prosperis, & aduersis, lætis ac tristibus rebus, sanis ac languentibus, felicibus, atq; infelicibus nimirum & bona, & mala ab ipsis agnominata est effectionibus. Et bonæ quidem fortunæ duplex etiam munus est, atq; officium, alterum quidem cum inopinantibus nobis, nihilq; omnino tale aut cogitantibus, aut desyderantibus magnum aliquod repente bonum obijcat. Alterum cum graue aliquod discrimen quod nec dū etiam paratum sentiamus, capitiq; tamen immineat, aut nulla, aut perquam exigua nostra cura adhibita, illud ante præterimus, quàm aduentare senserimus. Itaq; eius nunc propriū munus est, benefacere (inde enim uocata est bona) commodaq; nobis insperata afferre, ac nullo pacto exspectata compendia, nunc à periculis, damnisq; surripere, atq; à malis liberare, sospitesq;, atq; incolumes reddere.

Fortunam seruare morem uentorum.

C onsueuit quoq;, quod eius ipsius naturæ proprium est, uariare, quare inconstans merito dicta, & dona etiam sua confundere, nullum aut ordinē seruans, aut regulam, indeq; temeraria, ut uentorum imitari inconstantiam uideatur, atq; impetum. Contra hæc, quanquam rarenter admodum, secusq; quàm consueuit, constantior tamen aliquādo exsistit, & tenorem semel conferendis bonis cœptum continuat, eademq; pergit uia. Quod quibus contigit, fortunæ eos filios appellare consueuimus. Itaq; ut bona, & mala, prospera, uel aduersa, pro merito suo dicatur, sic modo parum sibi omnino constat, modo stabiliorem sese ostendit, minusq; uariabilem, quod uentorum quoq; proprium, ac solitum munus est.

Fortunam carere modo ac mensura.

E iusdem quoq; peculiare est munus, nullam retinere aut mensuram, aut modum, nullumq; habere discrimen. Nam quoties ei uidebitur,

ac placitum fuerit, fies tu quidem, ut Satyricus iocatur ille, de rhetore consul, atq; haud ita multo post, de consule rhetor. Maximinus Augustus de quo diximus, è sordidissimo Thraciæ tugurio, ignobilissimis parentibus, nullis omnino maioribus ad imperium Romanum à fortuna profectus est. quid rarius? Florianus Augustus è maximo imperio in seruitutem corruit, cuius seruitus eò fuit indignior, quod quoties Parthorum Rex equum ascendebat, de lumbis prostrati eius ad equi latera suffultabat equestrem in sellam. quid miserabilius? C. Marij rebus quid inopinabilius, aut uariantius? quid deniq; illarum inconstantia, magnitudnei, prostratione, quid eius uictorijs, aut cladibus admirabilius? magis'q; incogitatum, ante quàm contingerent, aut inexpectatum? Quid contra L. Sullæ felicitatibus, ac secundis rebus accumulatius? ut inde felix sit agnominatus.

Flocrianus

Qui dicantur esse fortunati.

Ex his igitur eos proprie magis, atq; usitatius fortunatos dicimus, q̃bus fortuna ipsa diutius arriserit, apparuerit'q; fouendis eis firmior, ac stabilior, quorum etiam merita uix aliqua antecedunt, quæ dignos ijs beneficijs illos faciant, nõ assiduæ prudentes'q; cogitationes, atq; cõsilia nõ ingenij ualidæ uires, solertia'q; permagna et rara, nõ maioribus deniq; in rebus diuturnior exercitatio, ac rerum plurimarũ usus.

Vtrum quidã euentus ad uirtutem sint an ad fortunam referendi.

A. COLOTIVS BASSVS In primis doctus uir, et rerũ multarũ usu peritissimus quærere hoc in loco solet, cũ magnanimis ea non nunq̃ faueat uiris, aut alijs etiã, qui præclaris insigniti sint uirtutibus tũ bellicis, tũ ciuilibus, nunq̃d fauor hic sit potius ad uirtutem referendus? Cũ uirtus ubiq; rationem et ducem, et magistrã habeat, fortuna uero ab eius itinere plerunq; deerret. Cui quæstioni paucis ut respondeamus, primum quidem nec magnanimitatis nec uirtutis moralis cuiuspiam finem esse, externa tantum bona dicimus. Nam etsi uictoria inter externa numeratur, eius tamen ipsius finis est, ut in pace uiuatur, ac sine iniuria, & metu. uerum eò spectare, ut externa ipsa instrumenti nobis loco subseruiant, cedant'q; in apparatum uirtutũ ipsarũ, atq; in ornamentum, et cultum. Deinde fortunam arbitramur non ita lætari nouis semper rebus, nouis'q; hominibus, ut non & notos quandoq;, & probatos, atq; præclaris instructos artibus beni-

gne prosequatur, sed cum ei tamen libitum fuerit. Deniq; nullum ab ea præteriri genus hominum, siue nobile, siue ignobile, siue ignauũ et deses, siue solers et impigrum, siue humili in loco, siue in edito con stitutum, siue illustre uirtutibus, siue turpissimus etiam uitijs notatum, quod non pro libidine sua magis, quàm ex meritis & prosequatur cum uoluerit benefice, et insectetur cũ placitum est acerbe. Itaq; actio nes eius, operaq; nullo modo ad rationem referendæ, sed ad ludum potius, ac libidinem. Neq; enim fauet iusto, secundum illius meritum, sed quia sic ei sit libitum, perinde, ac cum aduersatur probis & pijs uiris non quod illi sint externis de rebus utiq; male meriti.

Fortunatorum hominum duo esse genera.

Fortunatorum quoq; hominum duplex est genus, alijs enim fortuna aut repente, atq; ex insperato, inexspectatoq; fauorẽ confert suum humi li loco editis, atq; in re maxime tenui, aut cumulũ alijs adijcit, quip pe qui illustri nati sint loco, in amplissimisq; diuitijs, atq; honoribus alti, educatiq;, qua ex accessione, eaq; continua & per seriem mino rum producta, familiæ quoq;, & gentes ipsæ fortunatæ dicuntur. Itaq; est & secundæ sua quædam constantia, non tamen tanta, ut non in medijs etiam fauoribus subinde, & subirascatur, et uellicet. Et uero felicitate populi Romani quid magis continuum? quid aut ac cumulatius, aut diuturnius? qui è rupe maxime horrida & sola, ad rubrum usq; potentiam suam protendit mare, atq; ad habitationis humanæ Orchades terminum. Qui tamen sæuiere in eum Anniba lis pugiones? qui Parthorum acinaces? aut quàm sanguinolenta tum Gallorum gesa? tum Germanorum cateruæ? Intercedunt enim conti nuationibus ijs orbitates liberorum, amissiones cognatorum, amico- rum, affinium, hospitum, familiarium, incendia ædiũ, uillarumq;, uredines item atq; calamitates tum segetum, tum arbuscularum, ua= litudines corporis, ac uitia, quæq; alia incommoda, quæq; etiam ma la contingunt in ijs, quæ ad animum quoq; non minus, quàm ad cor poris, aut ad externa pertinent bona. Vt deniq; fortuna ipsa amarũ semper aliq̃d suauibus obgerat, intermisceatq; è sententia fluctibus. Quales amatoriæ sunt uoluptates, ac delitiæ, q̃bus ĩ medijs triste ali q̃d semꝑ ĩnascitur, id q̃d à nobis adolescẽtibus amatorie decãtatũ est.

» Di faciles, miscere iuuet nunc tristia lætis,
» Oscula cum lacrimis, cum lacrimisq; iocos.

Nec uero non & eos fortunatos dicimus, secundaq; fortuna uti qui-

bus contigit maximis elabi è periculis, imminentibusq́; è malis, eoq́; magis si citra rationem ipsam, præterq; humana consilia, atq; cogitationes elapsi uideantur, ut diuina illis ope subuẽtum iudicetur. Sed nescio quomodo pleniori illis ore applaudimus, quibus conferendis bonis fortuna propitior fuit, magisq́; in eos officiosa. Etenim in conferendis bonis, cumulandisq́; fauoribus fortuna ubiq; adijcit commoditates, ac lucra, in repellendis autem malis auertit tantum damna. Et illic qdem eius opera ad usum ipsum bonorum pertinet, hic uero ad euitationem mali, ac fugam solummodo, quando malum ipsum boni tũ priuatio esse, tum ademptio uideatur. Quo enim spectat naturalis illa malorum fuga, rerumq́; aduersarum euitatio, nisi ad boni cupiditatem? studiumq́; assequendi eius? cuius suauitate ita delinimur et tanquam recreamur nomine, ut mali ipsius nos uel umbra qdem deterreat, auertatq́; exterritos. Etenim boni ipsius appetitio naturalis est, speciesq́; eius nobis ubiq; blanditur, atq; ad se alliciat, quod ipsum per se quidem amamus, colimus, assequi omni arte, studioq́; contendimus. At malum non aliam magis ob causam extimescimus, ac defugimus tantopere, quàm quod cupiditatibus nostris delitijsq́; aduersetur tam hostiliter, ut non tam sua ipsius causa, quàm non aut assequendi boni, aut si assecuti illud sumus, eripiendi gratia timeamus. Qui igitur & quales fortunati sint, qualis etiam fortuna, quiq́; illius mores, progressus, munera, hac in parte abunde monstratum uidetur. Quo'circa ad alia progrediamur.

Quid sit fortuna.

Etenim licet disputatum sit, fortunam à natura prorsus esse aliam, non defuere tamen, qui assererent, etsi à naturæ moribus, institutisq́; longe plurimum fortuna abhorreat, sitq́; ipsa inconstans admodum, et lubrica, non continua, non eadem ubiq;, non eorũdem semper effectrix, non similes sibi retinens progressiones, non discriminata seruans tempora, deniq; improuida sit, repentina, inordinata, temeraria, qui siue mores, siue impulsus, neq; naturæ conueniant, neq; rationi, quarum utriusq; propria sit constantia, maturitas, ordo, mensura, regula, discriminatio item rerum, temporũ, effectuum, non inquam defuere, fortunam qui asserant, irrationalem quandam esse naturam, nec aliud illam deniq;, q̃ naturæ impetum quendã, hoc est ratione carentẽ agitationẽ naturæ quãdã, in ijs ipsis uidelicet, quæ nec rationi subijciãtur naturæ, neq; hominũ electionibus, ac cõsilijs. Impetum itaq; esse eã censent, qđ sit absq; ratione, ferraturq́; suopte tantum

agitatu,

agitatu, atq; impulsu, quod'q; ubi impetus dominetur, illic rationi nullus omnino relictus sit locus, nulla prorsus authoritas, aut pensitatio earum quæ gerantur rerum. Etenim ratio administrandis negotijs finem ubiq; respicit, ad illum'q; sese accommodat, progressionibus quàm maxime appositis, consyderatis, idoneis, de uia nullo modo aut declinans, aut aberrans, ab omni ui ac uiolentia, libera. At impetus secus sese habet ad hæc omnia, nam nihil cum consyderet, nihil respectet, nihil utiq; ordinate gerat, uiolentus ipse & tanquam cæcus progreditur, rapitur'q; magis quàm incedit. Itaq; ab impetu ipso raptum aliquem si interroges, quo se proripiat, respondebit aut nihil opinor, ut uiolentus & parum audiens, aut quod ille in causa meticulosa apud Tragicum Senecam. Nihil timendum uideo, sed timeo tamen, quod ut transferamus in similitudinem. Nec quo progrediar uideo, progredior tamen. Igitur si impetus à ratione prorsus abhorret, si & aspernatur & conculcat illam, in illis sese fortuna oportet exerceat, quæ nec electionibus subijciantur hominum nec consilijs, minime'q; iuris sint nostri, neq; præceptis rationis rectæ obtemperēt. Apposite igitur fortunam qui finiunt, naturæ impetum esse cuiuspiā. Qualis autem sit impetus et quàm à ratione diuersus, abunde monstratum est.

Quare Fortuna sit natura quædam.

Restat uidendum de natura, an ex hac quoq; parte definitio ipsa sibi consentiat? Iá uero fortuna cum nec ipsa intellectus sit, ut plane ostēsum est, nec ratio, quippe quibus mirifice aduersetur, nec Deo sit attribuenda, cum maiestas illa diuina, summa sit iustitia, singularis sapientia, suprema circunspectio, ordo'q; sempiternus, contra uero fortuna ab his omnibus prorsus sit aliena, nec præter hæc quicquam sit aliud, quàm natura, ipsa'q; externorum sit bonorum dispensatrix, ac domina, nimirum à natura seperanda non est. Nam etsi natura quorum est ipsa causa, eorundem quoq; ipsorum aut utiq; semper, aut certe plerunq; effectrix est & author, occupatur'q; circa eadē perpetuo ubiq; tenore, præterquam si impedimentum aliquod senserit. Secus uero fortuna ipsa parum omnino sit ordinata, uersetur'q; tantum circa euentus qui accidentes quidem sunt, unde ipsa, qua causa est, euentitia agnominatur. Tamen & cum continua ipsa est, retinet'q; tenorem iam conceptum, seruat'q; ordinem, est'q; eorundē quoq; efficiens, & cum ipsa pro instituto uariat, si non ubiq;, alicubi tamē, si non semper, tamen sæpicule, si non plerunq;, tamen aliquando,

si non frequenter, at certe quandoq;, eædẽ sibiq; assimiles, eius sunt effectiones, & effectus ipsi persimiles, atq; consentientes. Quæ res efficit, ut si natura prorsus dicenda non sit, propter ea quæ aduersum multa sese offerunt, quædam tamen sit natura, eaq; sine ratione.

Quare Fortuna sit impetus quidam.

Ad hæc quod plerunq; nec ipsa ordinem seruet, nec rationem sequatur, progrediaturq; nunc uiolenta, & incomposita, nunc ut repentina, sic etiam inconstans, iure quoq; efficitur, ut ipso sit ab impetu, ac libidine terminanda. An non erit natura, cum uideamus quosdam sic ab illa institutos, ut naturali sorte, & appositi sint, & nati, in quos fortuna munus suum, peculiaremq; illum sua pro libidine exerceat impetum? Qua è re naturaliq; ab hac institutione fortunati sunt merito dicti. Etenim naturæ ipsius munus alibi idem quidem est, ac perpetuũ, præterquam si impedimentum ei aliquod sit illatum, perinde ut ignis est calefacere, ac calore suo fouere, imbris humectare, quæ corpulenta sint & grauia, deorsum atq; ad imum contendere, suopte ductu, ac pondere. Alibi uero id ipsum quod à natura inest munus, tametsi inest omnibus, non omnes tamen illud, sed pauci potius student implere. Nam cum sit hominum generi indita à natura ratio, qua & authore, & duce naturaliter afficiamur ad præclaras honestasq; exercendas actiones, quæ uirtutes constituunt morales, licet hæ ipsæ uirtutes nec à natura insint nobis, nec sint naturæ ipsi parum consentientes, tamen generosus, & optime institutus quisq;, igniculis illis à natura inditis calefactus, ad uirtutem omni arte, studioq; contendit. Atque hi quidem perpauci sunt & rari, cum multitudo fere omnis malis cupidinibus, uitijsq; turpissimis sit addicta. Quid autem tam à natura insitum quàm sciendi cupiditas? quoti tamen sunt populosissimis etiam in oppidis, qui rerum cognitioni dent operam? incumbantq; scientiæ, ac rebus uacent naturæ perquirendis? Itaq; & quod à natura inest, duplici etiam modo inest, & ut ubiq;, & in cunctis, et ut raro, atq; in paucis. Quam rationem in hac ipsa fortunæ definitione si sequimur, fortasse uidebimur à natura ipsa minime recessisse. Quid autem uita carius? cuius conseruandæ studium commune quidem est generi animalium omni. Quod quamuis ita sit uel multi tamen ad mortem, quæq; pericula illam afferant, uolentes feruntur. Vnde egregium illud,

» Aeneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

Quid quod non pauci euitare mortem cum possent, minime uoluere? ut Socrates, ut e Christianis inumerabiles, nec defuere qui illã ipsi sibi consciuerint, ut Marcus Cato, aut inferri sibi suis à familiaribus imperauerint, ut Marcus Brutus. Quin maximus ille Romanorum omnium Cæsar de ea sibi inferenda cogitasse in Hispania legitur. Itaq; nec Aristoteles ipse, nec è peripateticis accusari quisquam aut debet, aut recte potest, si alibi fortunam minime esse naturam dixerint, alibi tum naturam esse quandam, illamq́; sine ratione, tum ẽt naturalem impetum. Id autem tale est, ut non hic ipse forsan impetus bona sit fortuna, sed ut q̃ sic natura sint ab ipsa constituti, hocq́; instinctu præditi naturale adiumentum habeant, et uiam quasi quãdam paratam accipiendis fortunæ muneribus, ac donis. Vt naturalis hic ipse impulsus causam afferat ad conciliandam sibi fortunæ beneuolentiã, ac fauorẽ. Itaq; ut nõ omnes fortunatos uidemus, uidelicet quod adminiculum hoc quàm plurimis desit, sic quibus adest, fortuna illis propitia est. quid enim inuita, ac repugnante natura?

De Fortunatis.

Vtq; ad fortunatos de quibus paulo est ante dictum redeamus, hi sunt quibus ut peruulgate loquuntur, fortuna dormientibus aduigilat. Sunt autem hi non multi, cum omnes tamen cupiant, fortuna secũda uti. Sunt item satis pauci, qui rebus naturæ cognoscendis dent operã, cũ tamen scire omnes naturaliter cupiant. Qui igitur (etsi rari quidẽ sunt) ut sciant, laborant, maius nimirũ ad hoc ipsum, naturæ auxiliũ habent, q̃ qui ab ingenita illa sciendi cupiditate relanguescunt. Et q̃ in otio, atq; in solitudine, ciuilibus procul ab negotijs desides ipsi, ac marcescentes uiuunt, non'ne naturales illos igniculos, quibus ad agendũ, atq; in societate uiuendum naturaliter trahimur, nati enim sociabiles sumus; multo tepidiores, remissioresq́; sortiti sunt, quàm qui in luce quærunt uiuere, & in magna hominum frequentia præclare scere? Quemadmodum igitur igniculi illi ut accensiores uehementioresq́; calfaciunt, incendunt, inflamant hos ciuiles ad actiones, ad gerendos magistratus, ad honores adipiscendos, quibus gerendis natura eos aptiores fecit, magisq́; accommodatos, illos uero ad subijciendam sibi, & cœlestium, & humanarum cognitionem rerum, uniuersæq; naturæ scientiam, sic impetus illi, motusq́; irrationales excitant, aptant, dirigunt hos ipsos, quos fortunatos dicimus, ad consequẽda fortunæ fauorabilis dona, fructusq; eius huberrimos. Quocirca, ut dictum est, cum sine ratione, sine consilio, consultationeq; aliqua repente ad aliquid, excitanterq; mouentur, quod illis

postea bene uertit, eos tunc si percunctabere, quae'nam uos commouet causa? quae ratio ad haec ipsa sequenda? Atqui respondebunt, nobis ita quidem dictat animus. sic nobis placitum est, hocq; nostrum nobis cor innuit. Quod ulterius si perstiteris quaerere, cum non habeant, quid cum ratione respondeant, Deus inquient, hoc uult, sic nobis imperat, illum sequimur, eius nos paremus imperio. Itaq; inesse animus eorum uidetur à natura, ut instinctu quidem, atq; impulsu tantum illo, ratione uero, ac consultatione nulla adhibita, ad ea ferantur raptim, atq; ex incogitato, ad quae natura ipsa illos trahit, uel raptare potius cernitur. An non his ipsis fortunatis saepenumero usu-uenit, ut praeter prudentium hominum consilia, praeter experiētium senum monita, aduersusq; sapientissimorum uirorum exempla, neglectis, despectis, repudiatis amicis, atq; consiliarijs omnibus, negotiū aggrediantur aliquod, quod periculosissimum maximeq; exitiosum omni è parte appareat, & tamen ipsi soli illud sibi agendum suscipiant, eiq; administrando modum quoq; adhibeant, à caeteris omnibus improbatum, alienumq; utiq; ab alijs iudicatum, ac nihilominus feliciter illud perficiant, praeter omniū aliorū mentes ac iudicia.

Similitudo de Sibyllis, uaticinantibusq;, ac de poëtis.

Nec uero comprobandis ijs, quae de fortunati uiri impetu dicimus, exēpla desunt siue uaticinantium, Sibyllarumq;, siue etiam poëtarum. Et uaticinantes ipsi quidem, Sibyllaeq; neq; ex seipsis mouentur nec ducuntur ratione. Quae enim in homine indocto, & saepenumero rusticano, in muliercula autem praerudi, & semifatua inesse potest diuinandi ratio? diuinant tamen, & plurimorum simul seculorum futuras res annuntiant. Moueri autem & uaticinantes ipsos, & Sibyllas impetu illo naturali tantum, procul ab omni pensitatione, consilio, rationeq;, illud docet, quod ille ipse motus, furor est appellatus, et qui eo correpti sunt furentes dicti. Quid quod non à ratione destituuntur solum, uerum etiam à sensibus quippe quibus nec color, nec uultus illis suus est, non oculi, non comptae, ut Poeta testatur, mansere comae, sed pectus anhelum, & rabie fera corda tument. Atq; hic quidem siue impetus siue furor, quod ei praeesse Deus putatur, cuius est propria futurorum cognitio, cum ratio humana praestare nullo id possit modo diuinus est uocatus. Quo'circa furor ubi recessit, impetusq; ille, tam humana ab ratione remotus, alienusq;, non ignorat modo Sibylla, quod paulo ante de furore agitata praedixit, uerum id se

praefatam

præfatam etiam si percunctere, nequiverit, quippe quomodo meminisse eius possit, quæ sensibus omnino consternata & mente per id omne tempus fuerit, quo uaticinata est? nam mente consternatos esse, ac sensibus uaticinantes, habitus ipse corporis q̃ diu furore correpti sunt, docet, ac monstrat. Igitur si impetus, quanquam ab hoc ipso fortunæ diuersus, uates Sibyllasq; ad futura prædicenda concitat, instigat, rapit, ut pote prædicendis tantum futuris accommodatus, nunquid non alius similiter impetus externis conciliandis bonis aptus, natusq; impellet, raptabitq;, nunc neglecta, nunc conculcata ratione, ad fortunam propitiandam rerum externarũ dominam? quæ nostræ quidẽ iurisditioni minime subiecta sunt, quippe cum rationi, quæ hominũ ipsorum est propria, nullo pacto subijciantur. Homerus, ac Virgilius duo poëticæ duabus in linguis lumina, ab innato eiusmodi ad poëticandum impetu, id uterq; consecuti sunt, ut si dij ipsi Græce, aut Latine herois cantare uelint numeris, non alia nec uoce, nec cantu, nec numeris, nec suauitate, dignitate, magnitudine, quàm quibus illi modulati sunt, canerent. Itaq; quod poëticam ad dignitatem, magnitudinemq; ars, doctrinaq; labore etiam summo industriaq; comparata nequeat omnino accedere, præterea quod neq; studiorum assiduitas, neq; uigilantissima præstare potest cura, eò posse accedere, id utiq; & assequi et præstare, naturali huic, atq;, ut putatum est, diuino impetui datum est, atq; concessum. Qua de re quibus magis q̃ his ipsis credendum est poëtis? aut quorum potius standum dicto? proindeq; Ouidium audiamus.

» Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.
» Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Cui quidem siue spiritui naturali, siue impetui quod diuinum quiddam, atq; humano quidem esse uideatur maius, sacer is est uocatus, unde idem hic,

» Spiritus ille sacer, qui uatum pectora uersat.

Is itaq; siue cœli, naturæue, siue utriusq; impulsus, uisq; humana maior id prorsus præstat, atq; efficit, quod ars præstare nullis studijs, nullis quanquam assiduis laboribus potest assequi, neq; metæ ipsi potest uel distantissimo etiam spatio propinquare. Vnde Democrito non temere uisum est, poëticis in rebus, ingenio tribuenda esse omnia, poëtæq; fortunam omnem, hoc est dignitatem, atq; excellentiam ab ingenio proficisci. Quod igitur in diuina, atq; admirabili re (sic enim ab antiquissimis, ac sapientissimis uiris habita est poëtica) q̃d in quã naturalis præstat impetus, in ea re, quæ ad pangendum spectat car=

men, atq; ad comparandam inde laudem, ac gloriam, nunquid non præstare idem poterit, atq; efficere in commouẽdo, ac propellendo eo, cui talis inest, fortunæ consequendis bonis & stimulus, & adminiculum? atq; ad eiusdem beneuolentiam promerendam? Nec uero poëta uersum faciet et Apolline dignum, et Musis, ut artis eius peritus, et multum quoq; exercitatus, quæ quidem peritia, atq; exercitatio etiam uersificatorum est, ac Grammaticorum (etsi impetus ipse diu exagitatus ac uersatus multum, & artem sibi peperit, & quid decorum esset, inuenit) præterquam cum impetus ille, calor'q; excitus mentem agitat. Tunc enim miracula promuntur, tunc maior rerum ordo nascitur, maius'q; humano artificio mouetur opus. Identidem quoq; fortuna opes effundet, merces'q; explicabit suas, neq; aut supellectilem non ostentabit, aut penum, in illũ ipsum, qui suo instinctu, impulsu'q; & cohortetur eã, et innato adactus impetu facere sibi propitiã studeat.

Diuersa esse genera fortunatorum hominum.

Quid quod ut poëtas ipsos peculiaris illa commotio, maior'q; mentis exagitatio alios in Heroo, in Elegiaco alios, siue Tragicis, aut Comicis, seu Lyricis innumeris claros, atq; illustres facit. Sic fortuna alios diuitijs præter modum, alios uictorijs, alios potentia, magistratibus, præfecturis, imperijs, ut diuersis etiam modis, alios, atq; alios, ditet, honestet, amplificet, altius'q; etiam euehat, cum secundam sese exhibet, atq; fauorabilem. Qua uia fortunatio ipsa est etiam diuersimoda, efficitur'q; ut fortunatorum hominum non unum, sed multiplex'sit genus. Fortunauit alios uis hæc, ac natura in bellicis, alios in pacis otij'q; rebus, alios pascendis gregibus, atq; armentis, hos commutandis mercibus, nunc mari nunc tera, illos exercendis agris, quosdam comparandis literis, non paucos, dum in procerum, ac regum aulis uersantur, permultos etiam colenda religione, ut multiplicibus modis fortuna, quos idoneos nacta est, quod'q; libido eius fert, eos & locupletet, & extollat. Qua è re id efficitur, cum fortuna impetus sit, ipse autem impetus parum obsequatur rationi, ut mirum minime sit, si uulgus in id quoq; consentit. Quo in negotio, quaq; in re, amplior datur, ac maior fortunæ locus in ijs aut nullum, aut omnino perquam exiguum dari rationi aditum. Atq; ex aduerso, ubi rationis maxima sit authoritas, illic fortunæ aut certe nullam, aut omnino minimam fore.

Fortunam interdum conuenire cum ratione, nihilominus inuicem aduersari.

Quod si aliquando in unum forte conueniant, inde ipsum proficiscitur, quod fortunæ nihil insit perpetuum, quæ ut plerunq; aduersatur rationi, sic interdum illi quasi insidians blandiatur, & uultum quã maxime benignum offerat, ut non fauor ille magis, quàm dolus, aut pellacia quasi quædam dici iure debeat. Etenim maris atq; aquarum propria cum sit agitatio, ijsq; innatum sit, æquæ atq; aëri, nunquam ut consistant, tamen et mare quandoq; motum illũ sistit suũ, & aquæ ipsæ restagnant, aerq; sic interdũ conquiescit, ut recte de ijs dicatur,

» Cum uenti posuere, omnisq; repente resedit
» Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.

Et uero de fortuna non recte minus, ac proprie, quàm de mari Lucretianum illud dici potest.

» Placidi lusit pellacia ponti.

Nam quantopere insidiosa fortunæ sit blanditia, ac secundior eius flatus, docuit uenenosus ille Annibalis tandem annulus, docuit sceleratus, atq; infelix Pompeij exitus in Aegyptio litore, Iulij item Cæsaris in curia Pompeiana, Alexandri Seueri in patenti & libero militibus prætorio, nec non & Marci Antonij, in eius ipsius, ac Cleopatræ thalamo. Quos omnis ut de alijs taceamus, fortuna sic extulit, ut eorum sint exempla quam rarissima. Igitur si ratio cum impetu certat hostiliter, ut cum fortuna, quoq; certet, necesse est. Etsi ijs fauet fortuna qui impetum tantum sequuntur, illis obsit, par est, qui rationi se, resq; suas accommodant. Minime igitur mirum, male si fortunati sint, qui secundum rectam rationem uiuunt, ab eaq; ne minimum quidem recedere audent. Et uero integrum qui diẽ consumunt iaciendis talis, quid mirum tandem aliquando Venereũ si iaciunt? aut si in tot fortunæ lusibus, qui pene tot ipsi sunt, quot & homines & negotia, unum aliquando aliquem ad uitæ usq; exitum comitetur felicitas? paucissimos inuenias Augustos, rarissimos Traianos, una ẽt manu numeraueris Antoninos. Quis tamen ex ijs est, exq; alijs q inter fortunatos, ac felices numerantur, quẽ non subinde fortuna etiam letaliter percusserit? nedũ ut luserit etiam perquam ridicule? Quod si quãdoq; usuueniat illum ipsum impetum rationi se adiungere, innumerabilis tamen cœtus est illorum, ac series, quibus male conduxerit rationis usus, atq; prudentiæ, Cum qbus optime profecto actum fuisset, ratione relicta, naturæ impetum esse secutis, quod impetus ipse, eiusmodi in negotio, ad fortunam si respicias, non autem ad consiliũ,

rationis utiq; locum obtineret, cui consonat Virgilianum illud,
» Vna salus uictis, nullam sperare salutem.
» Ac nihilominus si ratio in unum, fortunaq; conuenerit (Nam conue
» nire quandoq; Liuius etiam testis est cum ait, Adeo, non fortuna mo
» do, uerum etiam ratio cum barbaris stabat) non id tam est rationi
» adscribendum, quàm fortunæ ipsius uolubilitati, euētuumq; eius in=
» certitudini. Itaq; nec temeritas semper felix est, nec prudentia ubiq;
» respondet successibus. Nam et idem Liuius ait, Bella fortius, quàm feli
» cius gessissent. Atq; utinam non quotidianæ etiam essent uel sapientis
simorum consiliariorum uanæ delusiones, atq; inanes exitus. Verum his in hanc sententiam explicatis, ac pluribus fortasse, quàm necesse esset, ad ea quæ reliqua sunt nostra conuertatur oratio. Si unum hoc tamen ijs ipsis quæ dicta sunt, adiunxerimus, rationem quidem rectam, quanq; prudentes qui habentur, se qui solent, si fortunam id est impetum naturæ illum, uimq; introrsus animaduerterimus, habendā nullo esse modo rationem, quippe quæ non modo non dirigat quod recte rationis proprium est officium, uerum etiam à fine ipso detorqueat, cogatq; de uia recedere. Contra uero illorū impetum qui apti nati sunt ad felicitatem pro ratione habendā esse. Cū ratio, ut dictū est ipsa dux sit quædam ad ea, quæ appetiscimus potienda, ni illud forte obstiterit, quod rectam esse rationem hominis tantum uolumus, non naturæ cui nulla insit uoluntas, nulla prorsus consultatio aut electio.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE FORTVNA LIBER SECVNDVS.

Fortunatos dici à fortuna non ab honestis actionibus.

QVONIAM AVTEM DE uirtute, honestis'q; ab actionibus, quæ in manu nostra sunt, fortunatus nemo dicitur, uerum ab agendis fortibus fortes ipsi quidem, ab iustis iusti, atq; ab liberalibus liberales dicimur, nullo autem pacto fortunati, nec Cæsar profecto fortunam sibi peperisse de tot, tantis'q; exanclatis periculis, nec Iulianus Augustus, ne de externis loquamur ducibus, uerum fortitudinis, ac magnanimitatis commendationem sibi, ac gloriam comparasse dicentur, nec aut P. Scipio, aut ante eum M. Marcellus, aut post Domitius Corbulo, aut Iulius Agricola, aut innumerabiles alij, quos minime quidem ut fortunatos laudamus, sed admiramur potius res gestas, præclara'q; eorum facinora, quod uirtutis est non exiguum aut indignum pretium, quippe cum disciplina militaris, labores, erumnæ, uigiliæ, ratio ipsa rerum administrandarum magistra, gloriam ijs suam, ac decus peperit. Siquidem ratio uirtutis & comes, & dux est, minime uero fortunæ, neq; fortunatio rationis rectæ, atq; agentium secundum rationem opus est, ac ministeriũ, sed uirtus ipsa, sed uirtutis decus illud sempiternũ, per quod tot etiã seculis & clari habentur, & in hominum uersantur ore, ac mentibus, & uersabuntur, quandiu Græca exstabit Latina'q; oratio. Epaminundas, Leonidas, Pausanias, Cincinnatus, Camillus, Publicola, & schola illa maxime gloriosa ueterum tum Græcorum, tum Romanorum, quibus'q; alijs fortuna parum propitia, uirtus autem ubiq; familiaris, ab ipsis'q; præter cætera omnia & honorata fuit & culta. Quæ res ut manifestior appareat, placuit genera fortunatorum hominum distinctius uberius'q; quàm non multo ante fecimus, explicare.

De uarijs generibus fortunatorum.

Est itaq; genus unum fortunatorum, quibus quidem contigit, eosdem

ipsos ea sibi comparasse, per quae fortunati habeantur. Est & eorũ aliud quos hæreditas maiorumq; patrimonia, ac census abũde multum fortunauit. Est & illorum tertium quibus nec cupientibus, nec operam laborem'ue suum in id impartientibus, locupletibus tamen esse contigit. Vt quibus secundum quietem monstratus est thesaurus sub teram defossus, quem statim expergefacti è somno, reclusum inueniunt. Quartum quoq; illorum his accedit genus, quos opulẽti ac primates uiri, cum orbi sint liberis, eos sibi adoptant, aut arrogant. Alij item quibus aut populorum principes, aut magni Reges plurima conferunt externis è bonis. Est & alius fortunandi modus, & ipse quidem multiplex, quando alios fortunatos res fecit uxoria, alios eximia forma, atq; è libidine qui est amor, alios à parentibus expositos fortuna ipsa sibi illos supposuit, aliusq;, atq; alius modus alios ditauit, atq; alios. His autem illi annumerantur omnibus, quos non collata bona, quo fortunatos uocaremus, præstitere, uerum malorũ ipsorum repulsio, atq; euasio. Vt qui cum maximus circũm obsideantur periculis, nec euadere illa se posse confidant, fortuna tamen ipsa repente, atq; ex insperato illos liberat. Vt qui capitis condemnati, manéq; ducendi ad supplicium, noctu exorto inter ciues tumultu, cæso inter rixantes prætore, effractoq; à tumultuãtibus carcere, liberãtur. His accedunt quos fortuna ab ignoratis, ac nullo modo præuisis periculis, insperata ipsa eximit, ut qui inuitati ad nuptias, die stata cũ hospite, tranandus cum esset fluuius, illo repente tumufacto de nimijs, ac repentinis imbribus, à transitu prohibentur. Interimq; dum ipsi cis flumen à torrente prohibiti morantur, ædes ubi cœnaturi erant, corruunt, de fundamentorum uitio, aut contignationis. Admirabile uero fortunationis genus tempestate nostra uisum est in Matthia Coruino, de quo libro superiore diximus. Is adolescens admodum non parum temporis compeditus, atq; in carcere male habitus, dum se cu- rim timet, iramq; Hungariæ, ac Pannoniarum principum, è squalore illo, ac pedore teterrimi carceris ex insperato in sellam repente regiam tractus est. Nuper & in Ludouico Aurelianensi Duce, qui pugnans aduersus Regem Galliæ captus cum esset, capitisq; damnatus patrum, ac iudicum omnium sententijs, in carcere custodiretur, ad supplicium, Rege ab Carolo Octauo, aduersus omnium sententiam atq; opinionem absoluitur, atq; ab ipso Rege reserato carcere equo acceptus in Regiam deducitur, nec multos post annos Carolo ipso, absq; liberis decedente, Galliarum Rex creatur, uno patrum, ac procerũ consensu. Atq; haud multo post Ludouico Mediolanensium Duce, de

metu aduentus eius in Italiam consternato, clanculumq; ab illo arre
pta fuga, Insubrium ei omne deditur, cum transpadanis, quiq; cis Pa
dum sunt populis. Hæc igitur fortunatorum sunt ferè genera, quæ ta
men diuidi in longe plures etiam possunt species, idq; cuiuis in prom
ptu est. Nobis satis fuerit, ex his admonuisse reliquorum.

Qui proprie dicendi sint fortunati.

Exercet igitur his in cunctis ius suũ fortuna. Quo fit, ut quibus quo-
modocunq; ea aspirauerit, ij fortunati habeantur. Illi tamen & pro-
prie, & de fortunæ ipsius libidine, deq; naturæ impetu cognomentũ
ipsum fortunatorum ducunt. Quibus de eius nutu, ac fauore conti-
git comparare sibi, sua quoq; opera atq; adnisu, externis è bonis sine
rationis ductu, prudentiæq; adminiculo, impetum naturæ ipsius se-
quendo, ea quæ & desyderabilia ipsa quidem sint, atq; ab iisdẽ ipsis
concupita. Nam nobilitas, patrimonia, auitæ diuitiæ etsi externis sunt
è bonis, meritoq; appetuntur, tamen ex lege consuetudineq; ciuili in
nostram ueniunt sortem, aut nulla, aut uix exigua nostra adhibita
opera. Itaq; etsi successio ipsa domesticæ nobilitatis, auitarumq; facul
tatum fortunatos efficit, tamen principe illi in loco constituendi sunt,
proprieq; fortunati appellandi, quibus ut dictum est, contigit, impe
tus ipsius tantum ductu, neglecta rationis, ac prudentiæ lege, ea con
sequi quæ in sua ipsorum non essent potestate posita, quæq; & appe
tenda ipsa sint, ac pro iisdem adipiscendis, & conferenda opera, &
labor etiam impendendus. Nam pericula qui euadunt difficil-
lima & maxima, licet fortunati & dicantur, & habeantur, ta-
men bona per se ipsa appetuntur, malum autem per se à nullo, qui
sanæ mentis sit, appetitur. Lætamur tamen repulisse illud, ac defugis-
se, quod quæ bona sunt, ea nobis malum ipsum eripiat, à quo quis
est, qui non abhorreat? Contra qui bonum non appetiscat? à naturaq;
ad illud trahatur?

Quæ sint hominis bona, atq; in eius iurisdi-
tione posita.

Vtq; semel terminemus nostra quæ sint bona, nostraq; in potestate posita,
quo terminatiõe ex ipsa intellegamus externa, atq; fortuita bona, mini
me nostra esse, aut hõis potestati subiecta. Sic qdẽ censemus, nostra esse
bona, quæcunq; animi tantum sunt, quæq; in nostra sunt potestate

collocata, eæ autem actiones ipsæ sunt hominum, quæ à uoluntate, atq; electione secundum rectam rationem proficiscuntur, cum cætera quidem fortunæ dicantur. Nam de bonis corporis hac in dissertione, non multa est habenda aut ratio, aut cura.

Fortunæ iurisditionem nullam esse in bonis animi, si rationi pareatur.

In animi igitur bonis, dum rationi obsequamur rectæ, dum sensus illi moderandos subijciamus, dum ad agendum & consulto, & cum electione accedamus, interq; agendum quam prudentia uiam nobis ostenderit, eam ducem sequamur ipsis inquam in animi bonis, ut quæ nostra sint propria, nihil omnino iuris fortunæ relinquitur, nihil prorsus authoritatis, aut loci. Siquidem ubi plurimum authoritatis habet ratio, ibi minimum iuris habet fortuna, quod dictum iam transiit in prouerbium. Quæ igitur iurisditio fortunæ sit, & in quibus quæ item rationis rectæ, iam liquet. Quod si sensibus uoluntatiq; parũ tẽperatæ atq; ĩpotenti dominandos nos, permiserimus, nimirũ fortuna nos, nostra de possessione deijciet deturbabitq;, ac tyrannidem in ijs, quæ hominis iam erant, exercebit, nostra sibi culpa uindicatis.

Felicitatem ciuilem absq; bonis externis perfectam non esse.

Quoniam autem uetus & Græcorum, & Latinorum philosophia duplicem constituit felicitatem, & quæ ciuilis à nostris dicitur. Græco nomine est Politica, & quæ à contemplando nomen duxit (Nam de felicitate, quam Chistiani constitunt non eadem omnino habenda est ratio, neq; de ea nos hac in disputatione dicendum suscepimus) Ita quidem sentiendum est, ciuilem felicitatem sine bonis externis, nequaquam posse perfici. Nam si Fabritius, si Publicola Valerius, si alij nõ pauci rem familiarem uel admodum exilem habuere, adeoq; angustam, ut neq; liberalitate, neq; magnificentia illustrare eam possent, tamen & nobiles nati sunt, & in urbe clarissima educati, & summis etiam functi magistratibus, quæ quidem inter externa numerantur bona, suntq; fortunæ ipsi subiecta. Quo fit, uti ciuilis felicitas, quo perfectior sit, magisq; illustris appareat, bonæ quoq; fortunæ præsidijs indigeat. An non in plebeiorum etiam hominum uersatur ore, Imperatores atq; exercituum duces fortunatos esse oportere? Proindeq;

bona fortuna et illustrat, et perficit ciuilem felicitatem, aut illustrari, absolui'q; ea nequit absq; fortunæ & opere, & munere.

Bona externa parum conferre ad felicitatem contemplatricem.

Eadem tamen ipsa parum omnino confert ad contemplatricem, siqui sunt qui paucis contenti, ac modicis, rerum naturæ causis cognoscendis dediti, diuinis'q; contemplandis tantum intenti, cæteris uitæ muneribus, humanis'q; negotijs omnino spretis, uitam in otio maxime beato aut egerunt olim, aut nunc agunt, a quibus quidem ipsis cum res hominum cunctæ, tum uel in primis fortuna habita est contemptui.

Fortunam & prudentiam interdum conuenire.

Quanquam autem et dictum, et abunde probatum est, prudentiã, rationem'q; fortunæ prorsus aduersari, nihilominus hac in parte, hoc'q; in ipso munere uidentur sibi quodamodo subblandiri. Nanq; ut prudẽtia ipsa rationis rectæ præsidio, & dirigit, & ducit ad finem incepta hominum, negotia'q; suscepta, sic idem illud molitur, ac præstat bona fortuna, impetus'q; ipse naturalis. Illud tamen interest, quod prudentia actiones dirigit & consilio susceptas, & ratione temperatas, fortuna uero secus, quippe quas ab impetu susceptas, ductu suo & perficit, & gubernat.

Bonam fortunam duplicem esse.

Ipsa quoq; item bona fortuna duplici modo partienda est, & in eam quæ continuum quendam quasi tenorem in conferendis seruat beneficijs, quadam ueluti constantia adhibita in ferẽdis suffragijs, & in illã quæ etsi bona ipsa est, parũ tamen suo perseuerat in tenore. In quo nec frequens est, neq; ut ita dixerim, quotidiana. Vtraq; autem bona et fauorabilis, continuatione tamen differunt, confert'q; utraq; felicitati, magnum etiam in modum, Perseuerans tamen illa, & maxime frequens, tum constantius, tum etiam uberius, ac sæpius perinde, ut fœtus sui studiosa mater, quæ cum plenioribus sit uberibus, et ubera illi sæpius admouet, subinde etiam sucinens, & lac instillat indulgentius. Itaq; illa ipsa bona fortuna quæ suffragatur quidem, & amice faueat, rarius tamen, multo'q; minus sæpe, euentitia omni-

no & uidetur, & est, & quæ præstat, ex accidentia quoq; præstat, ut'pote duabus, siue causis, siue negotijs, ac rebus in id repente conuenientibus præterq; opinionem, atq; consilium. Quod secus fortasse in altera illa magis studiosa, et in suffragijs continua iudicari merito suo potest.

An ad perficiendam felicitatem, diuina sit opus beneficentia.

Et uero quoniam diuinum quiddam potius, quàm humanum perfecta uidetur esse felicitas, quæ ut parte ex omni consumetur, Dei uidetur beneficio opus esse, ac gratia, non absurdum fortasse, nec præter rei ac loci naturam uideatur, si in hac ipsa re diligentius perquirenda aliquantum immorabimur, nec ut philosophiæ solum studiosi, uerum etiam ut Christiani, quorum propria est pietas,. diuinæq; in nos beneficentiæ gratitudo. Nam cum & ratio, & prudentia, & intellectus, ipsa etiam scientia, fortunæ tantopere intersint, quantum omnes utiq; intellegunt, nec fortuna prorsus rationalis sit natura, sed cuiusdam potius naturæ impetus, nec Deus iniquus sit ipse dispensator, rector'ue consyderatus, aut parum iustus, nec fluitare res ipsas & hominum, & terarum & cœli per imprudentiam aut incuriam, aut neglegentiam patiatur, uidentur hæc nec contingere posse, nec per impetum naturæ præstari & perfici diuino sine numine, ac concessu. Cum, ut dictum est, absoluta felicitas diuina potius res appareat, quàm humana, nec cœlum ipsum, quo omnia continentur, euenienter fluitet, nulloq; teneatur nec ordine, nec lege Dei autem prouidentiam rebus ipsis initio affuisse, illisq; et nunc, & ubiq; adesse atq; affuturã, et cœli motus, conuersiõesq; tam ordinate compositæ, et religio ipsa mentibus hominum infixa, cultusq; cœlitum à natura profectus manifestissime declarant. Neq; enim natura in illum ab ipsa mouere-mur, à quo nulla in nos prorsus aut exstent, aut sperentur beneficia. Quo fit, ut cultus ipse noster, tantarum'q; religio obseruatrix cerimoniarum nil omnino sit aliud, quàm gratitudo quædam diuinorum in homines beneficiorum ac munerum. Neq; enim, ut Cicero ait, cum mundus hic omnis Deo pareat, & maria teræq; obediant, aut parerent ei, aut obedirent, nisi illorum esset ei cura, cunctaq; ipse pariter & moueret, & moderaretur. Nam quod quæ sunt, & mouentur et uiuunt, à Deo qdẽ est, & quod ordine suo moueantur, & seriem mouendi teneant, à quo nam nisi exsistit à Deo?ut à pri-

ma, & maxima causa, eaq; origine & authore omnium, & quae sunt in natura, & ipsius etiam naturae, rerumq; cunctarum, quae à natura fiunt, & quarum ratio, cur fiant, ad illam ipsam refertur, qua è re dicta sunt naturalia. Cumq; motus causa sit omnium quae gignuntur, & occidunt, unde nam obsecro motus est ipse, nisi à Deo? qui prima & origo est, et causa?

An fortuna sit ad Deum referenda.

Igitur cum fortuna natura quaedam sit, eaq; absq; ratione, & quia sine ratione, icirco impetus est, qui quidem nihil est aliud, quàm irrationalis quidam motus, uidetur fortuna ipsa ad Deum, ut ad principē rerum omnium causam referenda. Sed uidendum est, ne cum hoc fecerimus, Deum ipsum iniustitiae, parumq; honestae dispēsationis condemnemus. Cum fortuna ipsa & prauis adesse saepenumero, & bonis nocere soleat. Quod ut euitemus (esset enim hoc ipsum de Deo sentire, res supremum in modum nefaria) ita tenendum, ac statuendum ducimus, nihil in Deo eiusq; uoluntate, ac lege diuersum inesse, uniusq; prorsus formae, uoluntatem esse eius, non dissentire ipsum sibi, non uacillare, non in diuersum rapi, eundemq; semper esse, eadēq; ubiq; uelle. Itaq; quod uniforme est, quod idem, quodq; nullo modo uariat, labiturue in diuersum, Deo id ipsi, ut origini, ut principi causae omnino tribuendum. Quod uero uariat, diuersoq; agitur modo id minime à Deo proficiscitur, uerum à diuersitate rerum ipsarum, quae et moueantur, et informentur, quaeue secundo loco et ipsae quoq; moueant, & informent. Etenim, ut supra est dictum, cum de prouidentia ageremus ac fato, quas creasset Deus animas, ijs ipse legem praescripsit, sciuitq; quid, & quomodo essent administraturae, exhibuitq; materiam, in qua uersarentur. Siue autem animis quaeque suis praeditae sint stellae, siue & stellis, & corporibus coelestibus singulis suae insint à Deo adiunctae intellegentiae, hac in parte minime putamus differre, quando lex omnibus data est sua. Etenim, crassiore ut agamus Minerua, ignis proprium est calfacere. hoc autem igni tribuitur motore ab eo, qui coelum agitat, ipsi autem motori, de Dei id uoluntate, ac lege, & permissum est, & attributum. Itaq; calor ipse uariat, neq; unus in ijs est, quae ab eo concalescunt omnibus, manat igitur exsistitq; diuersus, ac uarius è calefactione effectus, pro natura rei eius, quae concalescit. Atq; haec quidem uarietas, tantaq; etiam diuersitas nequaquam ad Deum referenda, uerū ad na

turam potius calefacti, aut forsan etiam ad uim eiusdem qui secundo
mouet loco, instillatq́; igni calorem, roburq́; calfaciendi, forsitan etiã
ad utrunq;. Quo'circa rerum diuersitas aliaq́;, atq; alia, tum rerum
motoribus attribuenda, tum rebus ipsis, perinde, ut res ipsæ sunt di-
uersæ. Qua ratione & uia Deus ipse, ut princeps, atq; uniformis
causa, omni culpa uacuus est. Quid enim ad Deum diuersitas hæc,
quod idem ipse ignis, lapidem in calcem excoquat, in carbonem quer
cum, ac cinerem? liquefaciat plumbum, cogat lutum, atq; obstringat
in tegulam? Quæ quidem diuersitas pro natura humorum corpo-
reæq́; constitutionis in humanis quoq; prouenit ingenijs, ut alij acuti
sint, alij contra obtusi, celeres alij, ac solertes ad agendum, atq; ad in
tellegendum, tardi alij, atq; inertes. Siquidem Deus et princeps ipse
est, & architectus, & uniuersalis tum lex, tum causa, effectus tamen
cuiusq; particulares particularibus quidem causis, proprijsq́; sunt ar
tificibus dedicati. Quorum effectiones, magisteriaq́;, naturas quoq;
rerum, quas illi informant, præcipue sequuntur. Nam et pecunia in
manu uiri liberalis posita uertetur in erogationem, usumq́; eius, atq;
commoditatem in quem erogabitur. At furiosus illam, & furenter
iactabit, & dissipabit inutiliter. Auarus uero aut in cumulum con-
geret, aut defodiet sub tera, quam mercator mutabit pannis, alijs'
ue mercibus, aut locabit fœnori. Ex his autem id efficitur, licet Deus
rerum sit omnium princeps atq; uniuersalis causa, quarum tamen
rerum natura est author, eæ naturæ ut ipsi, perinde, ac propinquio-
ri causæ assignandæ sint. Rectéq; comparatum est, ut naturalia quæ
dicuntur naturam ad ipsam, ut propriam ad causam, magisq́; coniun
ctam referantur. Id quod usu quoq; uenit in re militari, & bellica,
ut quæ militis sunt, ad militem quæ tribuni, ad tribunum, quæ
imperatoris, imperatorem ad ipsum, idq́; non in rebus tantum ma-
ioribus administrandis, qualis est gubernatio rei publicæ, atq; exer
citus, uerum etiam in longe minoribus, qualis res est panifica, Siqui
dem panis seu probus fuerit seu uitiosus, furnarium id ad artifi-
cem referri solet, nequaquam uero ad eum, qui aut frumentum tri-
uit in area, aut in agro seuit, aut deniq; ad agelli dominum, qui
aratorem cum bubus ad serendum conduxit frumentum. Quam-
obrem ut res ipsæ distinctæ sunt, itemq́; artes, atq; exercitia, sic
etiam causæ distinguendæ, & artificibus quæq; suis, opificibusq́;
adiudicanda.

Fortunam

Fortunam ad naturæ impetum referendam esse.

Igitur fortuna naturalis quidam cum sit impetus, ipsaq; natura hac in parte sine ratione prorsus, atq; ab impetu agat solo, ad naturæ impetum referenda est, tanquam ad propinquam, peculiaremq;, ac particularem causam, siue hic ipse impetus rebus nostris conducat, siue aduersetur, & noceat. Accusatur enim Ennius tanquam Poëta rudior, quod nimis remoto è loco uel quæri cœperit, uel incusare.

» Vtinam ne in nemore Pelio securibus
» Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes,
» Ne'ue inde nauis inchoandæ exordium
» Cœpisset, quæ nunc nominatur Argo nomine.

Recte autem & consyderate Virgilius non à cæsu arborum in Pelij montis nemoribus, sed ab annauigatione tantum, atq; in litus appulsu.

» Felix heu nimium felix, si litora tantum
» Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

Nec temere autem, nec parum utiliter à Christianis post, ante ab deorum cultoribus, quos nostri hodie Theologi Gentiles uocant institutum est, ut ab diuis his hæc, ab illis uero illa, ab alijs alia, atq; alia & supplicantes rogarent & uotorum compotes, gratias eis agerent, quippe quibus persuasum esset, diuis singulis numen suum inesse, peculiaremq; potestatem.

Fortunatos infortunatosq; à natura esse institutos.

Quas ob res si natura quædam irrationalis est fortuna, naturæ huic ut adscribatur, necesse est, utq; natura ab ipsa fortunati hi, illi uero infortunati & dicantur et sint. Qua in re illud etiam necesse est usuuenire, ut hi quàm illi natura ab ipsa magis minus'ue instituti sint ad fortunæ fructus colligendos. Quemadmodum autem quibus à natura tributum est, bene ut uersus faciant, aut musicos tractent modulos, hi nati prorsus, atq; accommodati ad illud ipsum sunt munus, sic qui ad amplectendam fortunam idonei nati & ipsi sunt, atq; appositi ad impetus sequendos, illos scilicet, qui fortunam concilient, aut illi ipsi potius sunt fortuna. Videmus enim quosdam ita genitos, institutosq; à natura, qualis Cato fuit is, qui cognomen habuit ab Vtica, ut nullius eos suasio, nulla uis, impotentiaq;, nullus etiam terror, à proposito suo, suaq; ab electione detorqueat, quos nesciam an for-

tunatos iudicem, etiam cum bene illis successerit, quando pertinaciæ id, certisq; eorum, ac firmis propositis uideatur prorsus adscribendum. Contra hæc alios, qui ab incepto itinere & facile, & statim dimoueantur, ac relicta ratione, prudentioribusq;, admonitionibusq; atq; consilijs, uiam ingrediantur aliam, alienis minime uestigijs inhærentes, ut qui uagi, palantesq; ferantur. Qua è re, quod ita sors ferat, naturalis ille impetus præsidio illis est, ac fauori, quod scilicet ratione relicta impetum sint secuti, ut uideatur similitudo ipsa naturæ simul eos conciliare, appareantq;, propter hanc conditionem, ab ipsa etiam natura fortunati, & quantum à ratione diuersi ferantur, ac deuij, tantum, et fortasse amplius concilientur fortunæ. Et qui, qua ratio uires extendit suas, parum ipsi prudentes uideantur, parumq; consulti, sint tamen ad fortunæ promerendum fauorem maxime appositi, et tanquam affabrefacti, naturalem ob leuitatem, consimilesq; impulsus. Nihil enim prohibet, qui abũde multum in cæteris sapiat, in ijs, quæ fortunæ sunt, naturali more, ingenitoq; ab instituto parum omnino sapere.

Fortunæ uires esse amplissimas.

Nec uero genus uniuersum hominum, in ciuitate qui uersantur, ciuilibusq; in negotijs, ac muneribus, adde & facultatibus, & disciplinis, ut in administratione publica, in militari, in nauali re, ut in medicina (nam & fortunatum medicum esse oportere, omnes quidem consentiunt) non etiam sub fortuna laborant. Quando artes ipsæ etsi præceptis constant rationeq;, atq; obseruatione, tamen fortunæ quoq; ijs in ipsis locus relictus est suus. Quænam enim aut artes sunt, aut facultates, ut non in quibus illæ uersantur rebus, plura in ijs accidere ex improuiso soleant? Nam etsi quæ olim euentura sunt, ea nec arte continentur, nec facultate, nisi qua coniectura sese efferat, campus tamen illorum, ludisq; fortunæ est liber, ac proprius. An non curanti ægrotum medico, cuius ad curationem opus sit aut radice Pontica aut Elleboro, uel multum etiam potest in eo illi obesse fortuna, quãdo quod inter nauigandum curatio hæc contigerit, nec radix in naui Pontica, nec ad purgationem reperiatur Elleborus? Et imperatori qui se crastinum in diem, pugnaturum cum hoste constituit, nunqd non accidere illud potest, ut nocte quæ diem constitutam antecedit ardentissima corripiatur à febri? ne interesse pugnæ possit, aut cum è castris prodire in prælium parat, repente, atq; ex insperato literas ut à

Senatu accipiat, quibus præscriptum ei sit, ne pugnam omnino cum hoste ineat, ne'ue cum illo conserat manum? Et qui sutor calceolarius pactus est, futurum se hospiti die insequenti iter inituro calceolos itinerarios, quonam modo promissum præstabit, si mane dū ad suendum consurgit, omnem comperiat alutam, coriumq; item omne fuisse à furibus paulo ante subreptum? Quid cum statuarius somno expergiscitur, dolaturus mane in cæsaris effigiem saxum, animaduertit illud nocturna à cœli procella disiectum? Latissimus est igitur fortunæ campus, ijsq; in omnibus uires extendere, atq; imperium exercere ualet suum, in quibus præter spem, opinionem, propositum, ac constitutum, accidere aliquid ualeat, omninoq; improuisum. Patet quoq; uis eius non in ijs modo, quæ iam diximus, uerum etiam quocunq; in hominum gradu, atq; conditione, summa, humili, ingenua, seruili, rustica, urbana, plebeia, patritia. Nam & humili loco editos in reges peruasisse satis scimus, & dites in paupertatem extremā redactos, & maxime inopes ad summas etiam peruenisse facultates, et in libertate genitos consenuisse in seruitio, quibus è rebus liquido constat, non à natura modo fortunatos esse quosdam, aut infortunatos, uerum in quaq; hominum conditione contingere hoc ipsum posse. uersariq; fortunæ imperium in artibus item hominum, ac facultatibus quibuscunq;.

Animaduertendum esse, Deum primam esse causam.

Atq; hæc quidem ipsa licet habere hunc se in modum intellegantur, tamen, si Christiani esse uolumus, pieq; etiam philosophari, non pauca ex ijs quoq; quæ fortunæ tribuuntur, Deo ipsi, diuinæq; beneficentiæ uideantur potius adscribenda. Nam & Theodosio Augusto satis parua manu pugnam cum Gotthis conferenti tempestas repente cœlo immissa opitulata est, tanta uentorum mole, à tergo suo in hostium oculos, atque acies, ut tela ab ijs ipsis emissa retorqueret, ictusq; eorum frustraretur, retrouersumq; terga uti darent cogeret. Vicit igitur Theodosius præsidio repentinæ, ut apparet, procellæ. At nihilominus consulenti Theodosio Ioannes, Anachorita respondit, uir utiq; Deo maxime ob sanctitatem acceptus, monuitq; triduo uniuerso cum exercitu ut ieiunaret, remq; diuinam Deo faceret, inde pugnam audacter capesseret, quoniam Deus esset pugnanti affuturus. Cuius rei, ut Horosius etiam testatur, Claudianus meminit inquiens.

» O' nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
» Aeolus armatas acies, cui militat æther,
» Et coniurati ueniunt ad classica uenti.

Circunsessa ab Neapolitanis acriter Siponto in Apulia, multos post obsidionem dies, erūpentibus Sipontinis, acriq; pugna conserta manu, Gargano è monte, coorta procella, tanto repente impetu, moleq; tonitruum ac fulgurum tanta in Neapolitanos ingruit, ut non ab ijs pauciores extincti fuerint, quàm gladio cæsi. Atqui Laurentius antistes maxime sanctus uir ante Sipōtinos admonuerat eruptiōis dieiq;, qua erumpendum esset, ieiunio prius ac rebus diuinis peractis, quoniam Gabriel genius à Deo in somnis ad ipsum missus ita monuisset. Vtriusq; igitur uictoriæ laus repentinam ob causam uidetur merito ad fortunam referenda, tamen & sanctorum uirorum monita, & pie facta sacrificia diuinam id testantur statuisse prouidentiam. Sed nec Deo caruere, summúq; numinis præsentia dirēpta illa inter Romanos, ac Pœnum Collinam ad portam certamina. Itaq; et assiduus ille continuusq; propitiæ fortunæ tenor, permultaq;, ijs similia, quæ ipsi in exemplum adduximus, Dei ipsius potius uidentur adscribenda uoluntati, ac beneficentiæ, quàm fortunæ temeritati. Sed his iam delibatis, ad fortunæ ipsius munera re..ditum faciamus.

Artem atq; scientiam cum fortuna non conuenire.

Ne autem quæ diuinæ maiestatis sunt, ijs admisceamus quæ profana illorum comparatione uideantur, ne'ue de fortuna disserētes, id est euētitijs de causis ad ea quæ prouidentiæ sunt, parum aut pie, aut prorsus impudenter delabamur, præterq; rei ipsius, qua de agitur naturam, sic habeto, neq; artem aut comitari fortunæ aut eam dirigere, neq; scientiam. Nam nec fortunatio præceptis constat, rationeq;, neq; qua uia bona comparetur fortuna, quisquam unquam didicit, neq; enim disciplina continetur, quādo omnino est ab intellectu, ac ratiocinatione diuersa. Itaq; neq; ab arte neq; à sciētia fortunati exsistunt, neq; humanæ aut artis, aut scientiæ præceptis, institutioné ue ab aliqua fortunæ fauor comparatur, sed naturæ tantum inhærendo commotionibus, quæ ab impetu excitentur. ut omittamus, qđ uel ad Deū, ut principem causam, omnia temperantem, uel ad cœlestes, ac supernas causas referri ea possint. Nam si, ut dictum est, materia non minus fortunæ subiecta fortasse est, quàm arti, quodq; utraq; suo quodam iure in eadem re uersetur, forma tamen utriq; omnino di-

uersa est. Etsi

uersa est. Etsi enim natura contendit ad finem, exercet'q; uires in hoc ipsum suas, quo id efficiat, in quod prospectat, in idem'q; fortuna et ipsa incumbit, hac tamen ex intentione, atq; conatu, neq; natura, neq; fortuna cum scientia coniungitur, aut prudentia, neq; eundem ex co uidentur magistratum gerere.

Fortunatos à natura institutos esse.

Est igitur proprium naturæ ipsius munus, sua opera, suo'q; magisterio eos ipsos qui fortunati futuri sunt, ita quidem ad illas ipsas commotiones suscitandas instituere, atq; ad sequendos impetus aptos reddere, atq; idoneos, ut nulla prudentia adhibita, pensitatione'q;, ac ratiocinatione prorsus nulla, sed quem natura excitauit impetum, illum tantum secuti, ea ipsi adipiscantur, ac sibi uindicent, propter quæ merito dicantur fortunati. Atq; hi quidem ab ipso statim initio quales futuri sint apparent, quæ'q; inter eos ipsos, alios'q; qui secus à natura instituti sunt, intercessura differentia sit ac uarietas. Perinde, ut qui aut cæsiis nascuntur oculis, aut nigellis, colore rufo aut mustelino, simis naribus aut acutis. Nanq;, alia ut prætereamus, qui proprie dicuntur artifices, ipsi in ijs quas exercent artibus sapere ab alijs iudicantur, econtrario fortunati in ea ipsa re aut parum existimantur, aut nihil penitus sapere, cuius gratia euadunt fortunati.

De iactus talorum similitudine.

Dices hoc ipse in loco, quæres sciscitabere, cur unde quamobrem? quærendo tamen, ac sciscitando aliud consequere nihil quàm quod talorum contingit in ludis. Erunt igitur tali ipsi bene dolati, tersi, leues, affabrefacti in quadram undiq;, nulla in eis labes, nullum inerit uitium. Iacit Marcus sine ullo malo dolo, nulla arte adhibita, ad primum statim iactum, quem exigit senarium, quippe quem felicem ad fortunationem talorum natura instituerit. At Lucio uel centies clamanti quaternarium, nunquam is iactus obueniet, natura parum adminiculantem. Itidem in suscipiendis negotijs, ijsdem'q; prosequendis, Quintilio cui natura suffragatur, statim, repente excitanter mouetur animus, illam unam ut ineat uiam, neq; omnino præter eam eius oculis alia obuersatur, uel si obuersetur, è uestigio quidem ea repudiata, festinanter illam ingressus, facillime, atq; è sententia in quod intendebat, illud assequitur, & tamen prudentissimorum in

dicio uirorum, in initio parum, aut rectum, aut tutum iter uisus est ingredi. At Valerio tanquam oscitanti, neq; ad id ipsum nato nullæ tales initio inerunt commotiones, quæ si inerint, ratione eas, ac penso adhibito moderari tentabit, diutiusq́; etiam secum ratiocinabitur, animoq́; id agitabit, quin amicos quoq;, & prudentes adhibebit in consilium uiros. Demum nullum omnino aliud secuturus est iter, q̃ quod ratio monstrabit, ac prudentia. Itaq; itinere in medio repelletur ab incepto, & ratione, & prudentia temperato. Vir & sanctus
" & maxime doctus Thomâs Aquinâs cum in hũc sermonem de for
" tuna scribens incidisset, inquit. Iactum tali è tribus constare, è tali
" ipsius constitutione, è collocatione eius in palma, atq; è iaciẽtis impulsu, eundem quoq; in modum sentiendum est de fortuna, ut scilicet q ea usurus est secunda, naturales illos habeat impetus, utq; excitetur ab illis, rapiaturq́;, eosq́; ut excitatus sequatur. Cui itaq; numerus ipse alludet, quem quærit, optatq́; prouenire de tali iactu probe constituti, sineq́; dolo malo, sine fraude, huic dicendum est ab euentu succedere, sin uero artem fraudem'ue, ueteratoriumq́; adhibebit quippiam in iaciendo, huic ars proderit, nequaquam alludet euentus. Atq; huius quidem iactus artificiosus erit, illius uero euentitius.

Oportere fortunatum naturæ ipsius impetum sequi.

Igitur, ut neq; tali proba constitutio, quadraturaq́; affabrefacta numerum ex se pariet aliquem, sine iactoris opera manuq́;, sic natura ipsa impetuosa irrationalisq́; fortunatum minime præstabit aliquẽ, præterquam sicui uoluntatem mouit impetus, eundem ipse pronus, paratusq́; insequatur, illiq́; uolens, ac libens obtemperet. Neq; enim nostro sine assensu, operaq́;, hac in parte, naturæ solum præsidium, unaq́; eius procuratio satis erit. Vt cum nauigantibus nobis secundæ in cassum aspirent auræ, ni uelum malo, antennisq́; suspensum tetenderimus, frustraq́; uindemia quamuis læta, et felix ab anni constitutione arridere nobis uidebitur, præterquam si manu è uitibus uuas legerimus, blandientemq́; autumnum artificio iuuerimus, atq; opera. Atq; hæc quidem non inepta fortasse fuit causa, cur à fortuna fortunatos potius dixerint, quàm à naturæ fauore bene natos. Quoniam autem nauigationem in similitudinẽ assumpsimus, aurarumq́; aspirationem, idem mihi uidetur homini usuuenire fortunato, quod uitioso, ac male compacto nauigio, quod quamuis parum probe ædificatum, si solertem tamen, ac peritum nactum fuerit gubernatorem,

multo & tutius, & cœlerius applicabit in portum, quàm bene instructa nauicula, cui ignauus gubernator præfuerit, parumq; nauticæ rei peritus. Habet enim fortunatus uir ipse secum naturam ducem, cuius industria multo, quàm artis cuiusuis, aut facultatis maior est, atq; felicior. Itaq; facile quidem fortuna præstat, quod ratio, aut nullo forte modo præstiterit, aut non absq; summo labore, ac difficultate.

Cur natura in hominibus fortunandis minime fuerit ordinata.

Nec temere autem, nec parum fortasse apte hoc præsertim loco quærendum uideatur, cur cum in generando homine ordini ubiq; natura inhæreat, consulatq; progressionibus exacta cum maturitate, in ijs uero, quæ ad fortunandum eum pertineant, ita nullum omnino retineat ordinem, ut lubrica prorsus appareat uel incomposita potius, & tanquam temeraria. An quia in progignendo homine etsi plures conueniunt causæ, ut cœli ipsius uis, ac solis, ut semini etiam humano uis insita, ut seminis è dorso, lumbisq; concalefactus defluxus, instillatioq;, atq; eiusdem receptio in utero, hæ tamen ipsæ & exploratæ sunt causæ, atq; ipsæ quidem per se. Cum tamen quæ causæ à fortuna ipsa dictæ sunt fortuitæ, quod illam ipsam constituant, & tanquam informent, sint omnino inordinatæ, incognitæ, inexploratæ, progressionesq; earum temerariæ, magis quàm constantes aut stabilitæ. Quocirca euentitiæ sunt, iureq; putantur casu contineri, quando humani seminis explorata uis est, notus item solis uigor, cœlestisq; agitationis. At uero etsi cognitum est, & comprobatum sponte sua ad imum grauiora decurrere, ignotum tamen est, atq; incompertum, accedente ad forum Volcatio, casurane sit tegula, quæ in caput eius prolapsa uulnus infligat. Quocirca quæ fortunam constituunt causæ, cum incertæ sint, inordinatæq;, nequaquam per se, uerũ ut accidentes habentur, atq; euentitiæ. Natura igitur cæteris in effectionibus, ministerijsq; suis euidentia utitur, causarumq; certitudine, At fortuitis in effectibus, incompertis potius, atq; ab euentu oblatis. Nam etsi causa manifesta est, & ipsa quidem per se exsistens, quod sorte sua ruant deorsum, quæ maxime grauia sunt corpora, licet itẽ eadem per se constet, notaq; sit causa, Volcatium ire ad mercatum, emendi obsonij gratia, euentitium tamen quiddam est, tegulæ repentinus lapsus, uulnerisq; inflictio.

Fortunæ causas esse interminatas.

Quo igitur paucioribus rem hanc transigamus, nihil est natura, ne intel lectus quidem ipse, determinatius, constitutiusq; quippe cum naturæ ipsius uires in unum omnes, & pariter conueniant, & in idem simul unà coeant, Fortuna uero, quod impetu exsistat naturæ, uel sit ipsa utiq; eius impetus, interminatisq; constet minimèq; definitis causis. Dices hic forsitan, itionem ad forum finitam quidem esse, planèq; exploratam, quasi uero non suscepti ad forum itineris possint esse cau sæ etiam multiplices, ut conueniendi hospitis, exigendæ pecuniæ, uen dendæ, aut emendæ annonæ, commutandi in lanam olei, conducen- di fossoris, comparandi aratri, mercandi asini, aut iumenti, edomitan di equi, aut frenandi, et eius generis, ac diuersi etiam plurimæ cau- sæ. Quo circa fortuitæ quidem causæ, multiplices ipsæ sunt, possibili- tate uidelicet sua (utar enim etsi uerbo neutiq; nouo, minus tamen usi tato) verum actione post ipsa ita terminantur, ut quod antea quidem interminatum erat, nostraq; in potestate situm, agendo tamen certum appareat, omninoq; exploratum. Itaq; quæ à fortuna proficiscuntur, à causis minime certis, constitutisq; proficiscuntur, ijsq; nullo mo- do per se exsistentibus. Quod si fortasse & ab exploratis, ac cogni- tis argumentabere, etiam proficisci, ita quidem censeto, finitas eas actu quidem, potestate uero minime terminatas, aut certas.

Fortunæ definitio.

Bene igitur, atq; ex ipsa ueri cognitione qui dixerunt fortunam nihil prorsus esse aliud, quàm inopinum, euentitiumq; causarum concur- sum quendam, atq; coitionem. Expressius autem, nec minus è re ipsa, qui naturam esse quandam, eamq; sine ratione, seu ipsius impetum quendam naturæ esse professi sunt. Quæ quoniam causa est, quarum ea rerum causa sit, antea quidem abunde explicatum est, bonorum scilicet uel adipiscendorum, uel admittendorum cuius ea imperio su- biecta sunt, hominumq; fortunandorum ijs ipsis è bonis, uel in mi- seriam conijciendorum.

Circa quos naturæ impetus fortuna uersetur.

Reliquum est, ut uideamus, qui nam illi naturæ sint impetus, q̇bus mo uẽdis, agitandisq; fortuna uersetur. Et uero, ni fallor, humani impe

Vide

non cohærent

tuitate potius ea, quæ rerum agendarum pernicies est quasi quædam. Non solicitari autem, nullaq; ante quàm agere incipias, neq; post in inter agendum cura premi, uel stupidi est hominis, uel maxime insolentis, uel penitus ignorantis naturam rerum humanarum, quam uis maxima interdum peritia, rerumq; plurimarum usus, atq; exercitatio securitatem etiam quãdam ingeneret in administrantium animis. Quibus è uitijs nascitur incuria illa, quæ merito suo, mater est neglegentiæ appellanda. Quin etiam hæc ipsa cura ubi nulla quidem affuerit, parit & stoliditatem & neglegentiam, addo & contemptum. Vbi uero maior fuerit quàm oportet, & quàm decet, aut de quibus minime par est, aut in quibus nihil necesse est negotijs, uitium ex se gignit curiositatis, quo qui laborant dicti sunt curiosi, odiosum sanè genus hominum. Etsi uitium hoc in inquirendis potius ijs uertitur, quæ ad se nihil, aut omnino parum spectent, aut multo minus conferant negotijs peragendis. Ast ubi cura ipsa mediocris quidem fuerit, diligentiam gignit illam, cuius est studium seruare in cunctis modum, ac mensuram, meminisse ordinis, ac temporis, rerum, personarum, negotiorum. Itaq; prisci illi (ut erant actionum humanarum, studiorumq; obseruantes) sicuti Curiæ indiderunt nomen, quod in ea ageretur de re publica, ibidemq; curarentur ciuilia negotia, ita quos diligentes esse cernerent, à magistratu traducentes appellauere Curiones, à maiore uidelicet rerum agendarum cogitatione, & cura. Ioãnes pater tuus Tristane Caraciole, ut erat ipse et grauis in omni actione, & diligens rerum administrator, hanc ipsam uirtutem affirmare non dubitabat, rerum omnium, ac maxime familiarium esse dispensatricem, eamq; uicem gerere in re domestica administrãda, quam sub imperatore, aut duce tribuni gererent, aut præfecti.

De Aestimatione.

Admodum autem uidendum est prudenti, æquabilem se uti præbeat æstimatorem tũ rerum, temporumq;, tum sui ipsius, & illorum præcipue, quibus cum negotium contrahit. Nam & in bene constitutis ciuitatibus magistratus quidã publici decreti sunt, æquandis ponderibus ac tenendis mensuris. Quid enim tam secundũ rectam rationem. quàm æqua æstimatio? Licet autem eiusmodi tẽperamento præditi iusti potius dici, quàm prudẽtes, populi etiã iudicio debeant, nec iustitia tamen esse potest absq; prudẽtia, nec prudentia sine iustitia. Secus eni summa esset malitia, quæ pestis amicitiarũ est maxima, humanæq; societatis, in rebus, negotijsq; quibusq; administrandis. Ad hæc nihil

tam prudentiæ consentaneum, quàm rerum negotiorumq; discriminatio, & temporum discretio, ac personarum.

De Discretione ac Delectione.

Sunt huic adiunctæ comites duæ, quarum alteri nomen hodie est Discretio, alteri Delectio. Ac discretio quidem ipsa uersatur in discernendo, ne uidelicet in agendo peccetur, dum quid agendũ, quid prætereundum sit, dijudicat, distinguitq; res, operas actiones, adhibetq; ordinẽ, discernens ipsa, ac consulens quid prius, quid posterius sit sequendũ quid lenius, aut seuerius, quid quadam cum temperatione, quasi prætereas, quid cum asseueratione & quasi pertinacia insistens contendas, atq; annitare. Itaq; uirtus hæc discerniculum est quasi quoddam temporum, operarũ, negotiorum, personarum, singula prius perpendens, post uero etiam discernens, inde quoq; expendens. Verum à discernendo appellata populariter ab illiteratis, magis quàm à doctis uiris est Discretio, potissima quidem prudentiæ ipsius pars, habet enim iudicium non modo uniuersim quidem per omnem actionem, perq; ea cuncta, quæ ad agendum pertinent, uerum etiam partes per singulas, ac minutissima etiam quæq;. Exclamare solebat Corelia, peritissimus rerum humanarum senex, præfuit enim sub Alphõso Rege Neapolitanæ ciuitati complures annos, exclamare inquam solebat, ubi quid uel ineptius gestum, uel intemperantius administratum intellegebat, aut confusius pertractatum, aut præter rei, personæ, temporis qualitatem, dignitatem, naturam. Prò dij boni quonã abijt Discretio? ubi ea gentium delitescit? Itaq; hoc uitio qui occupati sunt, maxime sunt, inordinati, incompositiq;, ignorantes illi quidem quid quoq; loco sit aut ordine aggrediundum, exsequendum, & quo etiam modo, ac uia tentandum, prosequẽdum, agitandum, ad finem deniq; perducendum. Siquidem indiscretio ipsa, maxima afferre impedimenta, plurimamq; confusionem est solita. Videtur igitur discretio ipsa idem esse, quod apud maiores nostros iudicium, Cuius munus quale sit innuit Horatius, cum ait, de Poëtica præcipiens,

» Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.

Cicero item cũ docet, qd quoq; loco sit in oratione collocandũ. Verũ hæc ipsa discretio habet actiõis totius, rerũq; omniũ, quæ ad agẽdũ uel ptinent, uel exiguntur, tanq̃ gubernaculũ, ac mẽsurã, nõ modo in discernẽdo, ac diiudicando, uerũ etiã in agendo, ut nõ minus de agendo sit solicita, q̃ etiã de iudicãdo. Itaq; qd inter eã intersit, ac iudiciũ, facile discernitis. At uero Delectio illa huius et soror, et socia idẽ ferè

ius exercet, atq; amplectitur munus, et in iudicãdo, et in agẽdo, hoc tamen differre inter se uidẽtur, ꝙ Delectio nõ distinguit ipsa quidẽ uerũ facta rerũ, ac temporũ distinctione, deligit, quod è duobus potius, q̃d è compluribus, ac multis potissimum uideatur, atq; ex utilibus quae utiliora, quae etiam maxime utilia, atq; è pulchris honestis'q; uel magis honesta, et pulchra, uel quae honestissima appareant, atq; pulcherrima. Habitus igitur hic ipse Discretio est, qui uero ornati sunt illo à maioribus nostris innominati, ni forte ut ab usu constantiae, ac temperantiae, & constantes et temperantes, sic appellare deligentes eos uelimus, perinde, ut ab usu diligentiae diligentes, & alteros illos ab usu, habituq; discernendi, discernentes. Etsi uulgus eos passim, ac per uulgate discretos appellat. Rursus qui secus affecti instituti'q; sunt, Indiscretos. Sed nos ijs tum inquirẽdis, tum explicandis nimij fortasse simus, & attigisse quaedam, quàm disseruisse, consultius fuerit.

De Experientibus & Peritis.

Horatius Flaccus Poëta non minus grauis uirtutum suasor, quàm argutus reprehensor uitiorũ, cum laudare homines exercitatos, uel hortari potius ad agendum cuperet.

" - Aut uirtus, inquit, nomen inane est,
" Aut decus & pretium recte feret experiens uir.

Quo dicto declarare nobis uoluit, exercitatissimos quosq;, maximos'q; in negotijs uersatos, omnium eos maxime esse prudẽtes, quod usus ipse faciat experientiam, haec ipsa experientia peritiam, imperitum autem neminem posse esse prudentem, quod adolescentia ipsa declarat. Itaq; apud Maronem, quanto cum supercilio dicitur,

" Experto credite. Quae sententia eũ quidem inter philosophos locũ obtinet, ut ijdem praecipiãt, quaq; in arte, quacunq; in facultate, fidem ei maximam adhibendam, qui in illa diutissime ac diligentissime uersatus fuerit, plurima'q; etiã expertus. Neq; enim alia ratiõe artes inuentae, ac cõstitutae sunt, ab experimentis enim enatae sunt institutiones, ac praecepta, eaq; lõgissima ab obseruatiõe sumpta. Itaq; multa q experti sunt, ijdem quoq; habẽtur periti, inde enim nomẽ ipsum est deductum. Qui uero aut parũ, aut nihil fere experti, imperiti, rudesq; (Nam & primae ipsae, ut ita dixerim, initiationes, quacunq; in arte ducuntur rudimenta) et illi quidẽ in admiratione sunt publice, priuatim'q; ciuiũ omniũ, hi ludibrio habentur, atq; contẽptui. Ipsi illi igitur periti sunt, quos nõ multo ante diximus uocatos ab antiquis iuris prudentes, q̃bus scilicet ab experto noti essent, atq; ab obserua

tione ritus patrij, leges, mores, consuetudines, quiq; memoria teneret, qua in causa, quoq; in negotio uel ancipiti, ac maxime dubio, uel oppido quàm difficili, quid à maioribus uel iudicatum esset, uel constitutum, uel publicæ etiã sancitum, unde qui huiusmodi facultati dãt operam, legum periti, ac iuris dicuntur, eaq; cognitio appellatur à doctis pariter, atq; indoctis peritia. Præterea quoniam exercenda ab arte hæc ipsa quoq; proficiscitur peritia, ex eo solertes dicti, dicta etiam solertia, & in quibus nulla esset artis peritia, inertes, imperitiaq; ipsa inertia. Atq; hæc ipsa uocabula ab arte primum, ut uidetis, traducta, post tralata sunt ad actiones, atq; ad agendi usum, qn etiam ad naturam, atq; ingeniũ. Nam & acri ingenio præditos, quiq; administrandis rebus aptiores sunt, magisq; appositi, solertes eos dixere. Contra hebeti ingenio, ac parum aptos, minimeq; ad agendũ idoneos, inertes. Quin etiam à similitudine manus exercentium, siue ab effodiendis agris (nanq; agricultura maximo quondam fuit in pretio) siue à cædenda materia fabrilia ad opificia, quod exercitatione ab ipsa manus ducere callum essent solitæ, in negotijs, artibusq; exercitatos dixere callidos, quodq; usu ab ipso occaluissent, dicta est etiam calliditas. Sed nescio quomodo paulatim ob malitiam, quod ad eam declinaret calliditas, haberi cœpta est uitio, magna etiam peritia, uicta mala cupiditate fiduciam gignit. Quidã etiam non ab arte magis, quàm ingenio ab ipso, insitaq; ab ui, animorumq; procliuitate toti propendent in fraudem, dolos, insidias, suppilationes, cuiusmodi Afri esse perhibentur. Ex eoq; tum ingenijs, tum moribus præditi eiusmodi, à gentis uitio Vafri uocitati. Ferunt tamen in parte Italiæ Vafrias fuisse oppidum, cuius incolæ quod uana essent fide, Vafros inde dictos. Erit autem uitium ipsum Vafritas. Verũ de ingenio post dicemus, deq; ingeniorũ applicationibus, atq; procliuitate. Quocirca ad experientes redeamus, atq; ad eum habitum, qui ut à continente continentia, sic ab experiente experientia nomen traxit. Ea prudenter gestorũ, recteq; administratorũ testimoniũ phibet. ab hoc igitur ipso habitu maxime laus ingeneratur, hominumq; admiratio, atq; econtrario uituperatio, itemq; contemptio. Quocirca recte atq; ex ipsa re est dictum ab Horatio, Experientem uirũ, quiq; agendo atq; administrando susceptis negotijs, tum publicis, tum priuatis, inceptisq; alijs, cũ dignitate, rectitudineq;, ac secundũ rationis ueræ præcepta, legemq; satisfecerit, illũ & decus, & pretiũ uirtutis ipsius secum ferre, quippe qui non ipse solum recte, ac prudenter egerit, sed alios quoq; ad eiusmodi laudem exemplo suo inuitauerit. Etenim in

agendo exemplum ipsum eam uim, id habet robur, quod in faciẽdo ars, atq; institutio, & ea ipsa, quæ ab artificibus uocata est norma. Nam etsi diuiniora sunt, quæ ratiocinando, disserendo, inuestigando, homines assecuti sunt, tamen sine actionibus constare humanum genus omnino nequeat. Et hodie quoq; nationes non paucæ usu, consuetudine, actionibus'q; atq; illarum obseruatione, atq; continuatione magis constant, quàm aut prospicientia rerum futurarum, aut præteritarum memoria, sine scriptis, senatus'ue consultis, aut plebiscitis, aut Augustorum sanctionibus, ac tabulis.

De Ingenio.

Ingenium, de quo paulo ante pauca quædam attigi, cum sit uis & aptitudo quædam, habilitas'q; animantibus à natura indita, atq; homini præsertim, uidetur nomen eius ex eo ductum, quod sit natura ab ipsa nobis ingenitum. Quanquam autem & loci, & agri, & terræ, & regionis ingenium apud rerum scriptores persæpe legimus, proprie tamen de homine dicitur ob excellentiam intellegendi, aptitudinem'q; ad artes diuersas, diuersa'q; uitæ munera, actiones'q; multimodas. Itaq; quibus in hominibus mens ipsa uiget, inest'q; naturale acumen ad rerum naturas cognoscendas, atq; ad uitæ tum publicæ, tum priuatæ administrationem, eos ingeniosos dicimus. Cæterum q & acute, & cito & solerter, & præter alios, disciplinarum, cognitionum'q; præcepta facile hauriunt, penetrant'q; insita à ui, ad secreta tum naturæ, tum artium, facultatum'q;, hi sunt quos summum in modum admiramur, & quorum suspicimus intellegentiam, dono'q; deorum immortaliũ concessum id eis magna cum excellentia arbitramur. Ingenio autem mens hoc interest, quod mens diuina res est, cœlitus'q; delapsa. Ingenium uero exsistit ex ipsa corporis, animæ'q; cõpage, & constitutione, atq; ex humorum è quibus constamus temperatura. Ii enim plurimum ingenio ualent, quorum in corde, ac sanguine maior inest, atq; agilior calor. Torpescunt illi contra, qbus sanguis frigore concretus subest, abunde'q; multum lentescit. Ad hæc ingenium præ se quidem fert insitam tantum à natura siue uim, propensionem'q;, siue aptitudinem, atq; habilitatem. Mens uero imperiũ, magistratum'q; quasi quendam ad omnem prorsus iudicationem, rectitudinem, ueritatem, distinctionem. Propter diuersitatem igitur concretionis corporeæ, quæ commistio infinita quidem est, nec omnino cõprehensibilis, eueniunt tam multæ uarietates, applicationes'q; ingenio

rum, multiplices ipsæ adeo, ut quot homines, tot etiam sint ingenia: Quo fit ut in utenda etiam prudentia, ingenium quisq; sequatur suum. Celeritatem Cæsar, cunctationẽ Fabius, astum & calliditatẽ Annibal, tarditatem ac taciturnitatem Pompeius, animi generositatem Pyrrhus, contentionem Alexander, simplicitatem & lenitatem Marcus Antoninus Augustus, seueritatem Cato, duritiam ac tolerantiã Caius Marius. Ac ne uetusta semper nobis sint in ore, In Ferdinãdo Rege Neapolitano, cuius nos secretiora negotia decennio administrauimus, cuius etiam in imperio nescias plus'ne bona fortuna ualuerit, an prudentia, inerat summa taciturnitas, incredibilis rei cuiusq; simulatio, ac dissimulatio. Contra in Alphonso eius filio apertissima simplicitas, nuda etiam ueritas. Eodem tempore moderabatur Florentinam rem publicam Laurentius Medicorum è familia, cuius sermo admodum erat latebrosus, latebrosiora consilia, Mediolanensibus imperitabat Ludouicus Sfortia, huic autem ipsi dominabatur ambitio, atq; honoris cupiditas liuore infecta. Florebat rebus in bellicis Fridericus Vrbinâs, nemo ex omni parte agendas ad res eo pensitatior erat, atq; circunspectior, Xysto Pontifice Maximo uix alius fidentior, audentior'q;, Innocentio qui ei successit, quis diffidentior? Alexandro Sexto nemo unquam cupientior, atq; auidior. Itaq; ingenium, ut dici solet, ad mercatum quisq; fert suũ. Ac tametsi nemo prudens, nisi bonus idem & probatus uir, ne nos hac in parte à populari discedamus opinione, qui suo tempore prudentes sunt habiti, ingenium quisq; secutus est suum. Verũtamen prudẽtia ipsa rectam ubiq; sequitur rationem, ad quam se qui accommodauerit, næ ille mihi nõ recte non fecisse uidebitur, siue hilaritatem Lælij familiarem adhibuerit secum in consilium, siue amici eius Scipionis ambitionẽ, ac tristitiam, siue popularitatem Augusti, aut Socratis Ironiam.

De Industria.

Marcus Cicero non eloquentiæ modo, uerum etiam Romanæ Philosophiæ pater gloriatur apud filium, & iure quidem gloriatur qđ industria sua sæpe multis profuerit, ipsa'q; industria nostris ab hominibus ore quasi pleno laudatur, et q̃ ea sunt præditi, ut industrij commendantur. Quæ tamẽ ea sit, & qualis, parum constat, neq; in hunc usq; diem est à quoquã traditum. Quãobrẽ huic ipsi, qui est de prudentia tractatui & hoc quoq; accedat, de ea uti prodamus, quæ sit nostra sententia. Ipsa uero ab ingenio hoc differt, qđ ingeniũ aut acutum dicimus, aut obtusum, neutiq; autẽ industriã, sed aut magnã, aut paruã, etsi ingeniũ quoq; & magnũ & paruũ dicimus. Ad hæc

mercatores & agricolas industrios potius dicimus, q̃ ingeniosos & Poëtas, Oratores, Philosophos, ingeniosos magis q̃ industrios. Ingenium quoq; ipsum omnino inest à natura, Industria uero ab exercitatione magis, atq; ab usu. Quid quod hæc ipsa absq; ingenij bonitate uix est aliqua, at ingeniosi permulti absq; industria, aut ea omnino exigua. Præterea ingeniũ in alijs est uersutum, et callidum, in alijs lene, mansuetum, aut contra asperum, atq; insolens. Quis unq̃ dixit aut lenem, aut asperam, aut uersutam, simplicẽ'ue industriã? Inest ingenio celeritas, aut tarditas, Industriæ expeditio potius, & explicatio quasi quædã, in rebus impeditis, atq; perplexis, in inopia, in necessitatibus, in difficultatibus, ut uideatur industria quidẽ ab ingenio ortum ducere, cæterum agendo, atq; experiendo, ali, formari, perfici, nã ingeniũ si defuerit, qui nã potest esse industriæ locus? Rursus exercitatio nisi accesserit, atq; usus, ea quoq; nulla est futura. Quo'circa nomen ipsum uidetur ab induendo ductum, ut sit quidã quasi habitus usu, exercitatione'q; ab ipsa, ac diu, multum'q; experiendo inductus. Nã pueros passim igeniosos dicimus, nequaquã uero industrios, at uiros & senes dicimus. Habent igitur hoc industrij, ut quod ingenio præstent, solerter atq; acute excogitent, quod autẽ sint in negotijs uersati, ac plura experti adinueniunt ex se etiam non pauca, & in ipsis negotijs cum facile sese, tum multa etiam arte explicant. Atq; in qbus alij laborant, ipsi haud difficulter res suas expediũt, nouas etiam uias reperiunt, nouum modum ad negotia transigenda, ad emolumenta comparanda, ad insolitos etiam quæstus faciendos, qbus è rebus efficitur, ut industrij habeantur maxime prudentes, quod & solertissime intellegant, & quid expediat, & qua etiã ratione, qđ expedire ducunt, sit illud consequendum. Atq; ut callidorum, astutorum'q; consortia, et societates fugiuntur, sic contra delectat industriorum, et pleriq; ad illorum se exempla libenter adiungunt, similes'q; eorum esse student, quorum profecto hominum maxime amica & peculiaris est solertia, atq; ea, quæ extemporalitas dicitur, diuturnũ eni ob usum ilico, atq; ex tempore, et capiunt consilia, et qd expediat uident, & pro loco, atq; occasione, modum statim, aut remedia adhibent. Horũ etiam assidua comes est uigilantia, cum sit industria ipsa minime desidiosa. Itaq; uis hæc & natura ab ipsa excita, et usu, exercitatione'q; confirmata in rebus hominũ plurimũ confert, maxima'q; est laus eius, atq; commendatio. Cũ eius sit propriũ, excogitare, atq; adinuenire in susceptis aut suscipiẽdis negotijs uiã, modũ, ordinẽ ad ea explicanda, atq; pficienda, atq; ubi alij caligant, aut intepescunt, ipsi

& incalescunt abūde, & perspiciunt acute, & expliciunt se facile, et nouas ineunt rationes, nouaq; consilia, nouas etiam uias ingrediuntur siue mercibus alienandis, siue lucris excogitandis, siue damnis resarciendis, siue è difficultatibus se ipsis explicandis, ac liberandis, ut fortasse non imperite eam nos in Vrania nostra ex egestate, ac labore prognatam dixerimus, quoniam industrij homines et laborāt ipsi, exercenturq; permultum, & ad ea contendunt assequenda, quorum egere sese sentiant. Habetis igitur quid ipse de industria censeā, quā autem ea sit prudētiæ dedita, quamq; illius admiratrix, nedū studiosa, facile quidem noscitis. Quamobrem ad alia transeamus,

De Vigilantia.

Est curæ illi ac solicitudini, de qua non multo ante dixi coniuncta uigilantia, à uigiliū munere, & officio dicta, atq; ut diligentiæ, neglegentia, incuria uero curæ, sic huic dormitatio aduersatur, ac somnulentia, profectum è pigritia, atq; ignauia uitiū. Differt à cura qđ autē cura quidē præcedit, uigilantia subsequitur, utq; illius est curare, ita huius est inuigilare, ne capiatur, ne'ue dū opus est factu, relentescat atq; abdormiat. A diligentia uero, quod hæc agit, totaq; uersatur in actiōe, At illa obseruat, notat, animaduertit. Atq; ut dormitantibus, ac somnulentis tempus frustra labitur, suntq; ipsi fraudibus expositi, atq; insidijs, sic econtrario uigilantibus nullum frustra labitur tem=pus, nullumq; momentum relinquitur inanimaduersum. Minime autem dant ipsi locum, aut deceptioni, insidijs'ue, aut otio, ac desidiæ, frustraq; elabēdo tempori. Videtur autem copiarum duces, rerumq; administratores bellicarum in hac ipsa uigilantia, totius exercitus, suamq; ipsorū securitatem, nocturno præsertim tempore collocare. Nā à uigilando et uigiles dicti, & uigiliæ. In uigilū enim custodia, diligentia, & fide salus sita est, atq; incolumitas exercitus, dum cæteri corpora sub tabernaculis curant. Oportetq; imperatorē ipsum maxime uigilantem esse.

De Maturitate.

Omnino autem prudentis est proprium, naturam rerum imitari, quæ frugum ipsarum fructus ad maturitatem tempore suo perducit, quippe qui nisi maturi fuerint, nullo modo probātur. Quid enim acer=bum suaue? Eiusmodi itaq; intempestiuæ sunt actiones, ac perquā festinata negotia, ijdē etiā fructus ubi nimio plus ematuruerint, perputrescūt. Quo fit, ut maior, atq; lāguidior tarditas actiones quoq; ipsas corrumpat, reddatq; aut parū eas utiles, aut prorsus inefficaces. Quocirca qui gerendis, atq; administrandis rebus tempus idoneum ser=

uant, qui

est dicta, quando quo magis assidua est, eo sæpius benignum sortitur euentum, efficiaturq; per singulas frequentationes, ac gradatim melior. Bona autem tum plura tum magis frequẽtata, quis nesciat, præponenda esse paucioribus? Non igitur mirum, fortuiti si plus in altera, longe uero in altera boni amplius.

De genere duplici fortunatorum.

Eadem hac uia duplex genus fortunatorum constituunt, eorum quidẽ unum, qui diuino agantur ductu, sentiantq; consistentis illius fauorem assiduum, illorum uero alterum, quorum institutrix sit fortuna penitus euentitia, ipsaq; parum frequens & rara. Ac prioris quidem generis exemplum est, Eutychus Sabinus, qui pransus cum esset, conuersus ad uxorem, nescio quid, inquit, boni mihi præsagit animus. itaq; è uestigio iturus Romam sum, cras ad te rediturus. Iter ingressus cum de æstu deq; itinere fessus sub arborẽ consedisset, animaduertit uetus ædificium, quod erat secundum uiam, paulo ante corruisse, factusq; ruinæ propior, in scriniolum incidit argento grauidum. Idẽ cum uidisset in somnis gallinaceum scalpuriẽtem solum, atq; inde rostro haurientem triticum, experrectus cum esset, ac somni memor sibiq; bene auspicans ad uillam contendit, & quo loco uidisset dormiens scalpurientem gallum, ibidem cœpit fodere, nec multum operæ in effodiendo adhibuit, ecce concrepuit olla numorum plena. Item cum audiret à præcone uenalem fieri uineam, statim pupugit animum spes quædam inopina futuri inde multis cum emolumentis boni. emit ea spe, atq; instinctu ductus, cumq; decreuisset in ea colũbarium ædificare, effodiendis fundamentis præluxit repente eius oculis aurea Veneris, & Charitum tabella. In olei quoq; utilitate ad forum cum accessisset, nemine de oleo emendo tunc solicito, cæteris aspernantibus, commouit eum de subito appetitus qdã repente quidem excitus, qui emptionem utilem futuram promitteret. Emit igitur, mercatoribus qui aderant, propositum eius irridẽtibus. Insequenti anno nullus fuit ex oliuis prouentus, tertio & quarto siccitas, æstus, uredines, bruchi quoq; frondibus, ramusculisq; fecere iniuriam. Quinto igitur anno, tantum lucri obuenit illi ex oleo, ut decuplo etiam uẽdiderit. Iter etiam Romam faciens obuium habuit in uia adolescentulũ Hetruscum, qui patris iram fugerat. Percunctatus igitur et itineris causam, & pueri solitudinem, quem egregia esse indole uidebat & sermone ingenuo, perculit illico eius animũ cupiditas collocandæ filiolæ,

adducit igitur illum ad se multis cohortatus, bonũ ut haberet animũ, indéq; uxori commendat. Nec multos post dies, quod adolescentuli mores mirificam prae se ferebant ingenuitatem, egregiamq; animi indolem, spemq; in dies maiorem quanquam inuitis cognatis, atq; affinibus despondit ei filiolam. Annus nec abijt, cum patre quiq; illi erãt de pestilentia extinctis fratribus, paternis, atq; auitis bonis haeres adolescens ipse successit, fuitq; patrimonium amplum admodum, atq; magnificum. Vides Sabinum hunc Eutychum plura in dies fortuna aggerente, praesagientem ubiq; bene sibi atq; è sententia, perinde, ac numine commonefaciente aliquo, morem illi gerere, primóq; iter Romam suscepisse, secundo uineam sibi comparasse, praesagiente animo secundos successus. Tertio emisse oleum, eodem stimulante appetitu, Quarto fugitiuum puerum asciuisse in generum utile id honoratumq; futurum pollicente instinctu, quem authorem & ducem ubiq; secutus est posterioris generis est illud, Mamercus Capretanus piscator apprime pauper, ut ferè pleriq; omnes sunt piscatores, de more ingressus mane cymbam id agebat, ut de piscatu sibi familiaeq; obsonium compararet, & panem, Cum iecisset rete in altum, indéq; illud postilena ad litus traheret, halga grauidum subduxit, iratusq; halgam in litus cum proijceret, capsulam aureorum plenam cum halga eiectam in arenam fregit, domumq; ex paupere diues redijt. Nihil non hic fortuitum, impetus omnino nullus, praesagium nullum, appetendis ea è piscatione lucris thesaurisue titillatio alia prorsus nulla, praeterquam capiendorũ in coenam pisciũ, atq; emendi panis.

Quae differentia inter diuinam, euentitiamq; fortunam.

Diuina igitur euentitiaq; fortuna, bona utraq; agnominata magnopere inter se differunt, quando appetitio illa quasi diuinitus excita, ubiq; dux est eius, atq; commonitrix qui diuinae fortunationis exsistit è genere. Illum autem alterum, aut uix, aut rarenter admodum uel excitat, uel monefacit. Ad haec fortunatior ille, quiq; uideatur Deo carior, electionem quasi quandam adhibet sequendi eius, atq; agendi, quod animus ipse praesagus, ac praesentiens representat. Hic uero alter multo quidem sese habet secus. In ea nanq; fortunae raritate aut nullus eum excitat impetus, nullóq; ipse instinctu ducitur, aut nulla inceptis, ac gressibus eius accedit electio & siqua forte accesserit, uiam hanc principio ingressus ipse in aliam mox inscius, ignoransq; delabitur. Quócirca fortunatus ille cui assiduum

fere adest diuinæ illius fortunæ suffragium, lumenq; naturalis illi fauor accendit in tenebris, impetum sequitur, & quo instinctus ipse eum ducat, illo, seq; actionesq; suas dirigit, totumq; ad illum se componit, nullo consilio, nulla penitus ratiõe adhibita, interrogatusq; ipse, uti iam diximus, quid'nam aliud afferat causæ? quàm quod illud sequatur ipsum, quod impetus simul animusq; dictauerit? Ipsa uero appetendi excitatio, primaq; commotio cum insit à natura, quippe quæ in bonum ubiq; & ipsa feratur, & hominem etiam eò trahat, non nisi diuino potest de beneficio contingere. Quippe cum eiusmodi ipsa sit, ea ut concupiscat, quibus opus sit, & quo tempore oporteat, quoq; etiam modo. Etenim excitatio ipsa, atq; appetitio futura est pro naturæ ipsius aptitudine, atq; institutione, supremo illo numine, ut nostri etiam Theologi sentiunt, eam mouente.

De Fortunatis, qui sunt rudi, & crasso ingenio.

Nec mirum igitur, nec à rei natura alienum est, rudiori quosdam ingenio præditos, minusq; ad ratiocinandũ accommodatos, quorum etiã animus quædã insita est simplicitas, crassitudoq; quasi quædã et ad inueniendum, et ad iudicandum, naturæ commotiones has magis sequi, illisq; obtemperãtiores esse, quã qui acutiori sint ingenio, captuq; magis perspicaci. Quibus idem usuuenit, ut A. COLOTIVS noster dicere solet, qđ ijs qui oculis capti sunt. Hi enim propter aut amissam, aut nõ concessam lucem, memoria sunt maiore, magisq; tenaci, et ualida. Itidẽ qbus acumen deest ingenij ad ratiocinandũ, defectus ipse opitulatur, magisq;, ac magis adiuuat, eoq; impellit, naturæ ut parentem sequantur instinctum, obtemperentq; excitanti, atq; admonenti utilia, & commoda, ut quod in parte illa intellegendi, contemplandiq; ademptum illis est, id repensetur, ac suppleatur in gerendo naturæ more, eiusq; admonitionibus audiendis. Relictis enim ciuilibus negotijs, exterioribusq; actionibus, quibus nullo modo apti sunt, quasq; natura parum eis concessit, qui insiti sunt eis instinctus, quæq; interiores commotiones, illas secuti, naturæ tantum sese accommodant, nutuiq; eius præstò sunt, quæ quidem ipsa diuino à numine temperetur, illiusq; regatur imperio. Neque enim non sapientissime etiam dictum est à maximis, ac sapiẽtissimis uiris, rationem ipsam, qua se mouet, agitq;, rationem quidem esse, qua uero summo mouetur à numine, tum uero naturam eam esse, nõ autem rationem.

Defenſio fortunæ ac naturæ aduerſus earum accuſatores.

Hæc habui de fortuna, diſſerenda quæ ducerem, quàm, ut ſcis, ſunt qui nullam eſſe omnino uelint, contra qui omnipotentem ſtatuant, huma náq; omnia, nutu eius, imperióq; agitari ex'q; eo proſperáq;, atq; ad uerſa ad eam cuncta referenda. Hinc igitur tot in eam ab inconſy= deratis, hominibus doctis, indoctisq;, probis pariter, atq; improbis ac cuſationes, totq; etiam maledicta iactantur, quod ſcilicet intempe- rantes plerunq;, ac peruerſos extollat, deijciat moderatos, quiq; di- gni externis, hoc eſt fortunæ ipſius bonis merito uideantur. Nec ui- dent eandem ſiue accuſationem, ſiue notam naturæ ipſi, Deóq; omni um moderatori poſſe inuri, déq; corporis etiã, atq; animi bonis, quod eorum quoq; parum iuſta, minimeq; æqualis diſtributio ſit, queri eadem uia, rationeq; non minus etiam honeſte liceat, quàm de for= tuitis. Eſt profecto & naturale, & eximium corporis bonum, tum forma, tum ſanitas, idoneum ſanè alterum donum, ornamentum'q; et probarum fœminarum & eorum, qui regnis, aut publicis admini= ſtrationibus ſunt præpoſiti. Quæ enim honeſtior poteſt eſſe ſocietas, atq; coniunctio, quàm probitatis inter ſe, ac pulchritudinis? quàm etiã maieſtatis? Egregia enim, ac digna & uiro, & muliere ſpecies, & probitati addit dignitatem, etiam ſummã, & reuerentiam non exi= guam maieſtati. Erat in Carolo Octauo Gallorum Rege, qui regnũ nuper occupauit Neapolitanum, fœda quædam oris, corporis uero to tius deformis effigies, ſumma tamen animi fortitudo, digna Rege li- beralitas, humanitas uel etiã popularis. Quodſi artifex quaſi quæ- dam corporis natura eſſet accuſanda, uel ab ipſis etiã unguiculis ad capillum uſq;, nihil eſſet, quod non in eiuſmodi ſtatus conſtitutione iure ſuo uel etiam increpanter accuſaretur, cum præſertim horis pe= nè ſingulis obuerſentur nobis ante oculos etiã mendici homines, quos natura compoſitiſſima uniuerſi corporis conformauerit & ſtatura, et habitu. Summas ipſe, ac ſingulareis matronas, principesq; noui fœ- minas, quas aduerſum natura uidetur fuiſſe iniquior, quæ & Lai- das & Thaidas notiſſima ſcorta exactæ pulchritudinis dote, ſummo etiam niſu, maximo adhibito artificio decorauerit. Tanti deniq; ar- tificij quis uſus? niſi proſtitutio, atq; infamis quæſtus? indigna, uel ne faria potius tam multi ſtudij, atq; ſedulitatis merces. Tu te met noſti Paulum Boſinatem. eo'ne in puero, adoleſcente uiro deſyderatum eſt aliquid uel ad aſpectus dignitatem, uel ad corporis totius ſpeciem? Quonam tanta hæc oris pulchritudo, ſtatusq; totius in homine etiam

Carolus deformis corpore

ignauo, &

ignauo, & degenerante? Sed de forma hactenus. De sanitate, quod erat donum alterum, aliquid, ut bona corporis reliqua prætereamus. Robur ipsum commendatur in fossore, mediastino, palæstrita. Bene habet, congruit artifici, atq; exercitationi. Sanitas uero quibus magis necessaria, quàm publicarum rerũ temperatoribus, quiq; uniuersæ ciuitatis curam gerunt? Horum autem non'ne pleriq; membrorum, aut ferè complurium, aut ex his alicuius imbecillitate, aut corporis uniuersi mala tenentur habitudine? publicis ut muneribus, propter langorem, atq; imbecillitatem, nullo modo satis esse queant. Alius ob stomachi languet debilitatem, alius distillationibus capitis, aut lateris, aut pedum dolore laborat alius, cum lenones, ganeones, fartores, popinonesq; uideamus amicitiam, & tanquam fœdus cum sanitate, ac membrorum ualentia iniisse. Hæc cum uides, animaduertis, considyeras, cur non relicta fortuna, in naturam ipse inueheris? atq; ut iniusti, iniuriiq; damnandam, ream apud Deum agis? An quia uereris, ne Deus ipse inclamans, obiurgans, ira percitus uociferetur, Cur ó cur me accusas ignaue homuntio? Quid tu, quá'nam de causa insolescis homulle undiq; necessitudinibus circumuente, ac de squalore obsite? Qua re, quo iure, quibus meritis Deum non sinis libere, tuaq; absq; increpitatione officium suum facere? Quin sorte tua contentus obticescis? cessasq; authori uelle rerum omnium præscribere? quando te ipsum, tuaq; prorsus ignoras omnia. Itaq; quocunq; te uerteris in distribuendis iis, quæ corporis sunt bonis, habes & cuius, & qua in re accusare naturam possis, etsi immerito eius, pro humana tamen improbitate, atq; ignorantia, uel rectius ingratitudine. Mihi in summa uitæ parsimonia obrepere cœpit surditas. at seruulis meis non inest modo auditus bonus, uerum summa etiã loquacitas, atq; ingluuies. Quid mirum autem usuueniere hominibus, quod & teris usuuenit, & regionibus.

" India nigrum Fert Ebenum. solis est thurea uirga Sabæis.

Vt est apud Maronem. Solam intuere Italiam. nihil ea uariantius esse intelleges. Siticulosa est Apulia, Cereris tamen horreum. Marsi, Peligniq; male arant. iidem abunde pascuntur. Armentosa Lucania. Oliuosi Salentini. Ligures maxime laboriosi & parci ob soli tenuitatem. Maritima Hetruriæ ora pestilentissima & non parum fœcunda, reliqua cœlo est maxime salubri, ac solo uario. Abundat Vmbria oppidis, montibus, fluminibus. eadem hieme maiorem in modum squalescit imbribus, niuibus, frigoribus. Tera Campania opulenta, & ferax, cœloq; admodum clementi, uexatur tamen assi-

duis pene motibus, austris'q; perniciosis. Brutioru tera pecore, uino, fruge, materia etiam felix, homine minus industrio. Itaq; eadem est hominum quæ & terarum diuersitas, ac uariantia. Vix quicquam in natura rerum ita simile, ut non multum etiam differat, bene si in spiciatur. Neq; natura ipsa ad profectum peruenire, atq; ad rerum consumationem potest, nisi per diuersitatem multam, plurimam'q; uarietatem. Inspice hominis, si placet, corpus, corporis'q; ipsius constitutionem, ac compaginem, neruos, ossa, lacertos, cutem, spirituales uenas, carnem, chartilaginem, humores etiam ipsos, bilem tum atram, tum rubram, pituitam, sanguinem, ipsa quoq; membra, caput, ceruicem, humeros, dorsum, costas, clunes, femora, genua, cum'q; ipsis cruribus pedes. Item quæ intestina sunt, pulmones, guttura, iecinora, transuersum sæptum, lienem, cor, uesicam, uentriculum, testiculos, cerebrum. Quid uel diuersius his, uel uariantius? ex ipsis tamen animal & constituitur, & perficitur. Ipsum quoq; animal, quo in uniuersum absoluatur, plures easdemq; multiplices complectitur species, terestreis, aquaticas, aerias, & horum omnium quanta sit, iam apparet cum uarietate diuersitas. Suspice cœlum, atq; inde & aquas despecta, & teras, an quicquam in his tibi non magnopere etiam dissimile uideatur? Homo ipse perinde, ut annus in diem e die perficitur, pueritia, adolescentia, iuuenta, senectute. Itaq; naturæ propria est uarietas, nec populi, ciuitates'q; constare sibi possent, nisi homines ipsos natura tum diuersis, tum etiam uariantibus constituisset appetitionibus, atq; affectibus, accommodasset'q; illos diuersas ad artes, dissimileis'q; actiones, ac negotia, ut necesse fuerit in ijs quosdam rudi adeo e materia condolasse, ut delectentur etiã concinnandis corijs, atq; emundandis cloacis, sordidioribus'q; et opificijs. An non corpus hoc nostrum ita compactum est, & fabricatum, ut quemadmodum instrumenta ad spirandum habet, uidendum, audiendum, odores, ac sapores percipiendum, sic etiam habeat ad mandendũ, concoquendum'q; quæ sint ad alendum necessaria, pariter'q; ad eijciendum excrementa, succos'q; inutileis, ac putrescenteis? Sapientissime igitur Paulus & hortatur unumquenq;, & commonefacit, contentus ut sit ea uocatione, qua ipse quidem uocatus est. Igitur ut bona etiam prætereamus alia corporis, qualia sunt uidendi acumen, atq; audiendi, pedum pernicitas, ac dexteritas manuum, ueniamus ad animi bona, quibus dispensandis maior fortasse cernatur indignitas, quàm in ipsius fortunæ bonis. Ac, ne uetusta semper afferantur in exemplum, quos prouentus omnis generis improbitatis, ac uitiorum

habuere liberi, nepotesq́; eorum, qui paucis ante annis rerum publicarum Italiæ administrationibus præfecti erant, aut ipsis etiam populis dominati summa cum æquitate, ac moderantia? Eadem tempestate uidere licuit rusticanorum hominum nedũ plebeiorum liberos floruisse, alios in re bellica, alios in sacerdotijs, hos in rerum naturæ cognitione, illos in legum ciuilium peritia, aut curandis ægritudinibus. Vt quibus maxime necessaria bonarum fuerit artium cognitio, ijs prorsus defuerit, in illis excelluerit, quibus satis fuerat maiorum suorũ esse similes uel texendis lanis, uel colendis agris aut alijs, atq; alijs minoribus artibus exercendis. Marcus Tullius Cicero ornamento fuit patri, ac maioribus, Publiusq́; item Scipio. horum utriq; melius fortasse consultum fuisset, liberis si caruissent. Abstinebo à referendis Heliogabalo & Galieno, ac similibus monstris. Illustrauit Mantuam seu uiatoris seu figuli filius Virgilius Maro. Cur natura non hoc ipsum concessit primario ciuium alicui? Cur Atheniensis ciuis eiusq́; nequaquam eximij filio tantum Socrati concessit, ut sapientissimus suo tempore in eruditissima illa Græcia fuerit iudicatus. Crœsi autem maximi Regis filio locutionem ademerit? Ac ne in re maxime clara longiores simus, aut multo fortasse iniquiorem, ut iniqui ipsi iudices simus, aut nullo modo magis æquam inuenies bonorum animi naturam distributricem, quàm fortunam suorum. Verũ trahunt nos, uel rapiunt ad se potius nó modo pelliciunt uoluptates, blandissime, ut Cicero ait, sensuum nostrorum dominæ. Non inuidemus scientibus multa, sed possidentibus. Quotus est obsecro, qui ducatur sciendi tantum uoluptate? at quis est contra qui non illis trahatur uoluptatibus, quas copia pariat, fortuitorumq́; bonorum opulentia? Hinc itaq; tot, ut dixi, accusationes, ac maledicta, quod uoluptatibus capti, id in dispensandis à fortuna bonis reprehendimus, quod aut forte magis, aut certe nullo pacto minus reprehendi in distribuendis animorum dotibus natura possit. Sunt enim fortunæ bona, instrumenta atq; illecebræ uoluptatum, & quædam, ut ita dixerim, retia, quibus perinde, ut à piscatoribus pisces, aut ab aucupibus uolucres, ipsi à uoluptatibus capiamur. Nec profecto te ipsum puto oblitum Terentiani illius, omnes sibi malle. At dices, animi bona acquiruntur laborando, & fortunæ quoq; bona cum labore item, ac periculis militando, nauigando, peregre proficiscendo. At inuenti sunt, quibus absq; labore contigerint ullo diuitiæ, ut hæreditates, patrimoniaq́;. Tribuatur humanis id potius legibus, institutisq́; quàm fortunæ temeritati, aut libidini. Fuere qui thesauros ex in

ſperato inuenerint. Fuere et qui ſine præceptoribus, inſtitutoribusq́;, bonitate quadam naturæ, & boni euaſerint uiri, & maxime etiam eruditi. Et quanquam ingratitudo hominum, ac ſuperbia tum ſumma eſt, tum effrena etiam cupiditas, ꝗbus tamen in ſcholis concluſum hoc, atq; conceſſum eſt, quia bonus quis, ac modeſtus ſit, idcirco diues idem, opulentusq́; ut eſſe debeat? aut quia maxime doctus, ideo maximum quenq; gerere magiſtratum? ac ſi uni omnia debeantur. Sunt tamen etiam quidam comperti, in quos & corporis, & animi, & fortunæ bona uberrimo quaſi quodam è fonte ſimul confluxerint. Plures fortaſſe inuenti, quibus omnia ſimul, aut defuere, aut affuere uel maxime etiam imperfecta, & manca. Sed nos dum eos incuſamus, qui tum aduerſus fortunam, tum etiam naturam ipſam, rerum omnium parentem iniurij ſunt, id uideamus, ne accuſari ab illis iure & ipſi poſſimus, quod fortunæ uideamur quodammodo ſuſcepiſſe patrocinium. quamobrem ad id quod reliquum eſt, & in quod principe ipſi loco intendimus, progrediamur, nequid omnino à nobis prætermiſſum uideatur, quod ſpectare ad fortunam, qua de re dicendum ſuſcepimus, uel ipſi intellegamus, uel ab alijs forte deſyderetur, idq́; tertius qui ſequitur liber explicabit.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD A. COLOTIVM BASSVM DE FORTVNA LIBER TERTIVS.

MARIANVS EREMITA Et sanctus uir, ut scis, A. COLOTI, & Theologus non minus elegans, quàm, ut nunc loquimur, Prædicator diuinus, nuper moriens reliquit Christianis suis Viterbiensem Aegidiũ, tum sanctitatis suæ, tum etiam prædicationis hæredem, hominem quidem certe summa integritate, sacerdotem pietate eximia, ac castimonia, Theologum singulari eruditione, & fide, Prædicatorum autem uel Theologorum eloquentissimum, uel inter prædicantes, diuinarum rerum, institutionumq; maxime eruditum. Is cum in nostratia hæc incidisset de fortuna, non potuit non commendare studium nostrum, raritatemq; laboris, præoptasset tamen, uti cogitationes has nostras in potiora cõuertissemus, cognituq; magis digna, quæq; uel in Christianam rem publicam, uel in uitæ ciuilis institutionem, morumq; probitatem, utilitatis plus conferrent, Esse enim quodammodo Christiano indignum homine, de fortuna rationem habere aliquam. Cum res mortalium diuinæ magis curæ permittendæ essent, quàm de fortuna inquirendũ, aut casibus. Accepimus & boni, & docti uiri sermonem, quo profecto par fuit animo, & pro nostra etiam pietate in Deum, atq; obseruantia, repensaturi in posterum iacturam hanc temporis, si iactura dicenda est, naturæ obstrusas res in apertum uelle proferre, commonefacereq; nostrates homines, ne humanum dicam genus, qua ratione quæ fortunæ adscribuntur, consyderanda sint, & quo etiam accipienda animo, & ubi opus fuerit, perferenda. Incidit quoq; inter loquendũ quæstio, de Dei ipsius scientia, atq; cognitione, eiusmodiq; eam esse, quæ et Deo digna esset, neq; aliena ab rebus ipsis, quæ in scientiam uenirent eius, diuinamq; cognitionem. Quæ enim cœlestia, perpetua, æterna essent, ac necessaria, habereq; sese aliter nullo modo possent, ut pote commutationis, uarietatisq;, atq; inconstantiæ omnis expertia, illa perinde, à Deo sciri, & uti rerum omnium scio, & uti rerum ipsarum natura ferret, atq; conditio. Quæ uero dubia, incerta, uaria, parum consistentia, passimq; sese aliter habentia, atq; aliter, deniq; etiam desitura, eorum scientiam apud Deum minime eã

esse, ut quæ ambigua essent, atq; in dubitatione posita, illa aut neces saria efficeret, aut constituta et certa, ni forte sese frustrari uelit, iriq; à rerum natura deceptum, aut cum summus ipse ordo sit, rerũ ipsa rum ordinem mutare, & constitutionem simul uellet, & regulam. Medicum enim ita ægroto dare operam, ut sciat se quidẽ medicum, illum uero languentem, & ægrum, habeatq; item cognitum illius morbum, quartanamq; eum in febriculam declinaturum, nequaquã tamen scientiam hanc medici, atq; cognitionem præstare id atq; effi- cere, quo in quartanam febricula illa recidat, aut si curabilis mor- bus sit, quo minus hoc ipsum defugiat, ac propellat. Fabri quoq; li- gnarij cognitionem, quod ab experto faber ipse sciat, quænam ma teriam dolatu esse, atq; asciatu parum facilem, difficultatem nullo mo do eam parere, quæ à natura quercui esset insita. Dei itaq; scienti= am, quæ natura sua certa essent, sibiq; ubiq; constantia, in ijs & pro maiestate uersari sua, & pro rerum ipsarum sorte, ac conditione. Itidem & in ijs, quæ incerta & uaria, ut neq; ipse à dignitate di- scedat, quæ Dei est propria, neq; eius scientia, rerũ uarietati obstet, atq; incertitudini. Cum illi obuersentur semper ante oculos omnia, nec quod in præsentia cernat, præscribere habeat ullo modo futuris, quæ apud illum omnino sunt nulla. Neq; enim Deo ullum, quod no bis quidem mortalibus labitur, defluit in posterum tempus. Itaq; sci ri à Deo cœlestia, diuinaq;, ut certa æternaq;, humana uero ut uarie tati, ac mortalitati obnoxia. Hinc igitur non philosophos modo, ue rum indoctorum quoq; consensum hominum, fortunæ nomen esse cõ mentos, quod commotiones eius ancipites essent, uariæ, inconstantes et tanquam ex imparato, ab impetuq; ferrentur. Quippe cum feræ quoq; eodem à uerbo, similiq; ex euentu & causa essent uocatæ, ferũ tur enim & ipsæ impetu tantum suo. Post hæc omnia, uenit in men= tem Platonis inducentis concionantem Deum in creandis rebus apud optimates suos, stellas scilicet, quibus singulis pares delegisset animas, pariaq; tribuisset curricula, statuentemq; ex præfinito illis, rebus uti prospicerent inferioribus, ac dantem ijs leges, iuraq; ineuitabi= lia. Dein, ut qualitas ipsa sermonum tulit, allatum quoq; est in mediũ Gregorij Pontificis dictum illud, Constitutum esse homini, quantum uel prosperitas sulleuaret eum, uel feriret aduersitas, quoq; etiam die, & quo esset etiam mortis genere interiturus. Nec contemptui est ha= bitum Virgilianum illud.

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.

Quæ cuncta eò uiderentur spectare, ut fortuna ipsa fatum quoq; se-

queretur rerumq́; ordinem, ac seriem à Deo in initio præstitutum, Cuius ipsius è Platonis sententia uideri possent stellæ exsecutrices esse, ac ministræ. Cum stellarum ipsarum in rebus his inferioribus tanta uis cerneretur, quoddamq́; quasi imperium, ab illis enim & tempora delabi, & rerum manare prouentus, ac uitas simul animantium, eorumq́; interitum. ad hæc aliarum in alias ex immutatione conuersionem, ac transitũ. Ab his etiam ipsis alimentorũ exsistere ubertatem, atq; inopiã, serenitates, ac procellas, æstus ac frigora, siccitates, atq; humectationes nimias, Vt præterquã hominũ uolũtatibus, cæteris sanè præscriberent oĩbus, quæ inferiore hoc in mundo, naturali gererẽtur et ordine, et lege, qua de re dicturi hoc libro sumus, et pro syderũ ipsorũ natura, et pro hoĩum conditione, ac statu. Neq; enĩ aut oĩa sunt ad sydera referenda, aut rursus cuncta ad hoĩum uolũtates, uitæq́; ipsorũ institutiones, ac munera. Nã q̃d obsecro cũ astris? si mihi esse hodie de asso magis libuerit, quàm de elixo, aut si maluit Virgilius dicere.

Hæc sunt, quæ nostra liceat te uoce moneri,

Cum doceri, posset etiam cum dignitate? Sed ille aures potius consuluit, quàm ut de titillatione Veneris, Mercuriiq́;, aut utriusq; traheretur impulsu. Quid rursus humanis cum uoluntatibus, ac studiis, si æstatem hanc maxime humidam sensimus, atq; imbricosam, præteritam uero hiemem, præter temporis qualitatem, ac regionis, abunde tepescentem? Aut si uuarum nullum, pomorũ uero prouentum maxime uberem habuerimus? Nec nos deterrebit Ioannes Picus magna tum nobilitate, tum etiam ingenio, ac doctrina uir, qui nuper diruere prorsus syderalem conatus est disciplinam. Cui quo minus ipsi respondeamus, labore eo nos omni liberauit uir in omni disciplinæ genere clarus, ac perquam acutus Lucius Bellantius, cui ætas nostra multum profecto debet, debituri autem longe amplius posteri, ne ad eos tanta hæc indignitas penetraret. Quid enim indignius, quàm tot seculorum tradita, tot excellentium hominum uelle inuenta labefacere, & quæ disciplinarum est omnium antiquissima, eam longo post tempore insectari? Videlicet Picus noster (uoco eum nostrum, quia magna mecum beneuolentia coniunctus fuit, quodq́; doctissimum quenq; maxime mihi familiarem atque amicum statuo) tractus ipse quidem exemplo est aut Pyrrhonis, qui physicam, & moralem omnem doctrinam euertere conatus est olim, aut Laurentii Vallensis, qui nuper uel decem prædicamentorũ seriem, ne Dialecticam dicam omnem, ut subrueret, quid non tentauit? Aristoteles

eruditissimus pariter, atq; obseruantissimus naturalium rerum uir, in libris, qui de animalibus dicuntur, multa tradit per obseruationē in genere hominum uniuerso comperta, Vt quæ de auribus, de fronte, de supercilijs, de labris, de oculis, de pedibus ab illo referuntur, quæ quidem ipsa propensionum animi non incerta habeant indicia, & signa. Quis hæc, dixerit quispiam, in uniuersum obseruauit? Et multa & plurima, & innumerabilia obseruarunt secula, & plurimi, & maximi & præstantissimi uiri, Et, quod idem inquit Aristoteles, infinities quæ ipse perquireret, eadem illa fuisse & disputata, & tradita, & ijsdem ratiocinationibus ex occulto deprompta. Cur quæso minus hoc contigerit in cœli & stellarum motibus, ac significationibus perquirendis? & quod concedimus philosophis, medicis, ijsq;, qui in facultatibus uersantur coniecturalibus, cur inuideamus Aegyptijs, Babylonijs, Caldæis, Phœnicibus, qui infinita cognoscendis, ac peruestigandis ijs consumpserunt secula? Quid quod natura hominibus ipsis consulens quosdam etiam ingenerare suo quodam tempore consueuit, quibus Dei Optimi Maximi peculiari concessum sit dono, etiam abstrusissima constituendis disciplinis aperire mortalibus, quantum scilicet captus ipse ferat humanus. Quanquam et quæ à Prophetis sunt prædicta, ut de Sibyllis taceam, quod eā rem Cicero in dubium reuocet, & captum, & uires uidentur excessisse humanas. Sed Bellantio, ut fortissimo duci, prouincia relinquatur sua. Nos autem COLOTI libro hoc tentabimus, quātum res ipsa tulerit, manifestum facere, fortunam uires suas potissimum per stellarum cursus in rebus hominum exercere, non quod eorum prudentia multas illarum effectiones non possit longius quoq; auertere, sed quod nequaquam omnia, aut propter animi nostri impotentiam, nimiasq; cupiditates, aut quia in quibusdam illarum sit uis longe ualentissima, materia etiam ipsa parum nostris fauente propositis, ac consilijs.

Primas quasdam commotiones ambiente ab aëre excitari.

a

AMBIENTEM HVNC AERA Primas illas excitare commotiunculas, quæ intellectum mox cieant, seu appetitum, author est Aristoteles. Post cessationem enim, atque quietem, solere nos ipsos etiam repente ad agendum exsurgere, deq́; otio ad negotium statim rapi. Putat igitur motus eos extrinsecus ab ambiente suscitari, esseq́; alios qui διάνοιαν moueant, aut ὄρεξιν, alios qui totum animal. Harum uero motionum animam nostram minime esse causam, uerum ambientem aëra, effici enim ea è motione, ut homo ipse commonefiat eorum, quæ uel nocitura sint, uel econtrario profutura, quæq́; aut desint, aut si adsint, timeatur, ne quo pacto, uel diffluant, uel eripiantur, quæ'ue ipsa uoluptatem sint allatura, aut utilitatem aliquam, siue dignitatem, authoritatēq́; siue cognitionem deniq;, atq; peritiam, quæq́; aliæ appetitiones nostræ sunt, quippe quæ in anima ipsa, ab uisione, ac ui ingenerantur illa, quæ φαντασία dicta est à Græcis scriptoribus, nostri tum uisum appellant, tum uisionem. Si enim uisiones hæ defuerint, ac simulacra, deerunt cupiditates quoq;, appetendiq́; uis omnis euanescet. Ad ambientem igitur, aeraq́; ad ipsum, excitationem illam primigeniam referendam esse, natura ipsa nos docet, principiumq́; commotionis nostræ, siue ad illa, quæ cogitationem moueant siue appetitionis nostræ, siue ad illa, quæ cogitationem moueant siue appetitum, eò etiam spectare, ex aere nanq; spiramus. Etenim spiritus si defuerit, deerit etiam uita. Nec temere maiores nostri, nec improprie, suo id est Latino nomine spiritum, qui Græco est ἀὴρ, uocauere. Nec dubitauit maximus Poëta dicere.

» Atq; in uentos uita recessit.

Recte igitur qui dixerunt aera receptaculum esse, & tanquam penu eorum omnium, quæ è tera, atq; aquis, exhalant, euaporant, aspirant. Nanq; uti cuncta admittit recipitq́; in sese, sic cuncta quoq; remittit, & tanquam mutuo acceptum, loco, ac tempore suo reddit.

Varietates in aere contingentes à stellis proficisci.

Atq; hæc quidem omnia stellarum beneficio & opera, præcipue autem Solis, ac Lunæ, ut illi quoq; ipsi motus, quos in nobis aer ciet, ad

stellas sint omnino referendi. Nam & turbari aerem, & serenescere, ac nunc concalescere plus nimio, nunc perfrigere, humescere item atq; arefieri, aliterq;, atq; aliter mutari, ac uariare, quis non uidet, à Sole Luna, & stellis hoc ipsum proficisci? Cum in aere perinde, ac in materia quasi quadam stellæ ipsæ, ut informatrices uersentur, officioq; fungantur suo. An nõ crasso sub cœlo hebetiora plerunq; nasci igenia cernimus? in tenuiori uero per acuta sanè, ac magis magisq; excitata? proceriora alibi corpora, breuiora alibi. Igitur si ab aere, de quo spiramus, & in quo uiuimus primigenij illi exsistunt motus, ipseq; aer campus est quasi quidam, in quo Sol uersetur, ac Luna cũ stellis reliquis, quis dubitet referendos illos esse ad sydera, eorumq; ad effectiones, ac munera? An temere fortasse dictum est ab homine ipso hominem atq; à Sole gigni? Nam quod mouentur corpora, quod ab ambiente, nostra excitatur, atq; expergiscitur anima, id à stellis ut pote motricibus proficiscitur, atq; exsistit. Aeque enim, ac in materia artifices ac multo etiam liberius stellæ ipsæ in elementis, ut informatrices munus atq; officium assiduo obeunt suum.

Inferiora omnia præter hominum uoluntates, stellis esse subiecta.

Quòcirca si fatum lex est ac regula naturæ à Deo præscripta, si naturæ eiusdem & materia, et instrumenta sunt ea, quæ rerum dicuntur elementa, si stellæ deniq; sua in ijs & iura exercent, & imperia, an temerarium tibi aut parum forte rationale uideatur, quod stellas fati ipsius ministras diximus, executricesq; naturæ munerum, diuinæq; constitutionis? Vt præterquam uoluntates ipsæ hominum, cætera inferiora omnia illarũ sequantur agitationes, atq; curricula. Hæc autem quæ dicimus, eiusmodi quidem sunt, ut nec fato subiecta sint cuncta, nec rursus pro hominũ cuncta administrentur uoluntate, ac consilijs.

Alia fato prouenire, alia contingenter.

Fatum uero intellegi uolumus causarũ siue ordinem, siue seriem, è quibus ut alia necessario quidem proueniunt, quippe quorum causæ necessariæ ipsæ sint, sic alia contingenter, atq; ex euentu, quando ne eueniant, uel multa quoq; impedire, ac prohibere simul possunt. Itaq; fato quæ fiunt, minime quidem omnia, sed quædam tantum necessaria esse dicimus, mutariq; ea, aut prohiberi nullo modo posse, quominus ordinem, progressionem, ac seriem sequantur suã. Etenim

quàm diu status hic rerum persistet, ac mundi, Sol'q; ab ortu feretur in occasum, dies quidem nobis erit, rursus uero cum ab occasu ad ortum, nox. Quàm diu etiam ab æquis, ac medijs cœli partibus, au strum uersus, Sol mouebitur, rursus'q; ab austro uersus septentrionẽ, quatuor anni tempora de accessu eius constituentur, ac reditu ad locum unde discesserat. Eiusmodi enim causæ necessariæ sunt, nec mutari queunt, aut aliquo illis pacto obuiam iri potest. Fati ẽt necessitati, ac rerum ordini tribuimus hominem gigni ab homine, bouem à boue, ab aquila aquilam, mugilem'q; à mugile, suis'q; è seminibus ac principijs arbores, herbas, frutices ortum ducere. Sic enim ab initio hæc ipsa constituta, Dei iussu perpetuum seruant tenorem, seriem'q; perpetuam. Ideo'q; necessarius eorum est prouentus, necessaria generatio, ac fato suo, sua'q; serie ac constitutione & reguntur & conseruantur rerum omnium species. An non à fato est, fati'q; ab necessitate ductum, quæ oriantur cuncta occidere? Dices fatale quoq; esse, ac necessarium, hominem ægrotare. Potest id quidem fieri, atq; eo quidem pacto fieri, ut prohiberi tamen uel omnino queat, uel magna è parte morbus ipse leuari. quoniam aduersa ualetudo, nostra non raro de causa culpa'q; proficiscitur, nec pauci ad obitũ usq; ꝑpetua usi sunt sanitate, perinde ut nõnulli ab ortu ipso assiduis grauati fuere ægritudinibus, perniciosis'q; ab humoribus circunsessi.

Alia necessaria esse, alia possibilia & euentitia.

Igitur eorum quæ sunt, quæ'q; esse possunt, atq; à nostri temporis philosophis dicuntur possibilia, alia necessaria quidem sunt, euentitia uero alia. Necessarium autem, ac possibile simul est, uiro & fœmina coeuntibus, hominem nasci. At possibile, atq; euentitium, Ciceronem agentem pro Milone causam in ea defendenda superiorem euadere. Possibile item, atq; eueniẽs, occaso Sole statim pluere, necessarium uero, noctem sequi. At nulla fit necessitate, occaso ut Sole pluat, aut ut ne pluat, quando alterutrum potest contingere. Quibus è rebus id efficitur, ut eorum quæ esse possunt, quæ'q; possibilia dicuntur, alia sint & possibilia simul & necessaria, alia uero possibilia atque euentitia, atque hæc quidem, quod causæ ipsæ nullo sint pacto necessariæ, illa uero contra, quod omnino necessariæ. Quale igitur fatum, de quo ipsi loquimur, constituamus, ex his ipsis potest aperte iam intellegi, quod ut manifestius etiam intellegatur, sic habeto. Nostrum prorsus esse, nost-

*raq; in potestate collocatum, uelle nolle hoc uel illud, appetere,
non appetere, assentire aut dissentire, eligere, aut reijcere, se-
qui, aut declinare, quæq; alia eiusdem sunt modi, quæ nostro qui-
dem arbitratu, uel suscipienda sint, uel prætermittenda. Aliena ue-
ro sunt diuitiæ, honor, magistratus, clientelæ, quæq; alia optari à no
bis soleant, magis quàm ut ea iuris nostri aut sint, aut redigi in di-
» tionem nostram facile queant. In utrunq; igitur euentum boni ma-
» liq; recte dictum est à Ptolemæo, sapientem animam conferre cœle-
» stibus actionibus, perinde, ut optimus agricola arãdo expurgandóq;
conferat naturæ. Etenim uertendo sæpius terram, feraciorem eam red
dit, ac nunc occando, quæq; sata sunt, sarculis prosequendo, nũc ma
» nu legendo herbas inutiles, ac malignas, ubertati plurimum adiu
» menti affert, ac messi. Rursus, posse eum qui sciens sit, multos stella-
» rum effectus auertere, quando naturam earum cognitam habeat,
» séq; ante quàm effectus ipsi sequantur, & præparare, & munire.
Admonet igitur his dictis libertatis nos nostræ Ptolemæus, quod et
bonis à cœlo promissis non paruum addere cumulum ipsi possimus,
& mala tum cauendo, tum eorum naturam intellegendo, declinan-
dóq;, quæ nocendi uim habeant, quæq; portendantur incommoda,
pericula'ue ea uel ex toto, uel magna etiam è parte prohibere, adhi-
bitáq; prudentia repellere. Quod si nequaquam præstare ualueri-
mus, id tandem præstabimus, uti tolerandis nos illis præparemus, mu
niamusq; constantia, & fortitudine. Quæ enim prouisa sunt et an
te cognita, nec tantum secum impetus afferunt, ac nouitatis, & mi
nus sunt grauia, minusq; toleratu difficilia. Cum econtrario quæ re
pente, ac præter spem, opinionemq; obijciuntur, & concutiant ani-
» mum, & animi ipsius uires prosternant. Alibi quoq; ait, decreta stel
» larum haudquaquam prætorijs decretis esse simlia, quorum ea qui-
» dem natura est, uti pœna statim ijs sit luenda, minime qui paruerint.
Quo'circa in utranq; partem quæ à cœlo portenduntur, tum prohi-
beri, tum leniri ingenio & arte possunt. ubi damnum minantur, aut
periculosum aliquid, & foueri ac tanquam allici, ubi blandiri ui-
dentur, successúsq; polliceri felices.)*

Fortunam fato famulari.

*Bene igitur, próq; rei de qua agitur natura, dictum est à nobis, fortu
nam fato obsequi, et cum fatum necessitate utitur, et cum nulla pror-
sus ui adhibita, iuribus tamen, ac partibus incumbit suis, permittitq;*

nobis ipsis

nobis ipsis id sequi, aut declinare, quod & placuerit, & in rem no
stram magis conducere censuerimus. Ne autem uideamur tanta hac in
re à Theologis forte nostris discrepare, aliud'ue sentire, q̃ quod Chr
stianum decet hominem, afferam Ptolemaei eiusdem enũtiatum quod-
dam, quod ad bonam spectat fortunationem, post etiam Thomae re-
» feram Aquinatis sententiam in hoc ipso etiam fortunationis genere,
» ac tractatu. Cum in eodem inquit minuto ambo luminaria fue-
» rint, si ascendit benefica, natus aeque sanè in omnibus quae incide-
» rint, bene fortunatus erit. Simili modo ab ortu atq; occasu inuicem si
» opponentur. Sin malefica in ascendẽte fuerit, contrarium sentias. Au
» diamus nunc Thomam in ijs quae aduersus Gentiles scripsit, asseue
» uerantem, hominem ipsum quia è corpore quidem constet, coelestibus
» esse corporibus addictum, quia uero intellectu sit praeditus, angelis,
» quia autem uoluntate utatur, Deo, posse itaq; quippiam accidere, quod
» praeter suum hominis sit ipsius propositum atq; intentionem. Id'q; pro
» coelestium tamen corporum affectione, proq; angelorum constitutio-
» ne, aut summi etiam Dei. Tametsi Deus ipse solus in ijs ipsis quae ab
» hominibus eliguntur, habet sese ꝑinde, ut ꝑsuasor, coelestis autem uis
» corporis perinde, ut affectrix, quia uidelicet coelestium impressio-
» nes corporum nostra haec corpora ad eligendum id afficiunt, quod
» utile uideatur. Cum itaq; ex impressione quispiam coelestium corpo
» rũ, causarum'q; superiorũ, ea qua dictum est uia inducatur ad eligen
» dũ utile quod appareat, etsi utilitatem ipsam ratione nequaq̃ metitur
» minime'q; comprehensam habet, nihilo tamen minus intellectui eius
» tum supernis à substantijs ad eam ipsam intellegendam lumen accen
» di, tum Dei ipsius beneficentia & munere uoluntatem eiusdem indu
» ci ad utilia eligenda, quorum tamen rationem penitus habeat nul-
» lam. Inde'q; bene fortunatum eum dici, male'q; econtrario fortuna-
» tum, ubi superioribus quis à causis ad ea ducatur, quae contraria
» quidem sint, eligenda. Differre autem tradit hoc ipso, quod affectio-
» nes atq; impressiones coelestium corporum humanis in corporibus na
» turales corporum ipsorum ingenerent propensiones, ideo'q; propen-
» sionem ob eam coelestibus à corporibus inditam, non bene solum, aut
» male fortunatum quempiam dici, uerum etiam aut bene natum, aut
» male. Atq; haec in hãc quidem à Thoma dicuntur sententiã, quibus
» non pauca quoq; subdit alia, quo manifestius ostendat hominum cor
» pora coelestibus affici à corporibus, ipsos'q; affectus propensionem
» ingenerare, cuius admonitu & ad eligendum, & quod elegimus
» incitemur prosequendum. Vt cum saepenumero aut odio trahimur,

» aut beneuolentia, nequaquam tamen uim ipsam cœliq; affectionẽ
» existimat tanti ullo pacto esse momenti, ut eò uis ea pertingat, eue
» haturq́;, quo uis ipsa spiritualis. Qua de re cœlestem affectionem
» ut inferiorem ac minus ualidam nullo pacto eò se efferre, quo extol
» leretur humana. Proindéq; hominibus tum bona tum mala accidere,
» quorum quidem siue ad cœlestia habeatur corpora, siue ad angelos
» relatio, ea tamen ipsa in bonorum genere fortuitorum esse collocan-
» da. Sin autem ad Deum, ea uero nullo pacto habenda esse fortuita.
» Nihil enim tale esse posse, quod Dei prætereat cognitionẽ, accidatq́;
» illi ut euentitium. Ad hæc idem ipse author est, hominem cum ad
» eligendum aliquid, cœlesti afficiatur à corpore, illustraturq́; ab ange
» lo, ac suasu Dei commonefactionéq; inducitur, in prosequenda qui
» dem electione, fauorem ac suffragium ab his ipsis sic sortiri, ut non
» à Deo solum atq; ab angelis proficisci id ipsum possit, uerum etiã
» cœlestibus à corporibus. quippe cum sita eiusmodi uis in corpore ipsõ
sit. Nec uero Astrologia nostri temporis non ineptos quosdam asser
tores habet, nec è Latinis tantum hominibus, uerum etiam Aegy-
ptijs, Arabibusq́;, quorũ in scriptis utinam non uel plurima inessent
etiam anilia, nec risu modo, uerum etiam quæ despuantur graui-
bus à uiris digna. Quod malum utinam non & alias quasdam
inuasisset disciplinas, dum aut parum intellectis, aut perperam for-
te acceptis ueterum sententijs, in id sit deuentum, ut studiorum no-
stræ superiorisq́; ætatis hominum non uideatur finis esse nosse, ac sci
re, uerum litigare, & quáq; super re etiam digladiari. Quo effe-
ctum est, præter admodum pauca, nihil ut non sit in scholis ipsis li-
tigiosum. Nec uero maxime & acutus & doctus uir Ioannes Sco-
tus non idem quoq; & sentit & tradit, cum non inficiatur cœle-
stia corpora ius in elementis authoritatemq́; habere, itemq́; in permi
stis, animalibusq́; atq; inanimalibus, instrumentis quoq; in ipsis sen-
suum. Quid quod nequaquam ius illis adimit ac uim (quando sen-
sus ipsi à cœlo cœlestibusq́; à corporibus aut perficiuntur, aut man
ci exsistunt minimeq́; absoluti) quin potestatem quoq; ac iurisditio-
nem quasi quandam ad intellectionem quoq; habere ualeant. Ia-
ctis igitur quibusdam quasi fundamentis, atq; ijs potissimum duci-
bus, quorum opiniones uel potius sententias retulimus, ad ea quæ
dicenda restant, fidentius accingamur, ostensuri, & bonos pariter
malosq́; euentus à stellis portendi, atq; à cœlo nascentibus homi-
nibus. Tunc uero effectus ab ijs in genitura significatos succede-
re, cum tempus præstitutum aduenerit, inde etiam fieri, ut quæ

euentitia nobis sint, ab stellis tamen ipsis, ut quæ nostra afficiant corpora, & suscitentur initio, innuantur'q;, & post etiam cum tempus ipsum ematuruit, afferantur. Itaq; quæ repentina nobis accidant, à cœlo tamen ac stellis non ut repentina accidere, uerum suo motu, suis'q; momentis, spatijs, ac progressionibus inuehi, & tanquã pedibus progredi suis. Itaq; operæpretium fuerit Senecam audire, de his quoq; ad Martiam dicentem, Videbis micanti uno sydere, omnia impleri, Solem quotidiano cursu diei noctis'q; spatia signantem, annuo æstates, hiemes'q; æqualius'q; diuidentem. Videbis nocturnam lunæ successionem à fraternis occursibus lene remissum'q; lumen mutuantem, & modo occultam, modo toto ore teris imminentem, accessionibus damnis'q; mutabilem, semper proximæ dissimilem. Videbis quinq; sydera diuersas agentia uias, & in contrariũ præcipiti mundo nitentia. Ex horum leuissimis motibus fortunæ populorum disponuntur, & maxima ac minima perinde formantur, prout æquum, iniquum'ue sidus incessit.

Bona fortunæ à cœlo & stellis promitti.

Et quoniam fortuna uim in ijs præcipue ostendit suam, quæ tum externa, tum sua fortunæ ipsius dicuntur bona, de his primum dicemus, allaturi de Astrologia stellarum positus, atq; configurationes, quæ uel bona annuntiare, uel mala cuiusq; generis consuerint tum in hominum geniturис, tum in annorum conuersionibus, tum etiam in suscipiendis negotijs. Quod autem Iupiter, ac Venus beneficæ dicantur stellæ, de ijs carptim tamen exempla quasi quædam in pollicendis bonis, ea'q; perpauca referemus. Iupiter in horoscopo, hoc est in ascendente cœli parte ad exortum partiliter constitutus, in signo'q; præsertim domestico & peculiari, aut in quo ipse extollitur, diurna'q; in genitura pergens ipse recto incessu, magistratus portendit, ac dignitates, alia'q; item bona ei cuius ea genitura fuerit, pro patriæ tamen, ac parentum qualitate, ac meritis. Præcipue autem inter alia bona, hoc ipsum adipiscendo de magistratu à Ioue portenditur. Assequetur itaq; uir ille promissum siue magistratum, siue dignitatem, bonum'ue aliud decreto à genitura tempore, cum uel in tertiam ab ipso horoscopo domum Iupiter peruenerit, uel in quintam, aut etiam decimam undecimam'ue ni uis tamen aliqua potentior obstiterit. Seu tum cum in conuertendis annis inuentus ipse fuerit aut ascendere ab horoscopo, aut etiã culminare,

aut cum dignitate residere in cardinum eorum aliquo, qui genituræ
tempore cœli angulos occupabant. Videtur igitur hoc ipsum cum ac
ciderit, euentitium omnino esse, ut quidem est. Causa tamen id effi-
ciens & ab hora genituræ manat, & à Ioue in horoscopo feliciter
collocato. Quod siqua hora hic ipse magistratum inibit, uel horosco-
pum uel Iouem, infelix percusserit stella, Mars scilicet, aut Satur-
nus, quæ utraq; stella malefica à Mathematicis dicitur, nimirũ im
pedimentum aliquod, incommodum'ue seu periculum in gerendo ma
gistratu pro natura portenditur aut Saturni, aut Martis pro'q; eius sta
tu, pro loco item, ac signo de quo hosticum minitabitur. Repentinum
hoc autem cum eueniet, iure suo uidebitur, præter'q; opinionem acci
dere, atq; exspectationem, unde tamen ducat originem, iam appa-
ret. Quod quãuis ita se habeat, fortuitum tamen est. prouisum uero,
atq; ante cognitum poterit adhibita prudentia, aut prohiberi ex toto,
aut non exigua saltem parte imminui. Venus genituræ cuiuspiam
tempore in horoscopo constituta in signis familiaribus, aut etiam hu-
manis, feliciter'q; sese habens, ipsa quidem nocturna, omni'q; detri-
mento, atq; impugnatione libera, sacerdotium uiro illi pollicetur, cu
ius ea fuerit genitura, atq; eo dignius sacerdotium, si ei Iupiter blan
diatur. Aduenit iam promissi sacerdotij tempus, præstatur'q; promis-
sum. Ea præstatio euentitia est, ac repentina, propter sacerdotis obitũ,
qui sacerdotio illi præerat. Genituræ tamen tempore satis constat, à
cœlo id esse promissum. Ac nihilominus consequẽdo sacerdotio uir ipse
& honestate morum, & opera industria'q; sua, artibus'q; alijs non
parum sibi adiumenti afferre potest. Tempus autem ipsum quo sacer
dotium assequitur, eius'q; indipiscitur possessionem, indicium faciet eo
rum, quæ in administrando euentura sint sacerdotio. Atq; ipsi quidẽ
euentus fortuiti sunt futuri, cæterum unde profecturi, uel fauentes
stellæ, uel contra minitantes indicabunt. Quod si sacerdos ipse euen
tuum ipsorum fuerit ante admonitus siue felicium, siue infelicium, in
utranq; partem præstare haud parum poterit. Marcus Hordeonius
Neapoli discedens Romam proficiscitur, conficiendi negotij sui gra-
tia. Exorta repente tempestate, nocturnis imbribus tumefactus Lyris
amnis, effractis nauiculæ retinaculis, quæ erat ad Traiectum, illam
in mare propellit, quæ in ipso hostio à fluctibus quassata submergi
tur. Adueniens ad uadum Hordeonius arcetur à transitu, auulsa na=
uicula ac prætumescente flumine. Siquis itaq; natalitiam Hordeonij
configuratione inspexerit, aut annuæ conuersionis, aut horæ disces-
sus eius ab Neapoli, inueniet profecto, Saturnum, aut Lunam, aut

utranq; simul

utranq; simul aut fixam aliquam similis naturæ stellam peregrinationibus Hordeonij impedimentum ab aquis minitari, minitationis'q; atq; impedimenti illius tempus adesse. Quod si Martem forte iter infestantem habuisset, næ ille in latrones incidisset atque sicarios, qui eum male habuissent, ac ferro forte grassati in eũ essent. Nascente sub primam noctem Sulpitio, Iupiter cum Mercurio in octauo ab horoscopo genituræ loco inuentus partiliter, Pollicitus est ei siue hæreditatem, siue pecuniariæ cuiuspiam rei, thesauri'ue inuentionem, è qua uitæ sibi familiaris substantiam comparaturus esset. Eius autem siue hæreditatis successio, siue thesauri inuentio, rei'ue quæ lucrum afferret, tempus cum haberet præfinitum, atq; à cœlo decretum, iam aduenit. Nam parietem cum subrueret, uasculum inuenit aureorum plenum, eodem ferè tempore à patruo hæres instituitur. quid inuentione hac pecuniæ inopinatius, aut patrui bonorum successione minus tunc exspectatum? cum ille ætate esset integra, & corpore abunde ualido. Obtulit igitur Sulpitio fortuna, quod suo & decreto tempore, atq; ab ortu cœlum ipsum promiserat. Qua è re liquido cernitur, fortunam, rerum quæ à stellis genituræ promittuntur tempore, exsecutricem esse, uel effectum esse ipsum potius. In lucem prodeunte Aurelio, Venus quarto in loco ab horoscopo cum Mercurio, eoq; matutino, feliciter collocata, aut à seruitute in libertatem uindicabit Aurelium, aut ab ignobilitate in splendorem, atque claritudinem. Seruit hero suo Aurelius (nam direpta patria puer capitur) & fideliter et diligenter, eos in seruitute mores retinẽs, uti perq̃ liberalem institutionem in rebus præ se ferret omnibus. Hoc igitur ob meritum ab hero manumittitur, & familia etiam donatur, in cognationem ascitus. Vides ipse quàm hæc omnia ex imparato? à cœlo tamen apparent significata. Quemadmodum obseruatio innumerabilium docuit seculorum, ac res ipsa manifestum facit. Itaq; uisa est fortuna ipsa in liberando Aurelio, repente è cœlo delapsa. Prodeunte è matris utero Venilio, Mars simul, ac Mercurius duodecimo in loco simul positi, & propter loci naturam, & propter societatem parum probam, eas in Venilio propensiones instillant, atq; in improbitatem prolabentes affectiones, ut futurus ipse sit & perfidus, & rapax, & depositæ pecuniæ abnegator, unde & accusationes timendæ illi sint, & ciuilibus à legibus constituta supplicia. Adolescit igitur intemperatis moribus, confligitatur'q; cum improbis, & male institutis ciuibus, paulatim'q; assuescit furari fidẽ fallere, peierare, commercia polluere. Trahitur inde ad prætorem in iudicium, conuincitur, con

demnatur, luit tandem pœnas à legibus conſtitutas. De mala igitur ſtellarum collocatione ac ſocietate Venilius propendebat in improbitatem, ac perfidiam. quam propenſionem & fouerunt inſtitutiones prauæ, & auxerunt improborum conſuetudines, impuræq; conflictationes ciuium. Ex hac itaq; aſſuetudine confirmata eius uoluntas eſt ad ſequendam improbitatem, cui ratio ita locum dedit, ut prætorio tandem iudicio pœnas ſcelerum ſuorum dederit. Fortuna igitur hunc illi exitum attulit. Atq; hæc illa quidem iniqua eſt, paſſimq́; aduerſans fortuna, quæ uoluntate hominis progreſſim corrupta, proſtrataq́; prorſus ratione, in præceps tandem hominem ipſum rapit. Et aſtra quidem, ac cælum munus exercent ſuum, uires dum proprias easq́; ſeu cognitas homini, ſeu incognitas, conficiendis tamen inferioribus his admouent, quo uarietati proſpiciant rerum, ſine qua natura ipſa perfici, ac conſummari nullo modo queat. Cæterum quis eſt, qui ignoret ciuilibus à legibus coerceri uiolentiam ac rapinas, condemnari furta, affici ſupplicio periuria, crœditæq; pecuniæ minime ſeruatam fidem? Habuit in lucem ueniens Pellianus nocturnis tamen in tenebris Saturnum, ac Mercurium unà coniunctos in ſexto ab horoſcopo loco, q ſuapte natura maleficus perhibetur. Copulatio hæc, eoq; in loco, ni alia obſtiterint, quæ malũ prohibeãt, Pellianum indicant, improbum ipſum quidem futurum, & conquinatis, ac peruerſis moribus, quin adulterinarum quoq; authorem literarum. Cui copulationi quod Mars fuerit infeliciter quadrangulatus, implicatum in eum ac circunuentum maximis neceſſitudinibus, plurimisq́; ſimul malis inuolutum, publicus magiſtratus animaduertet. Et hæc quoq; & deteriora longe mala inuehit fortuna, malarum cœli configurationum exſecutrix, ac miniſtra. Etenim uoluntas ipſa hominis prauis ubi occupabitur actionibus, minimeq́; appetitionibus aduerſabitur intemperatis, tum publica lex id eſt ciuiũ conſenſus omniũ, priuatorum proſpiciat nefarijs actibus, criminaq́; inſectatur ſupplicijs. Prætorio itaq; iudicio, ac decreto publico Pellianus admiſſi facinoris pœnas luit. Hoc ipſum, aliaq́; flagitia palàm faciunt, hominem ſi intra rationis gyrum cohibere ſe, & appetitui frenum adhibere uoluerit, minimeq́; uoluntatem efferri ſinet, ſtellarum configurationes, inditasq́; à cœlo propenſiones, uirtute ſuperaturum. Dices coegit Pellianum paupertas, anguſtiaq́; rei familiaris, uti uim attulerit uiatori, uti pecunia corruptus falſum perhibuerit teſtimonium, uti pretio etiã, ac mercede perſuaſus adulterauerit literas. Atqui uel etiam plurimi ſummis circunuenti neceſſitatibus, et à flagitijs abhor=

rent, & paupertatem tolerant magna cum uitæ integritate, & animi firmitudine. Itaq; turpibus à facinoribus idcirco abstinent, quia et uolunt ipsi, & in animum induxerunt suum, malle omnia perpeti, quàm ab honesto tantisper facessere. Tertullus matris cum prodiret ex utero, ac diurnum esset tempus, Martem habuit ac Mercurium sexto in loco ab ascendente cœli parte, unà copulatos, Lunam uero plenam hostileis in eos uibrantem radios, augentemq; peruersas illorum meditationes. Ob hanc igitur maxime noxiam cœli positionem, Tertullus non raro fuit ad prætorem ab accusatoribus tractus, dum inditis ipse à cœlo propensionibus rapitur, ac nunc in carcerem coniectus ac uincula, nunc tortus, excrutiatusq;, aut ob seruorum ignobiliumq; hominum calumnias, seu coniectorum in carcerem, aut ob admissorum criminum causas à prætoribus male habetur. Itaq; uitam quàm calamitosissime et egit, & finiuit. Negabit hæc fortasse aliquis syderalis cognitionis parum studiosus, inficiabiturq;, eas stellis ac cœlo uires inesse, tantamq; authoritatem. At non inficiabitur Ioannes Scotus, uir acutissimus, ac maxime probatus Theologus, qui tradat Dæmonas illos malos ignorare quidem ipsos futura, nisi aut coniectura utantur, quemadmodum et homines utuntur ipsi, aut quia è stellarum animaduersione, atq; à cœli motibus futura percipiant, quod uir tantopere eruditus, uersatusq; adeo diuinis naturalibusq; in causis cũ dicat, asseueratq;, an aliud dicit, q̃ quod corpora illis nostra ita subiecta, atq; addicta sunt, ut ad propensiones ab illis insitas, pro uiriũ qualitate, roboreq; moueantur? non ut coercere tamen illa nos ualeant, dum ne uolentes quidem ipsi assentiamur, manusq; illis præbeamus uinciendas. Idem etiam author asserit solere Astrologos uera pronuntiare de moribus hominum, deq; illorum applicationibus, nimiam quidem ob propensionem à cœlo illis atq; à stellis inditam, dum ratione repudiata illam tantum appetendi sequuntur partem, quæ sensui uni obsequitur, illiq; soli inhæret, quando cogitationes sunt hominum in malum pronæ. Quã quidem ob sententiam confiteri necesse est, & cœlum, & stellas, rationem ubi abiecerimus, dominandosq; nos ipsos sensibus tradiderimus, malisq; corporis uoluptatibus, illis tantum appetitionibus dediti, quæ homini cum belluis sunt communes, nostris in actionibus, uoluntatibus, consilijsq; ius, imperiumq; suum exercitaturas. Etenim sensibus omni qui est è parte deditus, illisq; tantum addictus, corporei cum illi sint, corporaq; ipsa nostra cœli, stellarumq; agitationibus, ac naturis addicta, nimirum hoc ipso in homine,

eiusq́; in cogitationibus, agitationibus, electionibus, consilijs, actibusq́;, eiecta prorsus ratione, cœli uis regnabit, ac syderũ, illumq́; impotenter secum rapiet.

Quanta uis sit stellarum in bonis corporis.

Quanta igitur cœli, stellarumq́; uis ipsa sit, atq; iurisditio in ijs, quæ ad corpus, corporeosq́; ad sensus pertinent, ad illa item, quæ corporis dicuntur bona, in utranq; etiam partem, paucis tanquam exemplis quibusdam allatis ostendamus, ut in bonis quoq; corporeis, itemq́; etiam malis, fortunæ ipsius iura uel maxima quoq; ualentissimaq́; appareant. Principio constituendis corporibus, regiones etiam ipsæ, nedum parentes, agnationesq́; plurimum conferunt. Etenim regiones aliæ nigrum producunt, aliæ candidum corpus. hæ sanguine redundans, illæ contra exsangue. Sunt quæ procerum, aut macilentum, quæ ex aduerso breue, aut crassum, aut bene, temperanterq́; sibi constans, ac quadratum. Has autem ad res affectionesq́; uires simul admiscent suas et aer ambiens & natura soli, in quo quis nascitur, educaturq́;, et cœli circũuolitantis despectus, ac positura. Familiæ quoq;, atq; agnationes consueuere peculiares quosdam progenerare corporum status, atq; concretiones. Signa etiam cœlestia uires ad hoc et ipsa quoq; suas particulatim adiungunt, quorum alia ratio habenda est, ubi primæ signi partes in alicuius genitura ascenderint ab exortu, alia ubi mediæ aut ultimæ. neq; enim parum interest. Cæterum quoniam errantes stellæ, perinde, ut informatrices per cœlum feruntur, in quo tanquam artifices in materia quæq; uersatur sua, primumq́; Sol, ac luna perinde, ac duces locum obtinent, quorum alter qdẽ in cœlo uelut cordis, altera uero quasi cerebri uicem gerat, uideamus quinq; ex erraticis stellis, quem corporis statum, qualemq́; compactionem quæq; ab insita tantum ui propriaq́; à natura constituat, quoties genituræ fuerit dominatum sortita, in cœloq́; feliciter, ac pro dignitate collocata. Saturnus igitur, ut nec regionis, nec parentum, nec signorum rationẽ habeamus ullam, quæ qdem habenda est, suapte qdem natura, insitaq́; à ui, ac potestate, modicum effingit nascentis hominis corpus, idq́; languidum, atq; imbecillum & pallidum, quod tum malignis humoribus, tum latentibus etiam doloribus non raro uexetur, laboretq́; de uentris frigida constitutione, quin etiam oculis suffusiones, malumq́; inducat habitum, caluitium quoq;, & aquam intercutem. præterea podagram, morbum comitialem, ac

pneumonicum, ſpaſticumq́; , ac neruorum contractionem, præſertim male ubi fuerit ignobiliterq́; collocatus, acceſſeritq́; Lunæ etiam minax aſpectus, imminuto eius lumine, ac nocturno in tempore. Quas autem excitet in homine, ingeneretq́; propenſiones ad appetendum, atq; ad uolendum, et quas ad affectiones illum applicet ſuapte, ut dictum eſt, natura, ne hoc quidem prætereundum uidetur. Nam ſtellarum quoq; aliarum commiſtiones, quibus ex ipſis genus hominum ſic uariat, uti uarietate ex ea, natura uideatur abſolui in ijs et perfici ad quæ aſſidue intendit, ſunt illæ quidem innumerabiles, parumq́; comprehenſæ. Saturninæ igitur propenſiones, & quos hodie peruulgate influxus dicimus, ad tarditatem plerunq; ſpectant, cunctationem, lentitudinem, auſteritatem, triſtitiam, futurorum proſpectationem, parſimoniam, uehementiam, animaduerſionem, occultarum cauſarum inquiſitionem, pertinaciam, patientiam, ac propoſiti, firmitatem. At ubi Saturnus indigne collocabitur, ad inuidentiam ſpectat, ad ſordem, ſqualorem, metum, ſuſpicionē, auaritiam, maledicentiā, ſeductionem, ſolitudinem, ſuperſtitionem, erumnas, atq; ad ſui ipſius, nedum aliorum odium. Quod uero ad artes eas pertinet, quæ ſunt quæſtuoſæ, Saturninæ propenſiones plerunq; ad ruſticationem inuitant, fabriliaq́; miniſteria, præcipueq́; è ligno, ad ædificandas naues, ad ſtruendos currus, ad exercendam culinam, ad expurganda coria, ad eluendas cloacas, atq; ad res ſordidas. Ne te autem lateat, quàm ualide etiam impotenterq́; ſtellæ male, atq; ignobiliter collocatæ in corpora graſſentur hominum, hoc ſic accipe, futurum illum aut gibberū, aut nanulū, aut paralyticum, aut incuruum, aut ridiculo deniq; corpore, in cuius genitura culminans Saturnus Martem de quadrangulo, aut ex oppoſito loco minitantem aſpexerit, ipſe uero uel genituræ ipſius aduerſetur domino, uel uitæ datori benefica tamen nulla auxilium ferente. Idem Saturnus ipſa ab adoleſcentia canitie illius fœdabit caput, cuius in genitura inter Solem ipſe, ac Lunam poſitus perinde, ac circunſeſſus inuenietur. Illud etiam ſtella hæc intentabit, ut in occultioribus corporis locis à medico ſecetur is, qui Saturnum in lucem ueniens in occaſu ſortitus fuerit Lunam uero aut Saturno oppoſitam, aut quadrangulantem, ni forte benefica ſtella malum prohibuerit. Verū ne omnia uideamur uelle exæcutere, de Ioue quoq; pauca quædā delibemus. Is enim ab inſita ui ac ſuopte ingenio humani corporis ſtatum cum dignitate conſtituit ac pulchritudine, illuſtratq́; colore eò qui argentum referre uideatur, pulchris oculis, multo & promiſſo capillo, toto deniq; corpore modera=

to. Ingenitæ uero à Ioue propensiones in magnanimitatem procli-
nant, ac magnificentiam, in religionem, honestatem, misericordiam,
beneuolentiam, humanitatem, liberalitatem, magniloquentiam, di-
gnam uiro uoluptatem, in benefaciendi item, beneq; dicendi, atq; in=
ueniendi studium. Has, ut diximus, propensiones innuit Iupiter ab
insita ui, ac potestate, ubi scilicet in alicuius uiri genitura cum digni=
tate præerit. Contra indigne collocato, in luxum proclinabunt,
atq; in ostentationem, prodigentiam, fictam religionem, rusticanum
quendam pudorem. Quin etiam ad fatuitatem, stoliditatem, uolupta
tesq; iure odibiles, atq; insectatione dignas. Morbi uero eius specta=
bunt in anginam, malumq; pulmonum, ac spiritus habitum, in ner
uorum resolutionem, capitis dolores, sudoresq; illos nimios, qui car-
diacum indicant, quiq; mali affectus ex inflatione ingenerantur,
quæq; hodie à medicis uentositas dicitur, aut qui à cruditate manāt.
Quod si quæstuosas ad arteis ignobiliter collocatus Iupiter quem-
piam inuitauerit, profectò artes eæ aut augurales erūt, aut sacris in
rebus, templisq; uersabuntur, aut in conciliandis matrimonijs, aut
in exigendis portorijs, siue in athleticis certaminibus. Sed iam ad
Martem transeamus, de eo quoq; pauca quædam dicturi, quando
sigillatim ea nos, diffusiusq; ijs in libris expressimus, quos cœlestibus
ac syderalibus de rebus scripsimus, declarauimusq; quæ erraticæ
cuiusq; sint propria & in genituræ dominatu, & in distribuendis
artibus, opificijsq;. Commotiones à Marte suscitatæ, quæq; appeti-
tum & titillant, & irritant, in rixas propendent, atq; contentiones
(inde enim propensiones à maioribus nostris dictæ) in uiolentiam, ra
pinas, arrogantiam, peruicaciam, contumaciam, excandescentiam, im
patientiam, implacabilitatem, crudelitatem, impietatem, belligera-
tionem. In deorum item contemptum, incontinentiam, temeritatem,
conuiciationem, præcipitationem, perfidiam. Corpus autem ipsum cu
ius Mars erit constitutor, inflammabitur multo, atq; efferuescente san-
guine, ut color eius sit ignitus, capillus rufus, oculi sanguinolenti &
fœdi, trux etiam uultus, portendanturq; nimia de sanguinis æstuatio=
ne inflammationes, febres acutæ, ac pestilentes, insaniæ, ulcera, pu-
stulæ, abscessus, cancer. Eædem etiam propensiones ad militiam inui
tant, uitamq; in ea agendam, atq; inter arma. Cæterum ubi ad ar-
teis deuenietur quæstuosas, propter ignobilem Martis collocationem,
genituræ tempore, artes ipsæ innuuntur ex igne, et ferro, ut ferra-
ria, furnaria, fornacalis, fusoria, conflatoria, cauponaria, laniaria.
Innuuntur & uulnera, & inustiones, ruinæ quoq;, casusq; è locis

editioribus. Quas autem Venus excitat propensiones, eæ in res intendunt iucundas, ac uoluptarias, atq; in ornatum, & cultum, in delicias, mundititas, leporem, elegantias, luxum, nec minus in religionē, pietatem, misericordiam, integritatem, beneficentiam, amicitiæ cultum. Eadem stella mirum in modum cupiditatem excitat, honorum, dignitatis, sacerdotij, præsertim ubi in genitura hominis fuerit cum dignitate collocata. Vbi uero ignobiliter, desidiam portendit, obscuritatem, probrositatem, obiectionem, mulierositatem. Quæ si artes quidem innuerit quæstuosas, erunt eæ organaria, pictura, pigmentaria, atq; earum similes. Corpus longum efficit, candidum, oculos gratos, ac uenustos, capillos etiam multos gignit, & molliter flexos. At male affecta morbos, uitia'q; in partibus corporis occultioribus, ac naturalibus portendit, malam item stomachi, iecinoris'q; affectionem, alui profusionem, fistulas, malum è potionibus, ac ueneficijs. Corpus uero cuius Mercurius author fuerit, medij quidem status erit, gracile tamen, ac pallidum, oculi uero honesti, propensiones ipsæ, atq; affectiones pronæ quidem erunt in literas, scientias, eloquentiæ studium, secretarum, atq; abditarum rerum, & diuinarum & humanarum peruestigationem, in negotiationes, commercia, legationes, aduocationes'q;, in computationem, diligentiam, solertiam, coniecturationem, sagacitatem, frugalitatem, sapientiam. Sequitur autem Mercurius in excitandis affectionibus, applicationibus'q; naturas potissimū signorum et stellarum aliarum configurationes, atq; aspectus. Itaq; si Luna male constituta, mala illū irradiatione pulsauerit, si et Mars item, malignorum humorum superfluentiam indicat, neruorum'q; contractiones, morbum quoq; comitialem, ac delirium. Sol, ac Luna uires suas harum cuiq; uel adiungunt, uel robur ac præsidium afferre suum abnuunt, pro sua quidem collocatione, ac cœli statu. In uniuersum autem Sol fidei studium præ se fert, nobilitatem item, ac generositatem, ad morum quoq; accendit compositionem, ad religionem, atque humanitatem, non tamen ut non & animi elationem exuscitet, & spiritus inflationem. Staturam uero corporis integram præstat, ac bene collocatus addit ad proceritatem, præstat & robur membrorum, egregiam'q; constitutionem, & totius corporis bonum habitum, oculos etiam decoros, capillum uero flauum. At Luna prona est ad splendorem, ad morum egregiam compositionem, ad honoris cupiditatem ac popularem gratiam. In fingendo autem corpore, statura'q; decernenda signi maxime naturam sequitur, pulchritudinem tamen procurat, uitæ uero inæqualita-

tem quæ natura eius est, decernit. Corpori candorem affert, male tamen collocata, atq; affecta non modo maculis illud inficit, aut tetra scabie, uerum languidum efficit ac tremulum, malignos assidue humores instillans. Ex his igitur etsi non multis pro rei quidem magnitudine, ac diuersitate, aperte tamen & intellegere potes & etiam iudicare, quanta cœli potestas ac stellarum sit, quàm ualida etiã uis, non in fortunæ ipsius modo bonis, uerum etiam corporis, nec corporis solum, uerum etiam animi, qua parte mens ipsa cogitatioq; atq; intellegentia à sensibus sumministrata simulachra accipit, uiq; ab illa titillatur, qua & ad appetendum trahimur, & ad appetita consequendum, uoluntate ad id propensius impulsa. Vt nonnunquam tanta etiam uis ipsa sit, impetusq; adeo ualidus, ac pertinax, ut hominem ipsum de statu suo, id est de rationis possessione abstractum impotenter, aut secum in præceps rapiat, aut trudat in insaniam. Quid quod uis hæc ipsa cœlestis, malignitasq; configurationum nunc delirium inducit, nunc lymphationem, morbosq; animorum alios. Siquidem in lucem ueniente aliquo, si Luna nullo prorsus copulationis genere iungetur horoscopo, nulla item Mercurius familiaritate, ac uinculo, Saturnus uero in cardine constitutus fuerit, præsertim si nocturna erit genitura, aut ubi diurna, Mars cardinẽ tenuerit, potissimũq; in Cancro, aut Virgine, aut Piscibus, nimirum hic ipse, qui hac sub cœli configuratione nascetur, dæmoniacus futurus est, hocq; insaniæ genere laborabit, Itidem furore agitabitur, ubi sub hac eadem configuratione Martis, ac Saturni natus quis fuerit, dum tamen Luna nulla prorsus ratione Mercurio copuletur. Quin etiam aut insanus futurus est, aut lunaticus, qui in lucem prodiens Solem, Lunamq; partiliter in aliquo cœli cardine coniũctos habuerit, ac tum Martem alio è cardine illis quadrangulantem, tum Saturnum uel è regione, uel è quadrãgulo eos hostiliter impugnantem. Nec temere igitur, nec præter rerum naturam, ac rationem dictum est à nobis, fortunam tum fati ministram esse, illiq; & obsequi, & famulari, tum exsecutricem eorum omnium, quæ à stellis portendantur, ac cœlo, uel suum ipsius cœli potius, ac stellarum effectum. Nam quæ à cœlo in initio innuuntur, ea uidentur tanquam in motu positæ, deq; ui, ac potestate insita in actionem progressim transitionem suam facere. Quemadmodum usuuenit in arbusculis, quæ initio gemmas quasi quasdam trudunt, post in flores sese induunt, inde in poma, quæ sensim quoq; ematurescunt. Atq; hic quidem ipse fructus ab ipso est initio, atq; ab ipsa gemmarum explicatione promissus. Has itaq; per progressiones, quæ ini-

tio arbor uel innuit, uel promittit, ad fructum tandem perueniunt. Eundem quoq; in modum quæ à primordio cœlestes innuunt portendunt'q; configurationes, positus'q; stellarum atq; habitus, ea suo tandem tempore, promissum fructum, id est effectum ipsum adducunt, suos per motus, per'q; progressiones. quem quidem effectum, ubi felix ipse portenditur, studio industria'q; nostra & adiuuare possumus, et uberiorē reddere, succi'q; melioris, malum autem atq; infelicem uel lenire, uel omnino auertere, uel non parua saltem è parte imminuere. Quod item studiosi rerum rusticarum cultores præstant, runcando, emundando, sarriendo, riuum inducendo, stercorationem adhibēdo, terram sæpius fodiendo, dum nihil in agris remissum esse aut segne patiuntur, nullum'q; relinquunt neglegentiæ locum. Et uero quanquam nonnunquam uis maxima est cœli, ea'q; fortasse insuperabilis, iuuerit tamen, quod prudentis est officium hominis, illud gnauiter præstitisse, ne ignauiter superemur. Ipsius uero bonæ fortunæ, eius'q; continuationis eadem est ratio, quæ aduersantis, & malæ. Vt enim ad malæ continuationem, sic ad bonæ conueniunt & cœli, & signorum, et errantium pariter, fixarum'q; stellarum situs, aspectus, configurationes, quales'q; hæ ab initio fuerint in bonum malum'ue commodum, aut incommodum, tales post effectiones erunt, talis etiam fortunæ euentus. Vbi enim configurationes omni è parte ad felicitatem conuenerint, continuationem seruabunt in conferendis bonis, ea'q; quæ ex conuento et tanquā ex fœdere promissa sunt amice, constanter'q; præstabunt. Sin mistæ fuerint, atq; ex utroq; constabunt, ut & commoda, & incommoda simul portendant, effectiones quoq; & euentus futuri sunt misti, atq; ex utroq; pariter prospero, & aduerso. Quod si configurationes undiq; aduersantes erunt & malæ, malorum non deerunt continuationes, atq; aduersitatum, tenor'q; earum perinde, ac perpetuus futurus. Quas ad res nō nihil aut addent, aut ex iisdem dement patria, parentes, regio, institutio, consuetudo, quin etiam religio, ac secta, in qua natus quis'q; est, atq; educatus, leges item sub aquarum institutis, ac præceptis in communi uiuitur. Quibus è rebus arbitror id effectum esse, lucide ut appareat, fortunam hinc, quantum scilicet nostra interest, euentitiam esse causam, &, ut hodie loquuntur, ex contingenti, ac per accidens, illinc autem qua à cœlo producitur, atq; à syderibus, per naturales, proprios'q; ipsorum motus, atq; effectiones, causam esse per se, suis'q; ad finem progredi è principiis, mediis, atq; agitationibus. Deus autē ipse Optimus Maximus tum sua prouidentia & numine, tum per Geniorum,

hoc est Angelorum intellegentiarumq; ministeria, sic omnia & me titur & regit & dispensat cuncta, ut nostrum nullo modo sit, ei uel le praescribere, aut dispensationis eius, prouidentiaeq; exigere rationẽ. Cui aequo qui assentiuntur animo, eiusq; conquiescunt in distributio ne, ac nutu, et prospera quae succedunt, iucundiora efficiunt, ac magis grata, et quae aduersa, minus grauia, longeq; etiam tolerabiliora.

Quae igitur fortuna sit, et qualis, apertissime quidem uides, quaeq; item sit causa, & quibus fluat è principijs, & quorum etiam sit siue effe ctrix, siue ipse potius effectus, quodq; qua repentina, & quidem ex inopinato offertur, euentitia est, qua uero coelestibus mouetur à causis, sit per se ipsa causa, praeterea quarum sit etiam rerum causa, siue res ipsae de genere bonorum habeantur, siue contra malorum. Vides eti am & fato eam obsequi, & nihilominus uoluntates hominum esse li beras, ac sui iuris. deniq; coeli effectum esse, ac syderum, quibus infe riora haec omnia sint subiecta, praeterquam ubi ratio, mensq; ipsa lo cum, ac maiestatem retinet suam, suoq; se tuetur in solio.

Nos igitur, quoniam rationales sumus, rationisq; ipsius meritis & diui num animal habetur homo, et coelitibus maxime acceptum, rationem omni studio colamus, illi nos, actionesq; nostras, nostra demum omnia adiungamus, eius inhaereamus uestigijs, obtemperemusq; praeceptis. Vt si minus tueri ualuerimus quae fortunae sunt, nostraq; neutiq; in manu posita, quae nostra tamen habentur, rationiq; quae nostra est, uel cognata sunt, uel subdita, ea sic tueamur, ne uel inimicam nobis, ubi praestari id poterit, fortunam fecisse iudicemur, inq; odium pro uocasse eam, rerumq; nostrarum perniciem, aut quo minus ab illa superemur, ubi nobiscum in certamen uenerit, ne non annisi summus etiã conatibus uideamur. Quod si in finibus illã suis, suisq; in agris, conserta manu uincere, minime concessum nobis fuerit, id saltem prae stabimus, ne, dum minime uictores è pugna discedimus, uicti ignaui ter abeamus.

FINIS.

P. Summontius A. Colotio Basso Equiti Aesinati, ac Secretario Apostolico S.

Absoluta est, ut uides, Coloti Pontanica omnis Philosophia. cuius raru hoc, quod de Immanitate opus inscribitur, non est profecto, cur fortasse quispiam ab exiguitate fastidiat, si id non à specie ipsa aestimare uelit, sed à pondere. Est mihi praeterea in animo, cognito iam ubiq; Pontano nostro, atq; ipsius fama extra omne periculum posita iuueniles quosdam eius lusus, si Actio nostro ita uidebitur, in lucem proferre, quorum quidem suppuduisse hominem, illud declarat, quod eius rei nullã, dum uixit, mentionem unquam fecerit. Hi sunt exquisiti quidam commentarioli in Valerium Catullum, cuius illum constat iuuenem studiosissimum fuisse. Quod si iniuria mortuo fiat, edendis ijs, quae ille contemnebat, quaeq; à uiri grauitate aliena omnino uideri possint, audacia haec nostra legentiũ utilitate compensetur. Sunt enim talia, ut neminem omnino ea legisse poeniteat. Reliquum est, ut ignotam tibi esse nõ patiar egregiã Francisci è Picolhomineo genere Aragonei, Bisinianensis Episcopi liberalitatem. Is enim (quae rara est in mortuos fides?) Pontani amicitiam tam sancte, constanterq; post obitum coluit, ut maiora exhiberi uiuo, atq; efflagitanti non potuerint. Nam & pecuniam librarijs ad excudenda haec elargitus est liberaliter, & pro illius fama, atq; immortalitate quiduis sese facturum pollicetur. Quodq; magis mirere, cum Pontano, dum uiueret, parua omnino huic fuit consuetudo. Amicitiam fama auxerat, qualem uel inter absentes conciliare uehemens illa uirtutis opinio solet. Nam quid ego de te hac in parte dicam? qui praeterquam quod domus tua doctis, ac bonis omnibus, ueluti commune quoddam hospitium, semper patuit, Pontano quoq; non solum uiuo, ac sentienti officia amitiae omnia praestitisti, sed nunc eius nomen mira quadã pietate ueneraris. Nec solum scripta haec edenda curas, uerum etiam de erigenda illi more maiorum statua, deq; summis honoribus assidue cogitas. Quo fit, ut nulli omnino inferior tua in illum pietas, ac liberalitas habeatur. Sed desinam ad te plura de te. Vale.

IOANNIS IOVIANI PONTANI DE IMMANITATE LIBER AD HIERONYMVM CARBONEM PATRITIVM NEAPOLITANVM.

S ALVIANVS GALLICAE Gentis Episcoporum magister, Hieronyme Carbo patritie Neapolitane, de Christo ita scripsit, rebusq; Christianis, ut nihilominus historias plurimas, resq; temporum illorum gestas iisdem, & conniunxerit, & inter differendũ explicauerit. Dum enim Dei Optimi Maximi res, mysteriaq; admirabilia comprobare nititur, & suorum, et præteritorum temporum res in exemplum adducit. Nos uero etsi de Deo prima, ut dici solet, fronte minime scribimus, tamen de moribus scribentes hominum, Deo de ipso scribimus, cui nihil carius est, nihil acceptius, quàm quod de proba, perfectaq; hominis institutione præcipitur, moribusq; componendis. Quid enim è uiuentium numero, maiori illi curæ est, aut quid ab eo peculiarius quàm homo & diligitur, & fouetur? Quo autem scribendi consilium omne meum manifestius tibi pateat, sic habeto, de moribus apud Latinos scripsisse Ciceronem, qui id solum mihi secutus uidetur, ut actiones quæ & quales esse debeant, ostenderet, summa cum eloquentia, cuius ipse facile habendus est & magister, & princeps. Cæterum definiendis uirtutibus, explicandis earũ principiis, inumbrandisq; imaginibus, nihil eum prorsus curæ, aut studii impendisse, ut πρακτικῶς hoc est actiuas tantum res uisus sit uelle edocere, ac complecti, ac si Senatorii, consularisq; hoc tantũ esset uiri, munerisq; dignioris, θεωρητικῶς autem res exsequi plebeii cuiuspiam hominis, ac tanquam in otio marcescentis. Apud Græcos uero Theoreticam hanc institutionem ita exsecutum esse Aristotelem, uti actiua ab disciplina omnino recesserit, etsi in illo edocendi genere maxime diligens, ac consumatus appa ret. Post Ciceronem è nostris Senecam multa quidem, maximeq; uitæ hominum utilia, & commoda edisceptasse, cæterum oratorio magis more exhortari ad uirtutem, honestasq; ad actiones legentem, q̃ ut quæ dicat contenderit certis, ac sibi constantibus rationibus com-

probare, aut de principijs ipsis acutius disputare & quaerere, multa tamen admirabiliter loqui, cohortariq; acerrime ad bene uiuendũ auditores, deterrereq; à uitijs, ut libri eius, ut praecepta ab eo tradita, ut deniq; quae ab illo in medium afferuntur exempla, stimuli sint quasi quidam ad honeste agendum, ciuilesq;, ac domesticos ad mores, actionesq; uitae totius sic administrandas, ut beate simul, ac tranquille uitam hanc ducentes, felicitate quidem ipsa uel fruamur adepti, uel consequendam ad eam quàm proxime accedamus. Nos igitur summos & imitatione dignos uiros cum intueremur, ab adolescentia usq; id iudicauimus, quod post executi etiam sumus, singulari esse laude dignum, plurimumq; humano quoq; generi collaturum, scriptitandis rebus moralibus tria haec simul complecti, ut cognitio principiorum ac uirtutum ipsarum per definitiones speciesq; suas, ac differentias, quod Theoreticae est contemplationis, ut practica exercitatio, ususq; ipse uiuendi, id est qui et quales actus ipsi esse debeãt, ostenderetur, utq; ad confirmandos animos, & exempla adiungerẽtur, & sententiae authoritatis plenae, dictaq;, ac facta clarissimorũ uirorum, nostraq; dignorum imitatione, atq; obseruantia. Quod in libris ubiq; nostris, pro uirili tamen conati sumus assequi, quos hactenus de Obedientia scripsimus, de Fortitudine, de Liberalitate, de Magnificentia, ac Splendore, de Magnanimitate item, ac Prudentia, nuper etiam de Fortuna. Idem hoc ipso in libro sequimur, qui est ad te quanquam humanissimum quidem hominem de Immanitate, quae summa est inhumanitas, omnisq; omnino rationis expers, postremaq; ab illa abalienatio. Neq; enim ueremur ne tute ipse titulo offendare, quasi non materia in qua fortes uersantur uiri, sint uel summa etiam pericula, ac mortes, quae natura ab ipsa exhorreantur. An non detrahere immanitati, insectariq; ferinos mores, hoc ipsum est ad humanitatem aut nolentem impellere, aut exhortari uel sponte ad eam proficiscentem? quae quidem ipsa nec docenti mihi, nec audienti timenda sunt tibi. En adstat pugnanti tibi ad latus Eremita Aegidius, qui te & hasta tueatur, hostem propellens, & clypeo muniat à uulneribus. cuius ea uox inter Christianos est, ea authoritas, tanta in dicendo uis, diuinarum, humanarumq; rerum tantus usus, peritia tam eximia, ut Hectore hoc propugnatore, & saluo, nihil tibi omnino metuendum sit, aut non audendum potius, ac uel fortissime incipiendum.

De vitio, ac de virtute, itemq́; de Immanitate.

u

IRTVTEM QVI De ea ſcripſere, aduerſari uitio uolunt, quippe quæ honeſtatem ſequatur, quæq́; homine dignæ ſunt actiones ac negotia, ſeq́; in rebus adminiſtrãdis omnibus, perinde, ut recta dictet ratio, publice, priuatimq́; et inſtituat, et informet. Longe autem ſecus uitium, cum ad inhoneſta quidem delabatur, ac turpia, rationem ipſam uel aſpernetur, ac deſugiat ut parum omnino obediens, uel inſultet illi, improbeq́; inſectetur eam, ut uiolentum, & inſolens. ut quantum illa hominis excellentiæ, dignitatis adiungat, ac nominis, tantum hoc de laudibus eius demat, adijciatq́; infamiæ. Quo'circa laudari uirtutem, & pleno paſſim ore commendari uidemus, contra improbari uitium, ut homine indignum, ac naturæ eius nullo modo conſentaneum, cum illius proprium ſit rationem ſequi, ad illamq́; in cunctis ſeſe adiungere, eiq́; inhærere. Cæterum & inuenti ſunt, & inueniuntur quotidie, atq; utinam non ſingulæ pene` domus ijs eſſent refertæ, qui relicta rationis uia, hominem ipſum exſuant, ac mores induant, naturamq́; ferarum. Quod ſi uitium eſt à ratione, eiusq́; ab uſu, inſtitutioneq́; auerſio, profecto` qui ad belluarũ naturas, feritatemq́; prolabuntur, alia quàm uitioſorum ſunt hominum appellatione aut obiurgandi, aut inſectandi. cum uitia ipſa hominum tantũ ſint, ferarum uero truculentia, atq; immanitas. Sed neſcio quomodo truculentia magis ad ſæuitiam referenda eſt, immanitas ea cuncta magis complectitur, quæ humanitate ab ipſa abhorreant, inſintq́; tantum belluis. quibus quod impetu ſolum ferantur, ignorata prorſus ratione, quæ nulla illis à natura tributa eſt, feris ſit nomen inditum, ac belluis. quippe quæ rapinis tantum inhient, ac uiolentijs, quæ bellorum ſunt propriæ. Cum igitur de uirtutibus ac uitijs abunde ſint à nobis multa literarum mandata monumentis, pars ea nequaquam digna uiſa eſt, quæ à nobis neglegeretur, quæq́; nullis adhuc Latinis à ſcriptoribus, ignorem quæ à Græcis, plane` fuerit aut animaduerſa, aut attentata. Itaq; ad alia quoq; uolumina & hoc accedet quod eſt de Immanitate, ut quantum illa ad uirtutem hortentur, agendiq́; honeſtatem, ac laudem, tantum hæc ab immanibus deterreant actionibus, auocentq́; à ferarum auiditate & impetu. Quid autem nomine ipſo ſignificari Immanitatis uelimus, quo notius id fiat, exẽplo quaſi quodã ante oculos poſito demonſtrabimus,

ut inde definitio ipsa explicatius intellegatur, imagine rei ipsius exposita, et pene dixerim magis, magisq; coloribus adumbrata. Inest homini, eaq; communis est cum belluis cupiditas, atq; alendi corporis studium, rerumq; etiam Veneris, quarum quidem titillatio insita est animantibus cunctis, propter generis procreationem, ac perpetuitatem. Vtriq; autem appetitioni ab hominibus quidem ipsis, ratione & duce, & comite, imposita est lex quaedam, praefinitaq; & certa, ac determinata regula, quam uniuersi sequeremur, quo rei venereae meta praefixa esset sua, itemq; cibationi, ac potui, quae uno nomine alimonia est uocata. Igitur uesci humana carne, hominesq; ipsos hominum sanguine sedare sitim, cumq; equabus misceri, ac pecudibus, hoc ut tetrum, & ab homine alienum, abominandumq;, immane ducimus, censemusq; ad immanitatem referendum, neutiq; uero ad uitium, cum illa ferarum prorsus sit, hoc tantum hominum.
Ad haec cum uirtus sequatur mediocritatem, quaeq; recta sunt, atq; honesta officia, secus autem uitium & defugiat illa, & auersetur, nimirum scelera haec qui sequantur, non tantum à mediocritate recedunt longius, ipsaq; ab honestate, ac rectitudine. uerum perinde, ac belluae ignorare illam se fatentur, exsutaq; uel abiecta potius hominis natura, ac ratione ad feras transeunt. Quod factitatum uidetur ab Cola Pisce, homine Siculo, qui relicta humana societate omnem ferè uitam ab ipsa pueritia in mari egit atq; inter pisces. Quae re factum est illi Piscis agnomentum, ut non hominis mores tantum exuerit, uerum etiam ipsam penè effigiem, liuidus, squamosus, horridus. Quocirca Immanitati qui se tradiderint, hi prostrata hominis natura, ab impetu rapiuntur, belluarumq; ab impotentia, ac rapacitate. Qui enim uitium sequitur, is à recto tantum, honestoq; recedit, at qui immanitatem, ab homine ipso prorsus abiens ad feras transit, belluinamq; naturam. Nec uero Immanium hominum unum est genus, aut una Immanitatis species, uerum ea multimoda est, nec una tantum in re, uerum in pluribus, ac diuersis nota, quemadmodum à nobis non solum per genera ipsa, uerum etiam per species declarabitur. cum unus, idemq; uix omnis eius partes fuerit complexus, exq; toto eam affectus, sicuti etiam in auaritia usu uenit. Quid quod ea quae uitia appellãtur, aut ab excessu ea exsistunt, aut à defectu, uterq; enim in actionibus uersatur. Immanitas autem ab horum neutro uidetur originem ducere. Vbi enim in belluam ex homine fit transitio, omnis protinus abijcitur mediocritas, ac modus, quae quidem tantum sunt hominis, minime uero pecudum, earumq; sanguinolentarum. Haec

turum. Hæc autem pluribus quidem in hanc à nobis sententiam di cuntur, quo planè, magis'q; ac magis intellegatur. Immanitatem uiti um omne super gressam esse, minimé'q; uitij appellatione cōprehendi, quippe cum ne habitus quidem satis recte dici queat, cum habitus ipse sit aut uitij, aut uirtutis. At dixerit fortasse quispiam deprauatam eam esse uoluntatem. non inepte sanè hoc quidem. Sed cum uolun tas unius sit hominis, per Immanitatem autem transeatur ad ea quæ sunt belluæ, uidendum est ne non sit exacte, satis'q; explicate, atq; apposite dictum. Cum ea pars sensus quæ rationi se accommodat, & uitia & uirtutes excitet, hæc uero ipsa, tanta'q; commotio, maior'q; quædam, atq; impotentior libido uidetur ad partem illam potius re ferenda, quæ à ratione modis omnibus auersa est, atq; aliena. Itaq; commode fortasse atq; è rei ipsius natura, si dixerimus. Immanita- tem ferinum quendam esse uiuendi impetum, insatiabilem'ue homi- nis appetitionem, prostrata ratione, ac uoluntate, eaq; prorsus abalie nata à recto, honesto'q;. Hæc autem ipsa quamuis sint eiusmodi, actio nes tamen ipsæ licet ferarum sint similes, solius tamen cum sint homi nis, nimirum sic uidetur finienda Immanitas, ut ea sit habitus qui- dam hominis ab omni prorsus humanitate, ac mediocritate seiun- ctus, uerseturq; circa dolores, ac uoluptates è feritate prouenietes. Ha bitus autem huic contrarius qui sit, re ipsa facilius intellegitur, quàm ut nomine explicetur suo. Siquidem Immanitas cum sit priuatio, ut iniustitia, ut inconstantia, harum contrarius habitus iustitia est, ac constantia. At manitas in nullo est dicendi usu, cum ea tamen ipsa priscis illis seculis fuerit, apud quæ manum erat bonum, unde manes dicti, & diei ipsius prima pars mane. Ni forte ab usu quo- dam, & à propinquitate quasi quadam humanitatem ei uelimus è regione opponere. ut quantum Immanitas ipsa ab usu recedit, di gnitate'q; hominis, ac natura, declinat'q; ferinos ad impetus, tan- tum humanitas ipsa ex aduerso, belluarū abhorreat à feritate appe titionibus'q; teterrimis, sequatur'q; ea complectens cuncta quæ sint ma xime homine digna, & propria, rationi'q;, qua præditus est ex ani- mantibus ipse solus, consentanea, atq; accommoda. Cuius contrarium habitum qui sint consecuti, Immanes ipsi dicantur.

An qui parentes occiderit, statim sit immanis?

Hac autem in quæstione, potissimum'q; hac in parte quærendum uide tur, cum habitus ipse frequentes præ se ferat actiones, usus'q; continua

tionem, an qui patrem impie occiderit, aut matrem, e' uestigio ille quidem hoc uno, quanquam detestabilissimo scelere, factus sit Immanis? videlicet non & Alexander ille Macedo, una pugna qua Dareum uicit Regem, tota potitus est Asia? Quis'nam, quis obsecro nisi unum habet patrem, aut unam matrem? quasi non qui paterno, aut materno foedauit se sanguine, prae se ferat aduersus homines caeteros omnis generis grassationem indiscriminate exercitaturum atq; sicam? Quod Nero quidem praestitit matre caesa, fratreq; ueneno sublato, ac si plures ipse, aut matres habuisset, aut fratres & iterum, & tertio manus illas tam nefarias illorum caedibus contaminaturus, quas in uxorem etiam grauidam contaminauerit, aliasq; tum mulieres, tum uiros ex necessarijs, ac propinquis. vnum itaq; huiusmodi facinus ut maxime rarum, ut summe detestandum, exsecrandum'q;, plus saeuitiae secum affert, ac sanguinolentiae, quàm in gregem plurimorum hominum exercuisse carnificinam. At dicet aliquis eiusmodi scelera plerunq; afferre solere facti subitam poenitudinem. quod nequaquam inficiamur, consuesse accidere tamen, ut magnanimitati permultae coniunctae sunt uirtutes, sic et immanibus perquam multa etiã comitantur uitia, flagitiosissimi ipsi quidem deprauatorum animorũ satellites. Nam & incontinentes, ut de Medea tradit Ouidius, uident meliora, probant'q;, sequuntur tamen deteriora. Itaq; siquando poenitentia ipsa facti animum'moerore cõficit, quod naturae quidem ipsius munus est propriũ, insitae'q; à natura rationis, id quod Poetae ipsi innuunt, cum Alcmeonem maternis umbris uexari solitum referunt, tamen ferinus ille, ac maxime rabidus impetus et rationẽ pessundat, & quod suum est, ad illud rursus libens, ac uolens rapitur. Enectis parentibus Iulianus ita de caetero uixit, ea adhibuit piacula, ut suũ post obitum merito fuerit inter diuos à Christianis relatus. Ignorans Iulianus patrem sustulit, suspicatus adulterũ, ac nihilominus patricidae nomen sanctitas ipsa auferre illi nullo modo quiuit. Et habitus quidem eiusmodi est, qui etsi non facile, auferri tamen queat, et in meliorem à deteriore conuerti. Quod è Christianis plurimi fecere, & quotidie faciunt, ut qui relicta militia, aut opificijs, impuro'q; aliquo uitae genere, in claustra religionis tanq̃ tutissimum in portũ sese trãsferunt uitã illic summa cum integritate agentes, ac sanctimonia.

Immanitatis speciem quandam uersari circa religionem.

Quae igitur sit Immanitas, qualis'q; q ea utitur, in uniersum sit ostensum. nũc ad ea quae generi tanquam species cognatae sunt, ordine suo

progrediamur. Igitur cum religio sit homini à natura insita, nul-
læq; tam feræ sint, aut barbaræ nationes, quæ Deum non confitean
tur, suis'q; illum uenerentur honoribus, ac placare studeant sacrifi=
cijs, in primo, ac maximo immanitatis genere uersari mihi uidentur
illi quidem, Deum esse qui negant, aut si esse confiteantur, cultum ta=
men illi suum, ut nullam habenti rerum humanarum curam, mini
me tribuendum censent, ne'ue ab alijs tribuatur, & dissuadent ipsi,
& qua possunt etiam arte, ac uia prohibent. In toto autem hoc gene
re, non uno tantum modo peccatur, nam ut reperti sunt qui erga Deũ
ingratissimi fuere, & reperiuntur quotidie non summates tantum ui
ri, qui'q; potentatibus abutuntur, uerum etiam infimi, ac plebeij ho-
mines, sic etiam qui dum placare Deum uolunt, singuli tum homines,
tum ciuitates, ac populi hominem ipsum priuatis, & publicis in sa-
crificijs mactauerint, ac sanguine eius aras imbutas consperserint.
Apud Dianam Tauricam hostiæ erant peregrini, et hospites. Quid
abominabilius, horribilius'q;? Apud Carthaginem annis singulis ma
ctati hominis sanguine Saturno diuina res fiebat. Quid Deo aut di
uino cultu indignius? magis'q; ab homine defugiendum, aut cœliti-
bus ipsis minus'q;, ac minus gratum? Quo'circa ut alteri, excessu ac
nimij cultus studio, immanitate pollucebantur, sic alteri defectu, dũ
in colendo Deo maxime sunt impij, beneficiorum'q; eius, ac sui im-
memores, immanes autem utriq;. Quid enim aut naturæ hominis
magis aduersum, quàm naturæ ipsi rebellẽ fieri? aut quid est aliud
perduellionis reum esse, quàm eripere ei uoluisse cui omnia debean-
tur, suos honores, sua iura, nullum deniq; esse eum dicere? Ad hæc
quid diuina illa maiestate, beneficentia'q; indignius, quàm, dum san
guine gaudere illum humano putes, hominem ei id est te ipsum ut
iugules, ad aram conficias, mactes? O' mores maxime sanguinolentos,
pietatem'q; summe truculentam, o' cultum feris ipsis quas imitaris hor
ribilem, ac formidãdum. Creditum quoq; est, Catilinam, ante quàm
orationem habuisset ad populares sui sceleris, humani corporis san=
guinem uino permistum in pateris circũtulisse, eoq; ab singulis degusta
to aperuisse consilium suũ, id'q; ideo fecisse, quo, ut Sallustius ait, inter
sese magis fidi forent alius alij tanti facinoris conscij, ac si post eam
exsecrationem, qui rem aperuisset, Deos iratos infestos'q; habiturus
esset, fidei'q;, ac iuris iurandi corrupti ultores. Refert Tacitus consuesse
Reges quosdam, quoties societates inirent, iunctis simul dextris, polli=
ces inter se uincire, nodo'q; pstringere, atq; ubi sanguis in artus suffu
sus esset exteriores, leui ictu cruorẽ eruere, eum'q; inuicẽ lãbere, id'q;

fœdus arcanum haberi solitum, quasi mutuo cruore sacratum. Subijciet hac in quæstione quispiam, excessum hunc perinde ut in pecuniæ prodigentia, minus esse condemnandum, quod prodigentes tandem aliquando exsuperantia cognita regredi ad medium sint soliti, cum auaritia in dies fiat procerior. Quid? quod inuenti sunt qui dũ nulla in Deum mouentur reuerentia, post uero etiam ad superstitionem transierint, ut qui ab auaritia ad effusionem. Vterq; igitur affectus cum sit improbus, uniuersim tamen facilior ab excessu est ad mediocritatem reditus, si non in cunctis, tamen in plerisq; quàm abhostili & maxime contrario affectu, abnegationeq; ab ipsa Dei conuerti ad uenerandũ illum, atq; magnificandũ, cum in altero modus tantum desyderetur. Tertium ijs accedit genus inanis cuiusdam, uanæq; omnino superstitionis, quæ quod anilis sit, quis'nam obsecro ad immanitatem illam referat? Nam & gentes quasdam coluisse canes, ibides'ue, quodq; religiosum haberetur, abstinuisse piscibus, haudquaquam uideri potest illas ab ratione rebellasse, diuinaq;, quæ in homine est, parte. cum ignorantiæ sit hoc potius meticulositatisq; cuiuspiam, nec tam sit ad uoluntatem referendum, quàm ad ueri ignorationem. cum tamen ultroneum sit illud, aut uoluntate abutens ipsa, ferinum, sanguinarium, atq; immane penitus. Quid quod in Deum alij diuinamq; maiestatem ingenij opes omnis uim, potentiam, ubertatemq; dicendi conuerterunt, aduersus religionem, id est naturam ipsam impie impotenterq; scriptis illati, quodq; monstrosum iudicatum sit, Deum ipsum ab hominibus uexari, suisq; illum è sedibus, augustoq; è tribunali tentasse pellere, ac deijcere, inde fictum est, Gigantes è tera genitos, remotissimisq; à cœlo locis, quod ratione nulla præditi, nullo ueræ cognitionis ductu ad uiolenta traherentur, actionesq; maxime impias, ac detestabiles, quodq; non tam incederent, quàm obserperent, qui progressus animalium esset uenenosissimorum, serpentinis eos pedibus, uel serpentibus ipsis potius, pro pedibus uti dixere. Immanes igitur Gigantes non uastitate solum corporis, ac deformitate, uerum etiam affectatione, & impetu. At non immane, sed anile potius, aut fortasse Dei de benignitate recte est sentire, id sibi persuadere, placari Deum placentula, aut mola salsa, fasciculo'ue spicarum. Vides igitur diuino in cultu quot modis peccetur, & qua etiam uia recedatur à ratione. hominisq; à dignitate, atq; excellentia, quantusq; ab ea fiat ad immanitatem prolapsus. Parum uisum est Alexandro, Philippi esse maximi, ac fortissimi Regis filium. Quid immanius, quàm homi

nem, ac Regis maximi filium, humanæ pudentem ſortis, ac pigen-
tem Regiæ prognationis, Deum ad adulteria euocare, uxoriasq́; li-
bidines? Salmoneus & Iouis tonitrua effinxit, & diuinos ſibi hono
res exhiberi expoſtulauit. Quid aut dementius, aut ab humanitate
ipſa remotius? Nã quod Scipio lætaretur, exultaretq́;, Iouis dici, atq;
haberi ſe filium, hoc ad ambitionem potius, quàm ad immanitatem
referendum uideatur. ſicuti ad dementiam uel furorem magis, quæ
in hoc ipſo genere ab Caio, qui in Cæſarum ſucceſſit ſerie admiſſa
ſunt plurima. Ac de his hac in parte, ipſoq́; in aſtructionis huius no
ſtræ limine dictum ſit hactenus.

De Immanitate, quæ exſiſtit ex occupata patriæ libertate.

Sequitur aliud immanitatis genus maxime huic propinquum, ac coniũ
ctum. Nã cum poſt Deum patria ſecundũ obtineat locum, quæ inte
ſtabilior, magisq́; uiolenta poteſt eſſe immanitatis ſpecies, quàm occu=
pata patria libertatem ciuibus ſuis eripere, tyrannidemq́; exercę-
re, ac inter rapinas, exſilia, graſſationes, torturasq́; uerſari, ac cædes
continuas? parte alia uitam agere uoluptariam? ut utroq; uitæ gene
re belluas uideare ſequi, illarumq́; inhærere ueſtigijs, rationabiliq́;
parte deprauata, ancillatum agere tum immundiſſimarum uolu-
ptatum, tum rabioſi impetus appetitionumq́; uiolentiſſimarum. Inſe
ctatus dicitur monſtra Hercules pro tuenda libertate, aut reſtituen-
da ijs quibus fuiſſet adempta. quæ ob merita inter Deos ipſe conſen
ſu hominum relatus eſt. Timebat uxores Dionyſius, ac maxime ſuſpe
ctas tum has habebat, tum etiam filias. adurebat ſibi capillum can
dente carbone, dum omnes pauitat, dum nulli fidit, propter con=
taminatiſſimam cædibus, rapinisq́; conſcientiam. Quid autem im=
manius, quàm filias metuere, cum ex aduerſo uideamus feras ipſas,
ad quas relicto homine hi ipſi rapiuntur, pro tuendis catulis ſuis
etiam in uenatorum tela incurrere, proq́; illorum ſalute mortem
quam euitare fuga poſſent, uolentes oppetere. ut belluis ipſis appa-
reant tum inferiores, tum etiam deteriores. Ciuilia illa tot, & tan-
ta Romanorum bella quid præ ſe aliud ferunt, quàm ſummam,
deteſtabiliſſimamq́; immanitatem. qua in re uel truculentiſſima ex=
ſuperauerint animalia. Quando enim aut leones, aut tigrides in
aciem prodierunt aduerſum ſe ipſas, coactis undiq; ex Aſia Euro-
paq́;, atq; ex Africa præſidijs? Quo fit ut in hoc ipſo genere imma-
nitatis, homines ipſis ſint belluis ſuperiores, facileq́; uincant eas ipſius

quoq; ſenſus nedum rationis abuſu, impotentiſſimaq́; appetitus ex-
ſultatione, ac dominatu. Itaq; in hoc ipſo ſcelerum, ac malorum tu
multu, ac calamitate pater in filij, filius in patris uiſcera gladium
adegit, mutuoq́; ſeſe confœdauerunt cruore, id quod nullis unquam
in prælijs præterquam ciuilibus contigiſſe legitur. ut iure exclamare
» liceat Terentianis uerbis O' cœlum, o' terra, o' maria Neptunia.
» Quid enim a' ſole ſpectari potuit indignius, ipſisq́; ab cœlitibus?
Verum in hoc ipſo ſceleratiſſimæ cupiditatis genere non ciues mo-
do peccant, patriæq́; ſuæ occupatores, uerum ſanguinolẽtiſſime etiam
cruentantur ij qui domini dicuntur Reges'ue, atq; id genus potentatus
alij, dum alius alium gladio aut ueneno effert regnandi gratia.
An non patrem hic ipſum, ille autem fratrem ſuſtulit aut e' cogna
» tis aliquẽ? Deſamata illa tantopere Thebana bella quid aliud decan
» tant, quanquam miſerabilem in modum, præterquam, fraternas
» acies, alternaq́; regna proſanis decertata odijs? Auguſtus Cæſario-
nem Cæſaris patris ex Cleopatra filium e' medio ſuſtulit, quo ſolus
imperaret. Non multis nos ante annis Mahometus fratrem ſuum
gladio confecit, quo ſolus ipſe ſuccederet Amoratho patri in Aſiæ, ac
Græciæ imperio. Qua e' ſucceſſione imperium Conſtantinopolita-
num funditus euerſum eſt. Ludouicus Galliarum Rex Caroli Octa
ui pater eius qui regnum Neapolitanum his ipſis uexauit annis
in fratrem etiam ſuum graſſatus eſt, atq; haud multo poſt Lu-
douicus Maria in Galeatij fratris filium, quo ipſe Ducatu Medio-
lanenſi liber, ac ſolus poteretur. Pauciſſimus nuper mẽſibus apud Tu
neta in Africa de regno ita decertatum eſt, ut fratres ipſi fratrumq́;
ipſorum filij ſeſe inuicem trucidauerint. Itaq; regna ipſa, dominatus,
imperia uidentur allectamenta eſſe quædam ad poſtremam etiam im
manitatem, ſanguinisq́; cognati effuſionem.

In quo differant inter ſe Crudelitas & Immanitas.

Quoniam autem magna quædam ineſſe uidetur immanitati cum cru-
delitate communitas, prætereundum non eſt, quibus in rebus hæc ab
illa differat. quippe cum crudelitas uindictam magis ſequatur, nec
electione ſit uacua, hæc uero impetu potius rapiatur, ſponteq́; feratur
ſua in præceps. Ad hæc crudelitas legem humanam, ritusq́; tantum
honeſtos tranſgreditur, cum per immanitatem ab homine deſciſca
tur, fiatq́; ad beſtias etiam monſtroſas, atq; ad illarum rabiem tran
ſitio, ſitq́; hæc ipſa immanitas in quibuſdam feritate etiam maior, ac

uiolentior. Quænam enim è numero bestiarum mater inuenta, quæ fœtum medicamentis adhibitis ex utero eiecerit? aut, ne pari-tudo ipsam palā fieret, in cloacas suffocauerit editam prolem? aut uiuam tellure suffossa condiderit? Quo fit, ut quemadmodum crudelitas immanitati nonnunquam exsistit propinquior, sic immanitas illam persæpe dedignetur sociam, cum ubiq; & impetu eam antecedat, & rabie, sitq; crudelitas contenta explesse quidem libidinem, ut si non pœnitudine capta, tamen aliquādo exatiata uideatur. hæc uero puerilem in modum nonnunquam eam ipsam crudelitatem ludum sibi constituat, in quo exsiliat, uoluptatem solam è sanguinolentia quæritans. Nā et Claudius Augustus gladiatorijs in muneribus qui fortasse prolapsi essent, iugulari iubebat, quo exspirantiū ora ac faciem cerneret. quin & ipse aderat tormentis questionum, spectabatq; summa cum uoluptate cruciatus, ac pœnas. Mahometus Turcarum imperator consueuit post uictorias, ac prædas è captiuorum numero nunc pluribus, nunc paucioribus in conspectum suum adductis, edicere, in frustra uti conciderentur, spectatorem se se ludi eius exhibens. Esset fortasse hoc excusabile iure belli, perinde ut Romani excusatu digni uideri possunt Imperatores, legum authoritate, atq; urbis moribus, quod bestijs obijcerent maleficiarios quosdam. Quis autem excusabit principes uiros, qui paria gladiatorum, eaq; complura exhibebant in arena spectaculum, atq; in populi gratiam? ac si non & bellum ferarum potius sit, quàm hominum. Itaq; sæpenumero immanitas crudelitatem ipsam ludum sibi statuit, & ludere eam quàm sæuire magis dicas, Cum tamen crudelitas satiari tantum supplicijs, ac sanguine contenta sit. Masius Barresa Brutijs cum exercitu præpositus à Ferdinando Rege iussit quosdam non contentus à lege constitutis supplicijs, serra per lumbos adacta secari. O supplicium inexcogitatum, uoluptatemq; summe exsecrandam, omniq; feritate maiorem. Potuisset autem uideri imitatus Caium Cæsarem, qui non paucos serra medios discerpserit, uerum ignorauit Masius omnino literas.

De mulierum immanitate circa fœtus proprios.

Sed iā explicatis ijs, quæ in hoc uersantur genere, ad aliā siue partem siue speciē īmanitatis trāseamus, quæ ad mulieres spectare, q̄ ad uiros potius uidetur. Nec uero mirū tibi sit Hieronyme, à patria nos cōfestim ad mulieres transire. nā quanq̄ q in patriā, impotentiā exercet suā, uim ciuibus infert uniuersis, ac ciuilibus legibus, Tn̄ nescio quomodo taciti magis exsecramur eas, quæ sexu imbecilliore naturā in̄ ipsam,

legem'q; ortus nostri naturalem impetu tam monstrifico uiolent, atq; in partus suos tam impie debacchentur, ac prodigiose. Quod quidē exsecrationis genus maxime sacerdotes attingit, quæ Deo uirginitatem cum uouerint, pollutis tamen uotis, rituq; sacerdotali periuranter, atq; inceste contaminato, grauidæ factæ, ne scelus pateat, exsecrabiliori conantur scelere id ipsum prohibere, ac corrigere, dum aut medicaminibus adhibitis abortionem procurant, aut partum statim ipsum exanimant, terræ'q; aut cloacis clàm infodiunt. Nec uero monstrosa hac feritate sacerdotes tantum, uerum etiam uiduæ, ac nubiles puellæ, splendidissimæ'q; etiam fœdantur familiæ. Vir maxime notus, mihiq; perfamiliaris ædes cum emisset, emundaret'q; latrinarum sordes, inter'q; emundandum accurrisset subitam ad exclamationem redemptoris, operam eam facientis, animaduertit infantuli cadauerculum sordibus illis inuolutum, quod statim inde exemptum iussit religioso in loco humari. Compertas audio etiā uxores, quæ ut uiros hoc iniuriarum genere insectarētur, aut illatas ab illis iniurias ulciscerentur hac potissimum ratione, in lucem uenientem prolem proprijs eliserint manibus. Dij immortales, quæ ferarū erit truculentia cum hac comparanda? Non solum autem hoc exsecramenti genere mulieres contaminantur ipsæ, uerum etiam earum ipsarum amatores, qui & ipsi sceleris tam nefarij exsecrabilis'q;, aut conscij sunt, aut authores, aut etiam administri.

De Immanitate quæ uersatur circa expositionem liberorum.

Nec uero immanitate sua caret liberorum expositio. permulta tamen excusare illam possunt, ut summa rei familiaris tenuitas, quæ satis nullo modo sit alendæ soboli, ut euitandæ summæ infamiæ gratia, ut etiam cædis maternæ auertendæ respectus, defugiendiq; supplicij, ob adulterium aut incestum, quod quamuis ita sit, excusatione ex ipsa tamen crimen magis imminuitur, quàm diluitur. Quid enim iniustius, quàm parentes in prolem, quæ ope eorum in ortu ipso cum primis indigeat, non modo inofficiosos esse, uerum etiā impios, ac carnifices? tametsi ea occurri ratione potest, quæ est, duobus è malis minus eligendum esse. Cæterum expositio ipsa duplex est, earum'q; alteri proposita salus est, mors uero alteri. Amuliana illa expositio cum primis barbara, præterquam si lege ita cautum, & constitutum esset de incesta Vestali, de'q; eius partu. Nam quæ de Cyro refertur, ea

expositio quam recipit excusationem? Qui uero siue patres, siue matres ea conditione liberos exponunt, ut partus saluos faciant, digni sunt laude, eiusmodiq; actiones oppido quàm humanæ, ac tuendi generis gratia susceptæ, qui uero ut infamias defugiant, ac cruciatus, accusandi, quod uolentes crimen quidem aduersus rectum honestūq;, præterq; ciuiles leges, moresq; bonos patrauerint, nō tamen improbandi, quod saluti consuluerint, cuius nobis à natura insita est cupiditas, ac studium. Cui rei prospicientes Christiani loca quædam sacra frequentissimis quibusq; in urbibus constituere, quæ hospitalia dicantur, ad quæ pueri, puellæq; exponendæ noctu deferantur, ac sine arbitris, quo & expositio occulta sit, & infantes expositi commode alantur, ac publice, eaq; ratione obuiam eatur infamiæ pariter, atq; immanitati, moribusq; maxime barbaris. Nāq; apud Aethiopes, quorum non exigua pars humano uescitur sanguine, dictiq; inde ἀνθρωποφάγοι, passim inuenias parentes, qui liberos frumento ducendæ uitæ gratia mutent cum mercatoribus, eosq; pro uictu suo seruituti addicant. qua è regens ea apud omnis nationes seruitutem seruit ignobilissimam.

Proditores quoq; habendos esse inter immanes.

Nuper Ludouicus Maria qui post turpissimam illam fugam, uocatus à nobilitate, ac popularibus, Mediolanum eiectis inde Gallis receperat, cum maximam Heluetiorum manum, ac Brigantum ad stipendia conduxisset, confligendumq; Gallico cum exercitu esset, inter ipsas acies, ac tubarum penè cantus ab Heluetijs ipsis captus est, pecuniaq; accepta Ludouico Regi Galliarum per turpissimam proditionem ue nundatus traditur. Itaq; auaritia ipsa non modo, ut Sallustius inquit, corpus, animumq; uirilem effœminat, uerum etiam & efferat, & ad immanitatem impellit. Quid enim hoc ipso aut scelere sceleratius, aut exsecramine exsecrabilius? Quo circa ab hoc immanitatis genere eiusq; quàm fœdissimæ ne proditores quidem ipsi uidentur eximendi. Quid enim immanius quàm fidē fallere? quàm iusiurandum ac Deos ipsos uenales habere? Regnum Neapolitanū hoc ipso genere infidelitatis, in maxima sæpe mala incidit, ultimaq; discrimina. Cum Alphonsus, & Antonius Caldora collatis signis inter se dimicarent, atq; utrinq; summis pugnaretur uiribus, Paulus Sangrius, qui in exercitu Antonij princeps esset authoritate ac uiribus, uersis in Antonium hastis, ac gladijs ad Alphon-

ſi partes tranſijt, cum maxima etiam parte copiarum. quo facto Antonij exercitus ſuperatus, ille captus eſt, caſtra'q; eius direpta. Quid igitur aut Sol ipſe uidit hoc indignius, aut res humanæ infidelius? Quæ ſi immanitas dicenda non eſt, ignorem penitus quid ſit, quod immane uocitari debeat, ac ferum. Tametſi inter feras nullus uidetur eſſe proditioni locus, cum ſcelus hoc ſolius ſit omnino hominis, quippe cui ſoli fides inſit, iuris'q; iurandi religio. ut proditio alio quodã uideatur eſſe è genere, de qua hoc in loco innuiſſe magis, quàm diſſeruiſſe uideri uolumus.

Quæ ſint propriæ immanium hominum uoluptates ſeu dolores.

Omnino autem immanis proprium eſt hominis, præter modum & exſultare feritate, & dolere uehementius ubi eius uſum ſibi ademptũ intellegat. Siquidem eiuſmodi appetitio prorſus cum ſit belluæ, immanem illum reddit, ac tantopere abominandum. Quæ cauſa eſt, cur in capienda uoluptate non uultus eius ſolum præ ſe ferat geſtientiam quandam, ſed totius etiam corporis, membrorum'q; ferè ſingulorum commotio. Contra frons triſtis, uultus maxime turbatus, ac mœrens, uerba quaſi uenenum ſpirantia, ubi cupiditati fieri ſatis nequeat. ſentiatur'q; erepta quaſi de manu præda, ut de dolore interdum ipſo furere uideatur, perinde, ac è uoluptate laſciuire. Videas itaq; alios in ipſis cædibus, ac cruciatibus præ gaudio, geſtientia'q; ſui compotes non eſſe. Voluit Nero occiſæ matris corpus & inſpicere, et contrectare nudum, & tum hoc membrum laudauit, tum illud uituperauit. quin exorta interim ſiti, poculum ſibi afferri iuſſit, uidelicet matris ipſius manibus parentaturus. Caius ante eum Cæſar, curiam ingredientem Senatorem, graphijs primo confoſſum, poſt etiam dilaceratum, inde in membra & artus ac uiſcera diſcerptum per urbis uicos trahi iuſſit, deniq; ante ſe ipſum collecta ea congeri, quo & animus cum primis & oculi exſatiarentur aſpectu tam fœdo, ac uoluptate tam nefaria & perdita. Idem & Papinium conſularis uiri filium, & Baſſum quæſtorem ſuum, procuratoris'q; ſui filiũ, alios'q; item tum Senatores, tum equites Romanos, eodem ſimul die & flagellis cecidit, & torſit, non quæſtionis, ſed, ut Seneca tradit, animi tantum, ac uoluptatis gratia. Quin etiam ſanguinariæ huius uoluptatis differendæ, moræ'q; eius impatiens, cum inambularet in xyſto maternorum hortorum, lucem'q; inſequentem ſumendis ſuppli-

cijs expectare neutiq; posset, Senatores quosdã cum matronis quoq; decollari ad lucernam iussit. Ne uero sæuitiam suam non ex omni occasione notam faceret, uotum exegit ab eo qui pro salute sua gladiatoriam promiserat operam, utq; Suetonius meminit, spectauit ipse ferro dimicantem, nec dimisit nisi uictorem, ac post multas preces. Alterum, qui se periturum eadem causa uouerat, cunctantem pueris tradidit uerberatum, infulatumq; uotum reposcentes per uicos ut agerent, quoad præcipitarent ex aggere. Aspicias item alios non posse temperare auiditatem illam, libidinemq; sanguinariam. Itaq; Vitellius nobili uiro coæquali, ac condiscipulo, ut Tranquillus refert, satis sibi esse non duxit, per alium uenenum miscere, nisi ipse manu sua sitienti illi, ac de febri frigidam petenti, ueneno tinctam præbuisset. Cumq; quempiam aliquando coràm se necari iussisset, conuersus ad eos qui astabant, Et oculi, inquit, pascendi sunt. Alios per sales quoq;, ac facetias deliquescere tanquam titillatione inter sæuiẽdum. Nam & Caius, de quo dictum est, prætorio uiro, qui in Anticyram secessisset insulam ualetudinis gratia atq; natiui ellebori, necem cum machinaretur, iussissetq; illum interimi, iocabundus inquit, quando tam diu nihil profecissent ellebori, sanguinem ei mittendũ esse. Cumq; eodem quoq; tempore è Gallia quosdam, quosdam è Græcia condẽnari imperasset gloriabundus, Bene habet, inquit, quando Gallogræciam iam subegimus. Neronem proditum est, concupisse quos morti destinasset, obijcere deuorandos Polyphago cuidam Aegyptio, qui crudis omnis generis carnibus uesceretur. Ferdinandus Rex Neapolitanorum præclaros etiam uiros conclusos carcere etiam bene, atq; abunde pascebat, eandem ex ijs uoluptatem capiẽs, quam pueri è conclusis in cauea auiculis. qua de re sæpenumero sibi ipsi inter intimos suos diu, multumq; gratulatus subblanditusq; in risum tandem, ac cachinnos profundebatur. Tiberius Cæsar in omni sæuitiæ genere ita uolutatus est, uti nullus à pœna hominum cessauerit dies, ne religiosus quidem, ac sacer, nullum non crimen fuerit pro capitali receptum. Hos igitur ut relaxare animum, ac tanquam saginare in aliorum cruciatibus, ac dilacerationibus uideas, sic alios dolore nimio premi, & quassari animo, ac confici, quod sanguine nequeant sitim sedare tantopere arescentem, oculosq; recreare torturis. Nimis quàm anxie questus legitur idem is Caius, quod sua quidem tempora nullis insignirentur calamitatibus, & ijs quidem publicis. O' monstrum non Cæsarum modo omnium, uerũ etiã

mortalium cunctorum, qui publicis quoq; ruinis pascere animum cu peret. Quae igitur sitis erat eius, ubi in quem aut unum, aut plus cu los exsatiare appetitum sanguinantis illius cupiditatis uellet, cum eadem feritate accenderetur in omnes? Itaq; & hiatus hic terarum desyderabat, & motus illos ingentissimos, qui urbes, ac regiones substernerent, & exercituum calamitates, internitionesq; regnorum, & pestilentias illas humani generis haustrices. Quippe qui optauerit populum Romanum unam tantum ceruicem habere, quo uno simul ictu uniuersum conficeret, cogitaueritq; aliquando de integro Senatu trucidando. Tiberius de quo paulo ante mentionem fecimus, cum intellexisset Carnuleium in quem grassari tormentis decreuerat, mortem anticipasse, ira, atq; indignatione percitus exclamauit, Carnuleius me euasit? ut uitam sibi suam ex ea re pene molestam esse ostenderet. Quibus igitur in uoluptatibus immanitas uersetur aut doloribus, quaeq; sint eius oblectamenta, aut pugiones, iam uidetis. quamobrem ad alias eius partes transeamus.

Immanitatem ab iniustitia proficisci, nec non aliquando à nimio rerum futurarum metu.

Manare autem immanitatem ab iniustitia potissimum, è fonte quasi quodam, ea quae à nobis dicta sunt, aperte quidē docent. Quid enim iniustius quam erga Deum ingratitudine uti? erga patriam impotentia? erga parentes, filios, cognatos, amicos impietate, crudelitate, sanguinolentia, inconstanti ac fluxa fide erga eos, qui publicam rem administrent, & cui iure iurando sis obstrictus? Sed quoniam, ut dixi, immanes singuli immanitatem ipsam minime ex omni sunt parte complexi, ad alias quoque actiones transeamus. Nam & ab ijs qui prudentes, ac fortes pariter uideri, atq; haberi uolunt, declinari ad feritatem non rarenter, res ipsae hominum docent. Aegyptios enim traditum est Reges consuesse per Mathematicos genituras eorum, qui in lucem uenirent, explorare, quae si aduersari Regum ipsorum genituris essent compertae, è uestigio nati illi occidebantur. O' prouidentiam errorum plenam, ac superstitionum, ne tetram dicam, ac detestabilem. Quo è genere foedissima est Herodis illa Iudaeorum Regis in tot infantes puerosq; carnificina, cuius suspiciosissima uita, moresq; uariantissimi, dum omnia pauet, cuncta formidat, eò illum adegere, ut in filios innocentis-

simos, in

ſimos, in uxorem etiam maxime amatam efferbuerit. Hinc tyrannorum tam efferata crudelitas, nam dum proſpicere rebus ſuis uolunt, dum prudentiam magis aut effingunt, aut oſtentant, quàm ſequuntur, efficiuntur imprudentiſſimi. Quid enim imprudentius, q̃ quæ res adminiſtrari debeat per humanitatem, beneuolentiam, manſuetudinem, popularitatemq́; , eam uelle regere, per ſuperbiam, crudelitatem, iniuſta imperia, graueis coerciones, ſæuiſſimosq́; cruciatus, ac pœnas? quæ quidem uia eſt ad poſtremam quamq; immanitatem. Nero ille quem iure immaniſſimum uocitarunt, ne de aliȷs loquar ciuibus, Domitiũ Corbulonem, innocentiſſimum Senatorem, ſolertiſſimum, ac feliciſſimum ducem, fortiſſimum ciuem Romanum, quiq́; Parthorum authoritatem maxime fregiſſet, attriuiſſetq́; ſuperbiam, per fraudem occidi iuſſit, dum illius uirtutes ſuſpectas habet, quas & magnificari ab eo par fuiſſet, et ob maieſtatem Romani imperiȷ magis, ac magis euehi, atq; illuſtrari.

De Immanitate in quam inciditur poſt uictoriam.

Iam uero captis ſignis, direptis caſtris, copiȷsq́; hoſtiũ aut fugatis, aut cæſis, quid efferacius quàm uolutare iacentium corpora, et ſiquos ſpirantes inuenias, in eos rurſum manu ſæuire? Quod factitatum ab Annibale poſt cladem illam Cannenſem ſunt qui tradant. Quanto & homine, & imperatore rerum humanarum memore dignius, id & curare, & permittere, poſt illatam calamitatem, cadauera uti ſepeliantur. quam ad rem induciæ concedi ſoleant. Ac ſiquibus uulneratis, ac male cæſis relicta uitæ ſpes eſt, eis medicorum operam ſumminiſtrare quanquam hoſtibus. Nam & in uictos, proſtratosq́; , quosq; iure belli captiuos habere liceat, humanitas exſuenda non eſt, nec tela in captiuos, uerum in acie ſtantes exercenda. Graſſatorum eſt, ac ſicariorum, & eorum quidem truculentiſſimorum, poſt ſpoliatos uiatores, coſdem obtruncare, uidelicet ne cognoſcantur, ſtrenui uero militis id nullo modo. Nam in ipſo prælio, interq́; conſerendas manus, cæſo aduerſario, caput ei auellere, militari eſt ex inſtituto & lege. Cum ſint militibus præmia cæſi hoſtis propoſita, & auulſi à ceruice capitis oſtentatio, ſit rei ſtrenuæ geſtæ teſtimonium. At iacenti cruentato in ſolo, & biduano iam, aut triduano ceruicem ſecuiſſe cadaueri, hoc nullius quidem eſt feræ, niſi tantum hominis, ac nefariȷ hominis, feras ipſas etiam ſupergreſſi.

De Immanitate in quam inciditur in diripiendis urbibus.

D ireptiones ipsæ urbium, ac populorum, præcipuam ad omnem immanitatem materiam exhibent, in polluendis templis, in uiolandis sacris, in corrumpendis tum puellis, tum pueris impuberibus, in cædendis senibus, sexuq; imbecillo. Vt direptiones ipsæ, quod dictū est, aditum ad omne immanitatis genus faciant.

Iram, ulascendiq; appetitum esse cohibendum, ne incidamus in immanitatem.

I ra igitur ipsa libidoq; ulascendi nunquam tanta esse debet, ut naturæ obliuiscamur, humanæq; societatis. Nihil eni tantopere ad immanitatem impellit raptatq;, quàm reponendæ uindictæ auiditas. Scytharum Regina illa Tomyris aurum liquæfactum in os, gutturq; capti hostium ducis infundens etiam maledictis insultauit, Aurum sitijsti, auro sitim leua. Quod seruasse etiam Mithridatem Ponti Regem scriptum est, uicto, captoq; Aquilio duce Romano. Omnino igitur furor ille, seu rabies rectius dicatur, temperanda est, uel compescenda penitus. Quod magni est, ac summe excellentis animi. Auiam meam Leonardam rarissimi exempli matronam, non sine multis lacrimis puer audiebam referentem, Cum inter digladiantes quasdam inter se familias inimicitiæ summis exercerentur odijs, captum quempiam factione ex altera, eumq; è uestigio concisum in minutissima etiam frustra, moxq; exemptum illi iecur in prunis, candentissimisq; carbonibus ab factionis eius principibus tostum, perq; bucellas minutim dissectum, inter cognatos ad id inuitatos, in ientaculum distributum. Quæ aut luporum tam exhanclata rabies, aut sæuientis pro erepta prole tigridis hanc ipsam superauerit? Allata etiam post degustationem tam exsecrabilem pocula non sine collecti cruoris aspergine. Congratulationes habitæ inter se, risus, ioca, leporesq; cibum ipsum condientes. Deniq; & dijs ipsis propinatum tantæ uindictæ fautoribus. Quod hic exclamem, nihil habeo, ni forte immaniora his, & ab natura hominis alieniora subiunxerim. Maiores mei pulsi patria, domesticas ob seditiones, munitionem sibi constituerant in agro, ac solo proprio, turrimq; ibi ex la

pide ædificauerant, qua munita, uxores, liberos, remq́; familiarem omnem ibidem tuebantur. Indeq́; aduersarios & suis, & clientum atq; amicorum opibus infensius lacessebant. Forte accidit, quod tunc res sic ferebant, ut socijs ab hostibus suis grauiter oppressis uiri sup petias ferrent, paucis præsidiarijs, cum mulieribus, ac paruis liberis relictis, qui munitionibus, ac turri præsidio essent. Hoc comperto ad uersarij summis conatibus munitiones repente aggressi eas per uim capiunt, ac propugnatoribus cæsis turrim aggrediuntur. Proauia ibi mea duobus cum paruis liberis se tuebatur. Accedunt germani fratres, factionis alterius principes, hortantur deditionem uti faciat. Illa deditionem pollicetur incolumibus tamen, ac saluis infantulis. Negatur à fratribus conditio. Res à gladijs, ac sagittis ad incendium uenit. Ibi infelix matrona, quanquam supra sexum fortissimo pectore, in abditiorem sese locum includens cum utroq; filiolo, fumo, ac flammis enecta exuritur, atruitq́;, fraternam ob impietatem, factionisq́; immanes animos, sepulcro. Quorum ego puer cineres, siqui reliqui esse poterant, collectos, Christiana matre id procurante, per eos, qui tunc aderant clientes in sanctum ferendos, ac collocandos curaui. Quamuis autem domesticum hoc factum tacendum fortasse satius fuisse uideatur, fateri tamen liceat, ut Aurienta proauia mea nihil muliebri in sexu ætas illa fortius, atq; in liberos suos indulgentius uidit, ita nihil eius fratribus fuisse exsecrabilius, aut humana ab natura diuersius, quin in sanguinem suum ipsum nihil prorsus perniciosius, magisq́; truculentum, atq; efferatum. Omnino igitur in uictoria temperandum, adhibendusq́; uindictæ modus. Ut si parcere noluerimus, non tamen impellamur ad feritatem. Cum hæc ipsa belluarum sit, humanitas uero hominum, generosissimiq́; cuiusq; maxime.

De Immanitate in quam incidunt prætores, & qui uindicandis criminibus præsident.

Cum uero aliud uincere sit, atq; ulcisci, aliud punire, atque afficere supplicijs, illudq́; sit bellum, atq; inimicitias exercentis, hoc uero iudicis, ac ciuilibus institutis seruandis præpositi. Iudices interdum quosdam uideas, præfectosq́; criminibus puniendis, qui non uoluptatem modo capiant è supplicijs, uerum quo puniisse gloriari possint q̃ plurimos, noua, & inusitata torquendi genera adinueniant,

quibus non modo quæ facta, uerum etiam quæ infecta extorquerent. Nobis adolescentibus hoc siue sæuitiæ, siue immanitatis genere in uniuersa Italia nobilitatus, atque horribilis erat Nicolaus Porcinarius Aquilanus. Itaq; & iudices ipsi, uindicesq; ciuilium criminum facile ab seueritate ad immanitatem transeunt, ut hac ratione, cum sint administrandæ iustitiæ præpositi, efficiantur uel maxime iniusti, ac rectiore fortasse, propriaq; magis appellatione summe immanes. In summus enim supplicijs uix iniustum aliquid, quod non sit idem immane. dum sit id tamen uoluntarium, ac cum uoluptate, & gestientia. Visæ sunt quoq; & uideri possunt leges quædam & ipsæ immanes, quibus condendis, non id mihi uidetur fuisse consilium conditoribus, ut ab homine, dignisq; homine moribus discederent per crudelitatem, uerum ut ciues deterrerent pœnis immaniter propositis. Qualis lex illa duodecim tabularum, qua licitum erat creditori, pro debita pecunia membrum sibi capere ex corpore debitoris, utputa centenis pro sextertijs aut manum, aut pedem. Florentinus magistratus ciuem eum, qui impotenter uim, iniuriamq; pro libidine in ciuem exerceat, nec commonitus temperet, decreto publico grandem statuit, id autem est quasi tyrannum, aut hostem publicum decernere. ut liceat cuiuis inuentum illum aut ante Solis exortum per urbem incedentem, aut post occasum impune occidere. Tantum in eo populo studium quondam fuit æquabilitatis tuendæ, seruandæq; inter ciues communitatis. Quo fit ut hodie non rem publicam uocitent liberum ipsum ciuitatis statum, atq; gubernationem, uerum commune, & quod publicum est, id communitatis esse dicant. rerumq; omnium summam tum ad commune, tum ad communitatem indifferenter referant. Ferdinandus Neapolitanorum Rex, qui ceruum, aprum'ue occidissent furtim'ue, palam'ue, alios remo addixit, alios manibus mutilauit, alios suspendio affecit, agros quoque serendos interdixit dominis, legendasq; aut glandes, aut poma, quæ seruari quidem uolebat in escam feris ad uenationis suæ usum. Secus qui fecisset, in eum non aliter sæuitum, quàm si perduellionis esset reus. Corradus Trincius, qui Fulgineæ in Vmbria imperitauit, cæso Nicolao eius fratre à præfecto arcis Nucerinæ, ob adulterij suspicionem, præfectum ipsum ita expugnare aggressus est, ut ille amissa tandem omni spe euadendi, interfectis prius uxore, ac liberis sese è summa turri deiecerit, ne uiuus in Corradi potestatem perueniret.

Itaq;

Itaq; Corradus deceptus opportunitate in uiuum illum sæuiendi, quotquot familiares, cognatos, amicos, notos, quiq; cum illo consuetudinem exercuissent aliquam, captos, cruciatosq; ad excarnificationẽ, ad ultimum comminui in frustra, exenterariq; imperauit, ac per sentes, maximeq; frequentium uiarum sæpes, ac margines, eorum uiscera, intestinaq; suspendi, ac passim dispergi. ut neq; aut uindictam appellare hanc possis, aut punitionem. Neronianæ illæ fidiculæ etiam dictu sunt horribiles, tractaq; in Gemonias unco cadauera, atq; insuta mortuorum corporibus, uiuentium corpora. Quæ quidem ipsa, aliaq; huiusmodi id efficiunt, nullius ut belluæ feritas humana exsistat feritate maior, ac truculentior, Vtq; nullo possit pacto magnanimus quispiam esse, cuius in animo ira quidem regnet, ac uindictæ reponendæ acrius studium, aut in capiendis supplicijs, insectandisq; criminibus atrocior censura.

Auaritiam maximum esse fomitem immanitatis.

Iam uero auaritia ut plurimorum est uitiorum fomes, sic etiam & immanitatis, præsertim ubi fuerit ambitioni coniuncta. Qualis autem ea sit, ne tibi virgilianũ illud dictum parũ esse uerũ uideatur.

» Quid non mortalia pectora cogis. –

» Auri sacra fames, –

Hoc accipe non exiguum eorum esse numerum, qui dum paternæ successioni pauculos menses dilationem ferre nequeant, parentes suos sustulerint. Perquam multi quoq; inuenti sunt Pygmaliones, innumerabiles etiã Polymnestores. Tabulæ tum Syllanæ, tum etiam triũuirales, nullum profecto exsistit immanitatis genus, quod non sint aut complexæ, aut etiam prætergressæ, siue ob dominandi libidinem, siue ob spoliandi cupiditatem, siue ob iræ, ac uindictæ sitientissimam rabiem, siue etiam in grassationis uoluptatem, excarnificandiq; oblectamentum, gestientiam, atq; ingluuiem.

Homines duplici modo immanes fieri & ab impetu Venereo, & ab impetu sanguinolento.

Belluarum duplex cum sit genus, earum scilicet, quæ solo gradiuntur, nec una quidem natura pastus, sed aliæ tantum pabulo alantur, frugibusq;, ac fruticibus, aliæ carne, ac cruore. Vtrumq; tamen genus salax est, atq; in libidinem pronum. Et in primo quidem ge-

nere numerandæ sunt capræ, oues, asini, sues, quiq; facile domitantur, equi, bouesq;. In altero leones, ursi, tigrides, elephāti. Licet ex his quoq; arte tamen multa, temporeq; non exiguo non rari mansuescant. Itaq; pecuum omne, ac caprinum genus licet in Venerem ruat, in feritatem tamen sanguinolentam uix unquam. At ursi, leones, tigrides, elephanti, quin etiam tauri, canes item in Venerem pariter, ac rabiem incensi ferri solent, atq; in feritatem, rabidasq; uoluptates, ac pastus. Itaq; duplex & ipsa feritas est, & quæ Veneris tantum rapitur impetu, & quæ rabido, ac cruento. Nam & Molossici canes, quiq; maiore sunt statu corporis, canes minores quasi alterius generis morsibus distractos dilaniant. Homines igitur in feritatem delapsi duplici & ipsi modo immanes fiunt, et Venereo ab impetu, & rabioso ab illo ac cruento appetitu. Itaq; non solum per sanguinolentiam, ac cruentationem, uerum etiam per usum libidinis, quin etiam & pastus, perq; uictum ipsum immanes efficimur. De cruentatione autem quoniam multa quidem diximus, reliquum est, de rebus uti dicamus Venereis, post etiam de pastu.

De Immanitate quæ uersatur circa Veneream uoluptatem.

Igitur & pecora, & animalia quæ dicuntur muta, miscentur matribus nullo habito concubitus discrimine, aut lege seruata. Quo'arca qui homines matribus miscentur, aut sororibus, et quibus coniungi lege uetitum est, & cautum, immanes hi potius dicendi uidentur, q̄ libidinosi, aut intemperantes. Ne uero Iouem illum optimum maximum ad diluendum citemus incæstum, nuptiasq; sororias, excusare satis illum possunt tum Aegyptij Reges Ptolemæi, tum Romani Augusti, præcipueq; Caius Caligula, qui sororibus suis omnibus stupro se miscuit, Drusillamq; à marito abductam, quam tamen uirginem prætextatus uitiauerat, iustæ uxoris loco habuit. Quid qui genere abutuntur suo? relictaq; aut aspernata potius muliebri copulatione in mares incenduntur, puerorum fœdati amoribus, ac libidinibus? Apud Persas, filios matribus olim matrimonio iungi mos fuit. Apud Mauros, & qui Mahometi nunc sequuntur nefarias institutiones, uix est discrimen aliquod libidinum, siue in pueros, siue in cognationem. Familiaris meus Franciscus Scarola legatione aliquando apud Regem Africæ functus est, missus eo à Ferdinando Rege Neapolitanorum. Is autem cum initus aliquando inter nos esset de gentis eius intemperantia sermo, uidisse se Tunete retulit mulierem-

lam, quæ filiũ deferret ad sacerdotem, quod is eam cognosset, Atq; ibi tum sacerdotem de ritu gentis, ac sectæ eius dixisse ad eos, intellecta causa, quasi materno à uinculo & matrem solueret, & filium, Ne tu posthac mulier fueris illi mater, ne'ue tute ipse adolescens ex hoc die fueris illi filius. Ac si de cætero soluti ab omni iure, libere inter sese exercere libidinem & possent & liceret. Marinus item Minerua notus uir functus eodem munere apud Regem alium Africæ, non semel in cœtu quoq; probatissimorum hominum referre est solitus, esse diem quendam Tunete solennem & sanctum, quo in die extra urbem certum in locum conueniat omnis ferè multitudo ad promiscuã cum maribus Venerem exercendam. Sporum puerum Nero Augustus in muliebrẽ conatus est naturã uertere, exectis testibus. O' Imperatorem Romanum, ac gentium dominum, rerum naturæ tam nefarie inscium, qui marem se in fœminam uersurum existimaret. O' populum ignorantissimum pariter, atq; improbissimum, qui solẽni nuptiarum die in officio affuerit Hymenæum celebranti. Sigismundus Malatesta, qui non exiguæ parti Aemliæ imperitauit, quæ nunc est Romaniola, filiũ suum Robertum cognoscere tentauit. Verũ ille in patrẽ stricto pugione à scelere se uindicauit. Idẽ Sigismundus incensus forma Teutonicæ cuiusdã matronæ Romam è terra Germania proficiscentis piaculorum gratia, utq; diuorum templa Petri, & Pauli uisitaret, eam suos per fines iter facientem aggressus, nulla cum ratione uiuæ afferre uim posset, iugulauit, iugulatamq; cognouit. Quid quod è filia eundem sua prolem suscepisse manifestissimum quidem est. Quid igitur uidere immanius cœlum potuit? Sed uidit tamen, & uidet quotidie etiam immaniora. Nec cœlum tamen ruit, diuinaq; dormitat patientia uerius, quàm prospicientia. Quo autem scelestiora hæc ipsa appareant, referam quæ egoipse ex aduerso et uidi, et testor, & persancte etiam iuro. Fuit mihi in delicijs catella nomine Capuana, quam etiam uersibus celebraui, de genere catulorum eorum, qui camusi dicuntur. Erat eius proles Asterion omnium catulorũ formosissimus pariter, ac nitidissimus. Aduenit tempus gestiendi, eã ego alijs ne misceretur canibus, in abdito cum Asterione concludi iussi, quo ex utroq; soboles procrearetur. Nunquam passa est mater à filio se iniri, & quamuis meis à pueris comprehensa teneretur, nihilominus ea mordicus pueros à se reijceat, & in filium illata, illum dentibus male habuit. Ioannem Vigintimillium Marchionem Giracensem memini narrantem fuisse sibi equam apprime nobilem et celeritate, et robore, cumq; ineundam eã

à filio procuraret, admittere illum ad coitum, matrem nunquam uoluisse, adhibitaq; cum ars fuisset, intecto filio alius pili corio, ornamentisq; alijs quibusdam obuoluto, deceptam matrem passam tandem illum esse. At ubi artem intellexisset, uidissetq; ornamenta, & corium filio detrahi, tum eam in dolorem, ac mœrorem uersam inedia inde ad paucos dies uitam finijsse. Vt dicere prorsus liceat, atq; asseuerare, quantum illi ipsi à natura hominis descierint ad belluas, tantum duas has belluas à natura ferarum ad humanam sese applicasse. Carolo Octauo Gallorum Rege Neapolim tenente deprehensus est è Britonum gente miles cum asina mistus. Qua quidem sorde, quoq; immanitatis cœno fœdati sunt pastores cum primis, atq; armentarij. Quæ quidem referri absq; rubore nequeant. Valentiæ in Hispania citeriore ædes quædam sacræ, Vestaliumq; monasteria ita quidem patent amatoribus, ut instar lupanariorum sint. Quam uero immane hoc sit habendum, ac nefarium apud Christianos præsertim, instituta ueterum Romanorum docent, & una illa nobilis Poëtæ exclamatio,

" Sanguine adhuc uiuo terram subitura sacerdos.

Quæ neq; admitti sine damnabili admodum, maximeq; infami nota possunt, tum eorum qui præsunt rei publicæ moderationi, tum antistitum, præcipueq; sacerdotum aliorum, qui rerum sacrarum præpositi sunt administrationi, illisq; temperandis. Huic uero ipsi tam exsecrabili in Venerem coitioni illud quoq; accedit, maxime omnium exsecrabile, quod conceptos, ut diximus, fœtus in utero, aut medicamentis Vestales ipsæ occidunt, eijciuntq; frustillatim, aut in lucem editos strangulant, in sordibusq; sepeliunt latrinarijs. Nec uero ipse satis quidem animi certus fuerim, quonam in immanitatis siue gradu, siue genere Tiberianos illos pisciculos collocare debeam, rem profecto populo Romano gentium domitore dignam, spectare rectorem imperij eius natare in piscinis ad id ipsum factis inter puerorum greges, puerosq; ipsos natantis eius (ut Suetonij uerbis utar) inter fœminas uersari, linguaq; ac morsiunculis sensim appetere, & quasi infantes firmiores, nec dum tamen à lacte depulsos inguini ceu papillæ admoueri, ut in piscibus hominum quidem partes pueri ipsi exercerent, in hominibus uero piscium. Ac si non magistri adhibiti ad tam eximiam institutionem, & ars quoq; multa fuerit, multaq; cogitatio, ac cura. ne monstrosos concubitus, illorumq; repertores referam, et Spintrias illos, & Sellariam, gregesq; puellarum, atq; exoletorum undiq; conquisitos.

De Immanitate quæ uersatur circa pastum & cœnas.

Parte hac explicata, quæ ad infames pertinet, atq; exsecrandos concubitus, quibus referendis nesciã dolor'ne maior mentem, an rubor animum affecerit, ueniam ad pastum, per quem nonnunquam & ad immanitatem trahimur. Nam & res Veneris, & alimonia ipsa maxime nobis communis est cum belluis. Vt'q; illarum è numero alijs, atq; alijs natura, aut pastus quosdam attribuit, aut abnegauit, sic et homini. A` cuius ordine, atq; instituto deflectere, quid nam est aliud, quàm naturæ ipsius rebellem fieri? Accessit generalibus naturæ institutis cura etiam ipsa, quæ rationis propria est, uniusq; tantum hominis. Quo'circa & leges cœnis constitutæ sunt, non modo quæ sumptibus modum imponerent, uerum etiam quæ cauerent, ne quædã ulla in cibum uia reciperentur. Nec nos condemnamus siqui fame coacti aliquando ad esum murium, felium, talparum proruperint, Sed qui in maxima epularum opulentia, ciborum'q; à natura ac lege constitutorum iubent condiri sibi aut felem, aut ciconiam, aut teterrimarum ferarum catulos. A qua quidem rationis declinatione, usu'q; communi hominum cæterorum qui edax, uorax'q; rapiatur, ignorem cur non & hic immanis sit ipse dicendus, etsi tanta hæc ab natura ipsa declinatio ipsis minime in belluis cernitur, in quarum naturam uerti per hæc ipsa iudicamur. Luxuriosum dices fuisse, fortasse & comedonem, immanem tamen neutiq;, Oratorem Hortensium, quod primus sibi, ut proditum est, è Romanis pauonem parari in cœnam iusserit. Et illud quoq; concesserim, ut studiosus idem perquam gulæ fuerit, & oppido nimis lautus, & conuiualis, ut uero immanis nullo modo dederim. quamuis ad insuetos & intentatos ante cibos tractum illum, & præter hominum leges, usum enim perpetuũ hominum, legem uoco, & præter necessitatem aut famis, aut morbi, quis neget? At patinas illas Vitellianas, ac Vitellij ipsius uentrem immanem si dixerim, iure fortasse dixerim, Iure etiam Apicij uoraginosam ingluuiem. Quasi non tanta gulæ uastitas, tanti patrimonij in uentrem congestio in immanitatem, aut siquid immanitate ipsa hiantius uideri possit, dehiscat. Phasianorum cerebella, lactes'q; murenarum, ac phœnicopterum iecinora toto quasi terarum orbe conquisita (cum gulæ uitium atq; immoderationem oppido quàm transgrediantur) uidelicet immanitate carebunt? aut tetrapharmaca illa Ceioniana eadem carebunt infamia? Sed nos principum popinas desinamus perscrutari, de'q; illorum differere in uentrem industria,

ac prodigentia. cum ipſi conductitium minime coquum habeamus, permittamusq́; iure illos ſuo uti, proq́; arbitrio moderari tam ingurgitoſæ uaſtitatis prouinciam, uniuerſamq́; saporum ingluuiẽ. Dum eam tamen gulæ, uentrisq́; profunditatem uelint ſibi cum ſacerdotibus quibuſdam Cardinalibus, Pontificibusq́; eſſe communem. Veſcuntur & bruchis Aethiopes quidam et locuſtis. Fert hoc regio, fert uſus ipſe, propter rerum aliarum inopiam. Nequaquam tamen immanes ob earum eſum Aethiopes. At immanis Italicus in tanta alimoniæ copia illis qui ueſcatur, qui paſtus eius uoluptate captus aut raritate, tanquam ad delicias, ac palati laſciuientem titillationem, aut miluinam potius ad uoluptatem decurrerit ſitibundus, ac famelicus. Fuerint tamen hæc, habeanturq́; ridicula quædam ſiue aberrantis naturæ, ſiue in gulam, ac palatum reſolutorum hominum.

Appoſuit Perſarum immaniſſimus Rex Harpalo patri liberos epulandos, offenſus ipſe illius optimis commonefactionibus ad Regiæ humanitatis, placabilitatisq́; dignitatem retinendam. Atque inter edendum ſubinde percontabatur, lautæ'ne eſſent epulæ? opiperum'ne condimentum? placeret'ne ciborum concinnatio, ac ſaporum? Vtq́; patrem ipſum plenum iam abunde uidit, liberorum capita in lancibus afferri in menſam ante oculos illius iuſſit, & an ſatis comiter acceptus eſſet interrogat. ne tibi fortaſſe Thyeſtææ illæ cœnæ commentitiæ uideantur ac fabuloſæ. Ad aſpectum igitur tam fœdum, immanem, incogitatum, regiamq́; ad interrogationem, ne Harpali non recenſeatur reſponſum, huiuſmodi illud quidem fuit, ut uultu quàm maxime potuit compoſito diceret, omnem apud Regem cœnam periucundam eſſe. Quo'circa in hoc tam nefario, nunquam ante alias comperto ſcelere Tragicum illud opportune ex Anneo obijciam,

» Quis Colchus hoc, quis ſedis incertæ Scytha
» Commiſit? aut quæ Caſpium tangens mare
» Gens iuris expers auſa? non Buſiridis
» Puerilis aras ſanguis aſperſit feri.
» Non parua gregibus membra Diomedes ſuis
» Epulanda poſuit.

Nec uero patrem, immanitatis damnabimus, quippe qui ignorans deceptusq́; epulabatur, infelicitatem fortaſſe ſuam augurans, uerum Solem ipſum miramur potius, non retrouertiſſe greſſus ſuos, non obuoluiſſe profundiſſima etiam caligine radios, lucemq́; obtexuiſſe ſqualoribus, ne truculentiſſimi Regis facinus tam immane uideret, cœ-

namq; adeo exsecrabilem. Arenis Cambyses in medijs cum omnia uictui necessaria defecissent, etiam fruticum, atq; herbarum radices, decimum quemq;, militem sortiri in alimentum iussit, fame iraq; pariter in præceps agitatus, donec parte exercitus amissa, parte etiam comesa, & ipse timuit, ne ad sortem uocaretur. Tradunt historiæ populos quosdam alios sese in ignem coniecisse, alios mutuis uulneribus inter se confectos, ne in hostium potestatem uiui peruenirent, alios iacta sorte inter ciues, aliorum morte uitam remanentium sustentasse. Immanitatis tamen hi carent crimine. neq; enim finis eorum, ac propositum fuit aut cruentatio, aut uindicta, aut uoluptas aliqua inde quæsita. Itaq; ad atrocitatem potius, ac pertinaciam referenda, tametsi non exigua è parte ad id spectare cernitur, quo ea ratione hosti uoluptas eripiatur. qua in re ira potissimum sibi locum facit. Accedit tamen & consultatio, & electio, consensusq; ciuium omnium, qui legem quasi quandam uideatur constituere. ut nō ex ira, indignationeq; magis quàm publico ex decreto id fecisse intellegantur. Nam qui se ipsos conficiunt aut gladio, aut inedia, aut ueneno, in ijs partim ignauia, ac meticulositas, partim uitæ tædium ius exercet suum, partim uesania, aut furor. Vt quamuis actio ipsa iudicari immanis possit, illi tamen ipsi immanes suo, ac proprio nomine minime fortasse sint dicendi.

De Immanitate quæ uenenis grassatur.

At qui uenenis grassantur, ij mihi uidentur implesse partes immanitatis omnes, siue ab iniustitia & fraude, siue ab auaritia atq; ambitione, siue ab odio ac uindicta, siue ab ira doloreue, aut insita ab crudelitate, siue ab uoluptate ac delectatione, siue ab metu, diffidentia, aut inuidia, siue ab habendi, ac dominandi cupiditate, siue ab excogitationibus demum, atq; inuentis, quippe qui & ingenio & natura, ac naturæ ipsius rebus abutantur in hominum perniciem, mortesq; tam sceleratas, ac calamitosas. Vt de ijs merito dici singulis possit, quod de uno illo Crispino Iuuenalis.

-Monstrum nulla uirtute redemptum.

A' uitijs.-

Et tamen boni illi ac sanctissimi Cæsares, quasi parū esset, et è cognatis affinibusq;, ac familiaribus arte hac quos uellent è medio sustulisse, et è Senatoribus atq; honestis è familijs q̄ plurimos, passi sunt Romæ disciplinæ tam laudabilis eē īstitutrices, ac magistras fœminas, easq;

exinde nobilitatum iri. Iure igitur hi ipsi monstra siue hoīum, siue naturæ uocitandi sunt. Cū hoies cæteri qdem oēs nati sint ad cœtus colēdos, societatemq; conseruandam, hi ad desolandā tantum modo, et quantum in ipsis est penitus exhauriendam. Qua in re teterrimi quidem appareant, immanissimiq; animalium omnium, quibus nec ab arte quidem, nec à natura sensus talis insit, cognitioq; perimendi. Omnino autem quàm detestanda sit immanitas, & ob leuissima quidem crimina serui murenis obiecti in uiuarijs, & in arena feris dilaniandi docuere. Hæc autem ipsa in ludis spectatio, quid aliud sibi quærit, quàm assuefacere populum ad pascendos cæde, atq; excarnificationibus oculos? animosq; ipsos alendos eiusmodi cruentatione, ac sagina? Non desunt tempestate nostra qui siue principes populorum, siue urbium domini de uita, ac sanguine pugnare uolentibus singulari certamine, ijs intra fines suos ius, atq; arbitrium permittant decernendi, quin sese ipsos & spectatores præbeant, & iudices certaminis. Quorum consilium neutiq; im probauerim, si eo spectet, uti pugna inita, remissisq; aliquantum iris, illorum mox componant odia atq; inimicitias. Cæterum quid immanius, quàm dare immanitati ipsi uacuum, ac liberum locum?

De Immanitate desolandarum urbium ac regionum.

Iam uero uastitates agrorum, desolationes regionum, ac populorum, incendiaq;, & urbes ob iram, odium, uindictamq; excisæ funditus, ciuesq; ad internitionem cæsi, sexusq; omnis imbellis in seruitutem redactus uel instar esse uidentur immanitatis ipsius, quippe quæ nulla non ui, iniustitia, rabie in genus humanum sæuiat, ac debacchetur. Qualis autem ea sit, uetustiora ut omittantur, nō multis ante annis Carolus docuit Burgundiorum princeps in Lige urbe opulentissima excidenda, omni sæuitiæ genere, ac calamitatis adhibito, nullo pietati, nullo misericordiæ, nullo deniq; religioni, deorumq; aris, ac precibus hominum relicto loco. Cum præceps ipse in omnem immanitatis exsuperantiam fureret, rapereturq; in scelus quodcunq; uolens, libens, plenus cruoris, inter cadauera uersatus concisorum hominum, inter raptus, ac deflorationes uirginum, incendiaq; tum domorum, tum sacrarum ædium, ac nunc funiculationes trecentorum, ac quingentorum hominū eiici in flumen iubens, nunc uicinias ipsas ferro meti ad unum imperitans, ut nescires omnino, furor'ne is maior esset, an uoluptas, rabies'ne, an ingluuies. Illud

tamen affirmare unum posses, in cædem illum, ac sanguinem tantum incumbere, nulliusq́; illi rei curam inesse, præterquam excarnificationis, ac gemitus iugulum præbentium exsectoribus, aut in flumen fossásq́; religatis post tergum manibus proiectorum.

De Fomentis, & diuersis causis immanitatis.

Exsultantis autem immanitatis non una sunt fomenta. Nam et ira uehementior ubi fuerit, præcipitem ita agere hominem consueuit, uti in obliuionem eum sui ipsius inducat, Tyrannos suspitio, & conscientia illa maxime tetra ac detestabilis, etiam ad noua, atq; inaudita supplicia excogitanda, incutiendis terroribus, quin etiam ut non raro in filios parẽtes, ipsiq; in parentes liberi pergrassentur teterrimis quibusq́; maleficijs, ac poenis. Eosdem hos tyrannos animi impotentia, elatióq; illa, perquam omnia sibi licita esse persuadent, quodq;, ut Caligula dictitabat, quæcunq; libuissent, eadem cuncta licerent heroibus, neq; ullis adhibere commonefactionibus aures uolunt, quin in commotores ipsos flagrantius efferuescunt, eò trahit, ut dijs se dum assimiles uideri uolunt, feris ipsis tetriores efficiantur. Refert Seneca Dareum Regem parantem expeditionem aduersum Scythas, rogatum ab Hartabazo nobili admodum sene, ut è tribus liberis, quos Rex ipse secum duceret, unum ei in ætatis suæ ingrauescentis iam solatiũ relinqueret, ac tanquam senectutis baculum, respondisse, plus se quam ille rogasset, præstiturum, tresq́; eos unà statim ad patrem remissurum, confestimq́; occidi eos simul iussisse, atq; ante patris conspectum cruentatos abijci. Cambysen quoq; idem author refert, admonitum à Traheaspe, qui erat illi maxime fidus, ac carus, uti in potu esset abstinentior, quod ebrietas in regibus maxime notabilis esset, respõdisse, non mentem modo post uinum sibi, uerum etiã et oculos, et manus in officio esse, idq́; breui se comprobaturum. Cũq; liberalius quàm unquam antea poculis indulsisset, iussisse filium eius ultra limen progredi, ibidemq́; consistere, alleuata supra caput sinistra, è uestigióq; contento arcu cor illius mediũ sagitta fixisse, quod se transfixurum antea dixerat, conuersumq́; ad patrem dixisse, ecquid certam ipse uideretur habere manum? Hæc igitur portenta de se gignit animorum impotentia, cognatáq; cœlitibus ipsis potestas. Quãtus itaq; ex ebrietate, quæq; crapulæ dicuntur, fomes accedat immanitati, ut barbaros prætereamus Reges, testis est Alexander, qui educatum unà secum à puero Clitum, sibiq; etiam maxime carum

inter epulas manu ſua transfoderit, ac ſi non & Lyſimachum leoni obijci iuſſerit, ſibi perquam etiam familiarem. Verum ebrietas furori eſt perquam ſimilis, tametſi ille è morbis gignitur, è deterrimoq́; naturæ habitu, hæc autem ex animi corruptione, deprauatáq́; uolũtate. Vt ebrius quidem perinde, ac furore percitus, quid agat, nequaquam intellegat. Immanitas uero ipſa, niſi uoluntaria fuerit, deſinat eſſe immanitas.

Conqueritur ſiue de temporibus quibuſdam, ſiue de natura.

Neſciam ego qua uia, qua'ue naturæ aut lege, aut mundi orbiculatione, rerumq́; periodis, aut diuerſitate cauſarum male quidem inter ſe conſentientium, in unum tamen confluentium, neſciam inquam, quomodo id contingat, contingit tamen, uti ſeculis quibuſdam natura ipſa, perinde ut quandoq; in corrumpendas declinat, & tanquam ruit ſegetes, ac fruges, monſtroſóq́; quoſdam animalium fœtus generandos, ſic etiam ad homines, eosq; primates uiros in omnem rationis, humanæq́; conſuetudinis abuſum gignendos, nec ad abuſum tantum rationis, uerum etiam ad calamitatem, perniciem, excidiumq́; tum ſigillatim, tum etiam uniuerſim rerum publicarum, populorum, ac regionum, nec uindicandis tantum acceptis iniurijs, aut ambiendis honoribus, uerum etiam ijs inſectandis, excruciandisq́;, à quibus nihil omnino iniuriarum acceperint, nihilq́; prorſus timendum ab eis ſit. Perinde tamen ut cœno ſues, apriq́; uolutabris delectantur, ſic hi ipſi maleficijs, trucidationibus, immaniſſimisq́; ſceleribus. Satis conſtat Annibalem, cum humano cruore foſſam aliquando redundantem conſpexiſſet, mirifice exhilaratum dixiſſe, "O' formoſum ſpectaculum. Proditum eſt etiam memoriæ, Voleſum Aſiæ proconſulem ſub diuo Auguſto, cum trecentos uno die ſecuri percuti iuſſiſſet, inambulantem inter ipſa cadauera, proſpectantemq́; uultu quàm maxime elato, æque, ac dignum admiratione facinus peregiſſet, proclamaſſe ad aſtantes. "O' rem prorſus regiam. Quod nam Cambyſe Rege, quod Dionyſio, ac Phalaride tyrannis, quod Caio, Nerone, ac Domitiano Auguſtis truculentius unquam monſtrum natura ipſa genuit? Quæ'nam ſentina, quæ inquam ſentina teterrimorũ ſiue ducum, ſiue regum ſcatuit Gotthorũ tempeſtatibus? Vt nihil tam fœdum iudicari poſſit, quod non illi pulchrũ duxerint, nihil tam facinoroſum, atrox, cruentũ, quod non ad uoluptatem referrent, ad ludum, ac laſciuiam. Itaq; natura ipſa ut non nunquam diuinos quoſdam Reges protulit, ac principes populorum,

ut Traianos, Marcosq; in compendium, ac frugem humanæ societatis. sic aliquando monstrosos quosdam in perniciem ac desolationem ipsius hominum generis, siue oblita materni officij, induensq; nouercæ habitum, siue ex Dei Optimi Maximi constitutione, ac prouidētia, cuius nobis consilia sint ignota.

De quibusdam immanibus ducibus.

Eadem simul tempestate nobis pueris rebus in bellicis duces tres eminuere, insigni tamen crudelitate seu immanitate potius nobiles, Nicolaus Forti brachius, Antonius Pontadera, & Ricius Monteclarius. E quibus Nicolaus pene lateri suo coniunctum ubiq;, mutum quendam hominem secum ducebat, oneratum funibus, ac capistris. Itaq; ut quem suspendio destinasset siue meritum, siue immeritum pro odio, ac libidine, factum illum obuiam nutu indicabat, conuersusq; ipse post ad mutum, proclinato in uncū digito nasum sibi contingebat. quo signo accepto, confestim mutus iniecto in illum capistro, proximo cuiq; uel trunco eū, uel arbusculæ exanimandum suspendebat. Iudicabaturq; ignauus dies, qui sine suspendio præterijsset. Antonius quod in Pannonia hoc est Hungaria diutius exercuisset militiam, Pannonio incinctus gladio, ubi quē uel ira, uel odio perditurus erat, illum ex improuiso, eodem stricto adoriebatur. Eratq; illi ludus hic quasi quidam in quo sese pene quotidianus exercebat. At Ricius in eodem crudelitatis genere adhibebat etiam comitatem. quem enim decreuisset enecare, blande admodum salutatum inuitabat eum ad pocula, percontabaturq;, quot secum aut placentulæ bucellas, aut sorbillationes assumpturus esset, repenteq; in ijs nugis, totidem illum uulneribus ad teram dabat. Erat igitur tribus his sanguinolentia nimirū lusus quidam, exercitatioq; uoluptaria.

Immanitatem ubiq; exsecrabilem esse.

Itaq; neq; apud extremas nationes, neq; apud gentes quāuis barbaras quidem, atq; incultas non immanitas ipsa, atq; efferatio ostentui est, monstrosiq; partus habetur loco, non eam exsecrantur omnes, ut hominum generi maxime inutilem, ut singulis, ac maxime bonis quibusq; exitiabilem, ut dijs deniq; ipsis infestam, ipsiq; naturæ odibilē, ac suo quoq; tempore, suis etiam cruciatibus, ac pœnis ab ijsdem persequendā. Quod exitus tandem ipsi, rerūq; conuersiones declarant, illorū insignes calamitatibus, qui immanitatem exercuere, iustissimusq; co=

rum nobilitatæ supplicijs. Vt postremo irasci Deum sit compertum, meritoq; Propheta ille maximus, plorabundus, ac tremens domini furorem extimeat, excandescentemq; punitionem.

Humanitati studendum esse.

Quo igitur hæc ipsa pestis exsecrabilior est, ipsiq; hominum generi magis exitiabilis, eo studiosius colenda est humanitas, ac ciuilis uitæ studium, colendæ artes liberales, humanæ societatis & ornamenta, et uincula. Excolendus animus moribus tum ciuilibus, tum rerum præclarissimarum cognitione, atq; scientia. Cum primisq; oculi in cœlum sustollendi, consyderandumq;, quid summo illi, & optimo rerum omnium parenti, ac rectori sit præcipue placiturum, quibusq; potissimum artibus cœlitibus ipsis similes esse possimus. Erimus autem eorum maxime similes, si quàm maxime à ferarum naturis recesserimus, domitisq; qui illarum proprij sunt affectibus, si rationi nos adiunxerimus. quam secuti & reliquis animantibus cum excellentia imperabimus, & cœlites ad ipsos quàm proxime accedemus.

Laudes literarum ac studiorum humanitatis.

Tu uero Hieronyme Carbo sic habeto, cui opinioni ne Eremitam quidem Aegidium & eruditum, et sanctum uirum refragaturum intelleges, bonarum literarum studia omnem uirtutum omnium eruditionem secum habere copulatam, Nullam uero partem laudabiliorem, rebusq; magis hominum conducentem, quàm quæ ad humanitatem spectet, totaq; in mitigandis uersetur affectibus, animisq; ciuili mansuetudine componendis, Nihilq; tam conferre ad agrestem illam, indignamq; homine atrocitatem domitandam, exsuendamq; feritatem, quàm literas, easq; maxime, quæ ab humanitate cognomen meruere.

FINIS.

In libro de Prudentia author ipse Pontanus cum etymon consyderationis persequeretur incuria librariorũ factum est, ut Sidus per y'. scriberetur, quæ scriptura maxime ab authoris consilio discrepat.

In Libro de Magnanimitate impressum est in templo Iunonis Ephesiæ, tu Dianæ reponito.

* a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z
aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn
oo pp qq rr ss. Omnes quaterniones
præter * duernionem.

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI, ET
ANDREAE SOCERI MENSE
IVNIO. M.D. XVIII.

Tom. 3. – 65.f